

A
18
MAG 179

Ad simpliciter usum P. Fr: Nicolai Sirini a Valent. Observantiæ Ord. Min. 1824.

# MANTISSA
## MORALIS CASVVM
### IN RELIGIONIBVS RESERVABILIVM

Pluribus adaucta Dubijs, & distributa in duas Partes, quarum prima de Reseruationibus Casuum in Communi, prout ad Regulares, Secunda autem de Reseruationibus Casuum Regularium in particulari tractat, iuxtà Formam Decreti Clementis Papæ VIII. super vndecim Casuum Regularium Reseruatione.

### OPVS PERVTILE

*Confessarijs, & Pœnitentibus Religiosorum Ordinum, in quo quidquid tàm ad Theorim, quàm ad Praxim spectat, compendiaria Methodo, & Aphoristico Stylo elucescit.*





AVTHORE
ADMODVM REV. P. FR. FABIO CEMORINO DE FOROLIVIO,
Almæ Prouinciæ, Obseruantis Bononiæ, Sac. Theol. Lectore Iubilato, olim Definitore, Theologo, ac Examinatore Synodali in Episcopio Foroliuiensi.




---


Foroliuij Typis Pauli Syluæ (1719.)
*Superiorum Permissu.*



**Admodum Reuerendo Patri**

# PATRI RAYNUCIO DE PARMA

*Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ Sancti Patris nostri Francisci Concionatori Generali Sacræ Theologiæ Lectori Iubilato; ex Diffinitori; Serenissimorum Ducis Parmæ, Principis Antonij Farnesij Theol., & in hac Alma Prouincia Obseru. Bononiæ Ministro Prouinciali Vigilantissimo.*

A' Fratre Aurelio de Foroliuio Lectore Sexenali ex Diffinitore; actuali Guardiano, & Examinatore Synodali in Episcopio Foroliuiensi.

D. D. D.

*QVo dolore, Operis huius Authorem iam facto sublatum prosecuti fuerint Viri Probitate, Scientia, & Gradu spectabiles, non Te latet Admodum Reuerende Pater, quem recensere inter eos honoris, & Solatij causa non dubito. Quum enim diuturna notitia, nec leui necessitudine, Tibi illius Indoles comperta fuerit, qua semper, deque omnibus benemereri, integritate animi, litterarum cultu, honestaque viuendi ratione studuit, ea quoque prænouisti, quis eius in Morte iactura acerbior nobis effecta est; Quæ propter perspectum fore spero, me, tum iustè, tum Religiosè*

eam solicitudinis partem, quam defuncto Viro pluribus, ac grauioribus titulis, non deficiente merore, persolui, in hoc eius Opus aliquando conuertisse; vt proprio destitutum Parente alterius Patris tutela frueretur. Hanc Pietatis, gratique animi mei debitam curam arbitratus sum, si Perennitatis beneficium quod adempto Authori impendere haud poteram, in hanc Superstitem Virtutis eius Imaginem, & posthumum Doctrinæ pignus conferrem. Qua quidem in re, quum primum animum intendissem, nec diu hærere, aut in dubiam trahi sententiam expertus sum, quin illud Tibi continuò sisterem, tuoque, fausta nuncupatione, Patrocinio commendarem. Quo namque meliori consilio, quaue aptiori electione, siue conditioni Pupilli Operis, siue Moralis rationi fuerat prospiciendum? Conditionis quidem intuitu, Præsidio Tui demandatur, quippe qui superum Prouidentia datus Authori Pater (vtpote in Bononiensis Obseruantium Prouinciæ Ministrum omnium Voto, & Plausu postremò Vitæ illius tempore electus) derelicto Studiorum suorum Partui Curator paterno iure succedis. Rationi verò, nam ea, quæ ad sublimioris Regularium Æthicæ partem spectant, viro inscribuntur, cuius Vitæ præstantia, morum honestas, & recta Gubernij Methodus absolutissimæ religiosæ Æthices documenta legibus exibent exemplo præmonstrant. Vera hæc Admodum Reuerende Pater, & quorum animaduersione Mantissæ huius Incolumitati, & Decori cautum abundè preclaris nominis Tui Auspicijs, nemo inficias ibit. Ampliora tamen me manent argumenta, quibus illam vni Tibi duxerim offerendam; melius dicam, quibus illectus dulciter, & atractus, vi quadam Virtutis ineluctabili oblatam voluerim. Eximiæ Animi tui Dotes, & singularia precipuarum virtutum specimina, tùm quæ priuatum virum, tùm quæ publicum Rectorem insigniter ornant, quam apud omnes Tibi compararunt, existimationem adeò profundè meo indiderunt animo; vt ex tunc, quo, fama adhuc, Te nosse, contigit, impatiens opportunitatem optarem, qua obsequij mei Tibi monumenta exhiberem. — Patere, quæso Admodum Reuerende Pater, vt meæ Deuotionis, impetui velut, in-

dulgendi

*dulgendi gratia tuæ, aduersèr Modestiæ. Ecquem, vel inuitum, vel si opus sit, inimicum, in tui obsequium, amoremque suauiter non alliciant illa morum comitas tua, qua minimis etiam facilis, peruiusque ades; Vultus tui ex corde Humanitas, qua cunctis Te præbes effusum; Singularis ea, quæ omnium penè virtutum fulgor est; Clementia, qua omnibus, vltrò, vota præueniens, imo quærens indefessus beneficia largiris? Missa facio, ea, quæ Te ad Ordinis tui, Honores, & Sublimia onera euexerunt, Gubernijque primordia tui, profectumque amabilem, & clarum præstiterunt. Diuinarum, sunt, Scientiarum, humanarumque splendor, egregia in rebus arduis Constantia, & Prouidentia, in regimine Prudentia, & Vigilantia, in Conuersatione Ingenuitas, animique Moderatio, inque Regulari Disciplina sincera, nec fucata Obseruantia. Hæc inquam sunt, quæ Tuorum ore celebrata, domesticis laribus, lucis ad instar, nescia contineri; Exterorum etiam oculis patefacta communem beneuolam reuerentiam enacta sunt: Ast quæ nec breui Oratione perstringere, aut laudare valeam, vel affectem; Viden ergo Admodum Reuerende Pater, si negligere, seù minùs quam lubenti animo arripere, post tot vota poteram ocasionem hanc intimæ testandæ Deuotionis, quæ tantis Virtutum tuarum meritis, momentisque augebatur. Meherclè si adeo graui segnitie mihi defuissem, qua fronte postrema hæc mortui Authoris piacula denegassem. Quo animo iustis hisce officijs Sancta iura, queis Ipsi teneor, defraudassem? Testis ego, non solus, humilis Eius venerationis, & amoris, quo Te viuens colebat, inque Te Patris meritum obsequens suspiciebat. Hæc proindè non infima Beatitatis ipsius portio fiet, dum è Superis [quos inter Stationem pie speramus obtinuisse] Quum mea persoluo, sua quoque impleuisse vota perspiciet. Faxit Deus, quod meis, suisque superest suffragijs, vt prospera fruerris incolumitate ad Sui laboris Patrocinium, Tuorum felicitatem, meique iucunditatem obsequij, quod asserta Benignitatis tuæ fiducia, testatum perpetuo fieri, precatur.*

# Ad Lectorem.



VIx huic Operi ſcribendo vltimam manum impoſuerat Author cum celeri Morte, licet dierum, & bene factorum plenus, ſuis ereptus Alterius cura Prælo committendum, ne tuæ ſubtraheretur vtilitati, laborem ſuum reliquit. Hinc aliena etiam indiguit vigilantia, vt à ferè neceſſarijs Typorum mendis, quantum fieri licuit, ſeruaretur imunis. Hoc tibi, Benigne Lector, ſit Monitum, vt ſi quem, quandoque errorem offenderis, qui oculos Curatoris effugerit, penè ineuitabile infortunium Operis dones orbitati, & excuſes. Quæ verò Bona excerpſeris, in Dei laudem regeras, cui Authorem precibus commendatum gratus habeto.

Vale.

APROBA-

# APROBATIONES ORDINIS.

IVbente Reuerendissimo Patre Laurentio à S. Laurentio Lectore Iubilato Sacri Montis Sion ex Guardiano, in tota Cismontana Obseru. familia, etiam Discalceatorum Vice Commissario generali Vigilantissimo, ac Reformatorum Discreto perpetuo. Ego infrascriptus accuratè legi Librum, cuius titulus est. *Mantissæ Moralis Opus Confess. Regul. Perutile*, cum studio, & labore ab Adm. Reu. Patre Fabio Cemorino de Foroliuio Almæ Prouinciæ Obseruantis Bononiæ Lectore Iubilato, ex Diffinitore, & Examinatore Synodali constructum, & cum in eo nihil repererim, quod Fidei Catolicæ, ac bonis moribus repugnet, & peracomodam omnibus fore deprehenderim, qua hic Liber refertus est subtilitatem, ideo, illum dignissimum esse censeo, qui Typis mandetur.

Dat. in Cenobio S. Hieronymi Forol. die 8. Aprilis 1717.

*Fr. Sanctes de Foroliuio eiusd. Ord. & Prouinciæ Lect. Iubilatus ex Diffinit. Guardianus eiusdem Conuentus, & Examinator Synodalis.*

DE mandato Reueren. Patris Laurentij à S. Laurentio Lectoris Iubilati, Sacri Montis Sion ex Guardiani, in tota Cismontana Obser. Familia, etiam Discalceatorum Vice Commissario Generalis Vigilantissimi, ac Reformat. Discreti Perpetui. Ego infrascriptus, vidi Librum, cuius titulus est. *Mantissæ Moralis Opus, Confess. Regularium Perutile*, ab Admodum Reu. Patre Fabio Cemorino à Foroliuio Almæ Prouinciæ Obseru: Bononiæ Lectore Iubilato ex Diffinitore, ac Examinatore

tore Synodali, elaboratum, nec in eo aliquid Sanctæ Fidei, ac bonis moribus reperi dissonum, imò solidâ doctrina repletum, qua propter dignum censeo, vt in lucem prodeat.

Dat. Forol. in Cenob. S. Hieronymi, die 8. Aprilis 1717.

*Fr. Paulus Nicolaus de Forolinio, eiusdem Ordinis, de Prouincia Lector Iubilatus.*



Frater

FRater Laurentius à S. Laurentio Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ S. P. N. Francisci Lector Iubilatus, Discretus perpetuus Ordinis, Sacræ Congregationis Indicis Consultor, Supremæ, atque Vniuersalis Sanctæ Romanæ Inquisitionis Qualificator, Sacri Montis Sion ex Guardianus, & in hac Cismontana Obseru. Familia Vice Commissarius Generalis, & Seruus.

CVm Opus compositum à R. Patre Fratre Fabio de Foroliuio Prouinciæ Nostræ Obseruantis Bononiæ Lectori Iubilato, & ex Diffinitori, cuius titulus est. *Mantissæ Moralis Opus Confessarijs Regularium Perutile*, à duobus PP. Theologis, quibus commisimus, reuisum, & approbatum fuerit, vigore præsentium facultatem eidem concedimus, quatenus, seruatis seruandis, illud Typis mandare possit.

Datum Romæ ex Araceli die 17. Aprilis 1717.

*Frater Laurentius à S. Laurentio Vice Commissarius Generalis.*

Loco ✠ Sigilli.

De mandato Suæ Reuerendissimæ Paternitatis

*Fr. Bartolomeus de Vlsinio Secretarius Generalis.*

Adm. R. P.

Adm. R. P. Alexander à S. Francisco Carmelita Excalceatus Consultor Theologicus S. Officij, examinet præsens opus, & referat, an debeat, & possit permitti Typis.

*F. Vincentius Maria Ferrerius Inquisitor Generalis Fauentiæ.*

DE Mandato Reuerendissimi D. Magistri Fr. Vincentij Mariæ Ferrerij Inquisitoris Generalis Fauentiæ vid. Opus, cuius Titulus *Mantissa Moralis Casuum &c.* elaboratum ab Adm. R. P. Fabio Cemorino Ordinis Minorum de Obseruantia, & nihil depræhendi dissonum moribus, & sanæ, ac Catholicæ Doctrinæ, immò maximè perutile Confessarijs Regularium, quapropter dignum censeo publica luce.

*F. Alexander à S. Francisco Car. Discalceatus Consultor S. Officij Fauentiæ.*

Stante predicta Attestatione
Imprimatur.

*F. Vincentius Maria Ferrerius Inquisitor Generalis Fauentiæ, & Romandiolæ.*

Mandante

MAndante Reuerendissimo D. D. Marco Antonio Paulutio ex Illustrissima Gente Calbula Iuris Consulto, Patritio Foroliuien. Prothonotario Apostolico, & in hac Diœcesi Vicario Generali. Opus iucundè percurri, & sedulò examinaui, cuius Epigraphe est: *Mantissa Moralis Casuum in Religionibus Reseruabilium*, doctis sudoribus elabratum ab Adm. Reu. P. Fabio Cemorino de Foroliuio Ordinis Minorum Regularis, Obseruantiæ Lectore Iubilato, ex Deffin., Examinatore Synodali, Theologo &c. nec in eo aduerti, quid minimum Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus aduersum, quin potiùs omnia ijs, & Veritati consona vidi, necnon clarè, doctè, & ordinatè disposita comperi, quare cum maxima Confessarijs Regularium paret Vtilitatem Typis Dignum tanti Authoris laborem iudico.

Dat. Foroliuij die 6. Iulij 1717.

*Guido Vrcellus I. V. D. & Archid. Foroliuien.*



MANTIS-

# MANTISSÆ MORALIS OPVS

*CONFESSARIJS REGVLARIVM PERVTILE.*



IN duas Partes Meam Mantissam Moralem distribui, vt altera Pars in alterius sit adiumentum, quod vt assequar, Morem geram Philosophorum, qui cum Stagirita ab Vniuersalioribus desumunt Principium, vt ad minùs vniuersalia, nimirùm ad particularia descendant. Et reuerà vix Casuum Regularium in particulari Reseruabilium possent Confessarij Claustrales notitiam comparare, nisi per Casuum Regularium Reseruationes in Communi præsupponantur illuminati; itaque hanc ordinatam methodum sequendo sit.



# MANTISSÆ MORALIS

## PARS PRIMA.

### *De Casuum Regularium Reseruationibus in Communi.*

1. REseruatio Casuum Regularium in Communi importat per se limitationem Iurisdictionis in Confessarijs Regularibus, ne à quibusdam grauioribus Culpis Religiosos sui Ordinis in Foro Conscientiæ absoluant, Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu factam, vt in disciplina Regul. contineantur. Antiqua profectò salutaris, & valdè opportuna in Ecclesia Dei, & ferè in omni Congregatione Personarum Deo specialiter addictarum semper fuit grauiorum criminum Reseruatio, vt perditi Homines, & ipsi Religiosi ab ijs patrandis coerceantur, cùm rubore suffusi pro absolutione Prælatos, & Superiores adire debeant. Connatam imbecillitatem in Hominibus cuiuscumque status, & cuiuscumque sexus, non est, quod negemus, & hæc est miserrima Hominum conditio, vt vix possint sine lapsu stare etiam perfecti, & insignis Sanctimoniæ Viri absque speciali Auxilio Dei, ideò nec mirum sit, quòd Regularis disciplinæ Professores à sublimi Religionis statu interdùm corruant, & in atrocia scelera labantur, hoc enim, ex Arcano Dei Consilio, non raro contingit, ne plùs æquo erigantur, *sed cum timore, & tremore, iuxtà Apostolum, propriam operentur salutem.* Inter Angelos, qui præstantioris sunt Naturæ, quàm Homo, Deus, *iuxtà Oraculum Iob*, reperit prauitatem, & ex illis non pauci ceciderunt, quemadmodùm in exiguo duodecim Apostolorum numero vnus Diabolus, qui fuit Iudas proditor, inuentus est, quid ergo iudicandum de Hominibus, qui velut Vasa Terrea, aut potiùs Vitrea inuicem patiuntur angustias? Quid mirandum in tanta Virorum perfectorum Copia, quòd vnus, aut alter suæ perfectionis Regulæ excidat, cum id accidisse Angelis, & Apostolis exploratum

tum

tum ſit? Numquid conſtantem, numquid imobilem Religioſi ſoli poſſunt ſibi polliceri Diuinæ Amicitię ſtatum? *Elegantèr Auguſtinus reſpondit Donatiſtis: Quantumlibet vigeat diſciplina Domus meæ, Homo ſum, & inter Homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt Domus mea melior ſit, quàm Archa Noe, vbi tantum inter octo Homines vnus reprobus inuentus eſt.* Adeò itaque humana condicio lapſibus eſt ſubiecta, vt meritò neget Crates, inter homines quempiam inueniri poſſe, qui non aliqua in parte labatur, addens, nullum reperiri Malum Punicum, in quo aliquod ſupputre Granum non deprehendatur, nec Vinum adeò bonum, quod ſuas non habeat fæces. Piè igitur *Seraphicus Doctor D. Bonauentura lib. De Sex Alis Seraphin. Cap.* 3. *concludit: Non ea laudabilis eſt Religio, in qua nullus peccans reperiatur, quia nulla huiuſmodi eſſe poteſt, ſed in qua nullus impunè peccare ſinatur, & peccandi aditus præcludatur, incorrigibiles eliminentur, & boni foueantur;* ideò ad continendos Religioſos in diſciplina Regulari, ne in peccata labantur, ſed propriæ reſpondeant Profeſſioni, prouiſum eſt à Superioribus Religionum de fræno Reſeruationis plurium Caſuum magis grauium, & frequentium, vt ſaltem metu pænę, & difficilioris Veniæ Subditi coerceantur, quandoquidem *Delicta, quæ facilè abſoluuntur, facilè etiam committuntur, & facilitas Veniæ incentiuum tribuit delinquendi. C. Eſt iniuſta* 23. *q.* 4. & iuxtà *D. Bernardum: Impunitas auſum parit, auſus exceſſum.*

2. In mea Religione Reſeruatio Caſuum eſt antiqua, & expreſſè probatur ex Auctoritate *Regulæ S. P. N. Franciſci Cap.* 7. vbi expreſsè cauetur: *Si qui Fratrum inſtigante Inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad ſolos Miniſtros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quamcitius poterunt, ſine mora.* In alijs Religionibus conſulat vnuſquiſque ſuas Conſtitutiones, & Ordinationes.

3. Viderat iam *Romanus Pontifex Clemens VIII.* quòd Superiores Regularium reſeruandi Caſus poteſtate abute-

bantur, ac modo parùm prudenti, & minùs discreto Subditos multis reseruationibus grauabant, idcircò ad leuamen, & fauorem subditorum aliquorum infirmiorum decreuit, vt infrà, ne scilicet ob verecundiam adeundi Superiores pro absolutione à reseruatis impetranda, in æternæ damnationis periculum, & spiritualem remedij desperationem adducerentur, & huic malo Sanctitas Sua opportunè prouidit, vndecim enumerans casus, quos, aut omnes, aut eorum aliquot à Superioribus Regularium posse sibi reseruari permisit, prout Subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint, decernensque regulas, & modum, quibus vti debent in reseruationibus casuum, & in eorum absolutionibus Superiores Regularium, & alia necessaria ad præsentem materiam mandans ipsis, vt obseruent, quæ omnia dabit clarè Decretum Clementinum Sedula attentione legendum à Superioribus, & est huiusmodi.

## DECRETVM SS. D. N. PAPÆ CLEMENTIS VIII.

*Super Casuum Reseruatione, ab omnibus Regularium Superioribus obseruandum.*

4. Sanctissimus Dominus Noster, qui iam pridem accuratè perpendit, & re ipsa comperit, quod reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pęnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere possit in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem. Quo circa, vt huic malo Sanctitas Sua opportunè prouideret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus, peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quę sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout Subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

I. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

II. Apostasia

II. Apoſtaſia à Religione, ſiue Habitu dimiſſo, ſiue retento, quando eò peruenerit, vt extrà Septa Monaſterij, ſeu Conuentus fiat Egreſſio.

III. Nocturna, & furtiua è Monaſterio, ſeu Conuentu Egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

IV. Proprietas contrà Votum Paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

V. Iuramentum falſum in Iudicio Regulari, ſeu legitimo.

VI. Procuratio, Auxilium, ſeu Conſilium ab Abortum faciendum poſt animatum Fœtum, etiam effectu non ſequuto.

VII. Falſificatio Manus, aut Sigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus.

VIII. Furtum de Rebus Monaſterij, ſeu Conuentus, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

VIIII. Lapſus Carnis voluntarius Opere conſummatus.

X. Occiſio, aut Vulneratio, ſeu grauis Percuſſio cuiuſcumque Perſonę.

XI. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio Litterarum à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura diſcuſſione, & conſenſu.

Non liceat Superioribus Regularium Confeſſiones Subditorum audire, niſi quando peccatum aliquod Reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſponte, aut proprio motu id ab ipſis petierint.

Superiores in ſingulis Domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro Subditorum numero maiori, vel minori; ijque ſint Docti, Prudentes, charitate præditi, qui à non Reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam Reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit.

Tàm

Tàm Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superioritatis Gradum fuerint promoti, caueant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad Exteriorem Gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pęnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à Confessarijs imponendas, quæ Subditos ab eiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, obseruari mandauit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis Concilij, etiam Generalis, Decretis; necnon Consuetudinibus ab immemorabili etiam tempore obseruatis; aut Regulis in Generalibus, seu Prouincialibus Capitulis editis, Statutis, & Constitutionibus, etiam Apostolica Auctoritate confirmatis; Priuilegijs, Indultis, & Concessionibus quibuscumque. Quorum Tenores hìc pro expressis haberi voluit, cęterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 26. Maij 1593.

*Andreas Sorbolongus Secretarius Visitationum.*

5. SEd numquid Casus Regulares, ante Decretum Clementinum Reseruati, remanebunt tales per hoc nouum Decretum?

℞. Cum probabiliori Sententia, quod non, eò quia virtute, & efficacitate Decreti Clementini fuerunt reuocatę, & annullatę Reseruationes antiquę in Religionibus factæ, nisi denuò iuxta formam, & tenorem dicti Decreti renouentur, etenim contrà Mentem *Clementis VIII.* nimijs grauarentur Reseruationibus Subditi, qui sunt animo infirmiores, & adducerentur in Æternæ Damnationis periculum. Tum quia patet ex illis Verbis in principio Decreti *Et re ipsa comperit* iuxtà Relationem Beię part. 3. Casu 16. §. Extat tandem, qui tunc temporis existebat Romæ, &

mæ, & erat Teſtis quaſi ocularis; & magis clarè conſtat ex Clauſula illa pregnantiſſima in fine Decreti Derogatoria quibuſcumque Regulis, Conſtitutionibus, & Conſuetudinibus, Reuocatio, & Caſſatio antiquarum Reſeruationum, quæ factæ fuerant in Religionibus ante Decreti Clementini Editionem.

6. Fortè ne omnes vndecim Caſus enumerati in Decreto Clementino remanent Reſeruati apud Regulares?

℟. Quòd ſecundum omnes Doctores dicantur potiùs Reſeruabiles, quàm Reſeruati, vt conſtat ex verbis illis Pontificijs *Exceptis ijs, qui ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot*, in quibus Optio datur Regularium Superioribus, dummodò ſeruanda ſeruent, reſeruandi ſibi peccatorum abſolutiones, & de facto in aliquibus Religionibus duo, vel tres dumtaxat Caſus reſeruantur, & non omnes vndecim enumerati, quoniam ſi dura, & aſpera aliquibus Subditis animo infirmioribus videtur vnius, ac alterius Caſus Reſeruatio, adeò vt interdum formident Superiori Maculas ſuæ Conſcientiæ detegere, & malint Sacrilegia committere, quàm confiteri eiſdem, quid inde foret, ſi omnes vndecim eſſent de facto Reſeruati, & non ſolùm Reſeruabiles? Reſpexit ergo Summus Pontifex non tantùm ſalutem, & vtilitatem Religioſorum Subditorum, ſed etiam eorum imbecillitatem, & infirmitatem, dum non obligauit neceſſariò Superiores ad faciendam omnium vndecim Caſuum Reſeruationem, ſed ſolùm permiſit, quòd aut omnes, aut eorum aliquot ſibi reſeruarent, prout Subditorum Vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

7. Sed poſſunt ne Superiores in facienda Reſeruatione ampliare, vel reſtringere Caſus Decreti Clementis VIII.?

℟. Poſſe quia expreſsè non prohibetur in Decreto, poſſunt enim eos ampliare v. g. dicendo Lapſus Carnis, & Tactus impudicus, & P. Sorbus in Compend. Priuil. Tit. Abſolutio Ordin. quoad Fratres teſtatur, hoc ſibi declaratum fuiſſe ab eodem Papa; poſſunt etiam eos reſtringere v. g. dicendo Copula Carnalis, quia iuxta di-

ctum

ctum *Philosophi: Contrariorum eadem est disciplina, & iuxtà Regulam Iuris 63. in 6. Cui licet, quod est plus, licet etiam quod est minus*, sed Papa Superiorum Regularium arbitrio remittit Reseruationem totius alicuius Casus, ergo & Reseruationem partis eiusdem Casus.

8. An autem extrà Casus vndecim enumeratos possint Regularium Superiores aliquem alium sibi reseruare?

℞. Quòd vtique possint, sed ad hoc vt Reseruatio sit legitima, seruanda omninò est forma iniuncta à Decreto, & est huiusmodi: *Si quod aliud peccatum graue pro Religionis Conseruatione, aut pro Conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu*. Notanter verò dixit *Clemens VIII. Si quod aliud*, ad denotandam videlicet paucitatem peccatorum, ideò non dixit, si quæ alia, & illa Vox *Aliud* significat in Iure similitudinem, & est implicatiua cum antecedentibus, quando non antecedit aliquod incompatibile, quare peccata Reseruanda debent esse similia parùm minùsue peccatis præfixis à Pontifice, sicuti si loco Noni Casus Reseruati, qui est Lapsus Carnis voluntarius opere consumatus, apponantur Tactus impudici, vel si apponantur hæc Verba & quidquid est contrà Votum Castitatis, quod in actum externum prodeat. Dixit ly *peccatum graue*, & ideò nullius momenti foret Reseruatio facta alicuius peccati Venialis, tamquam facta contrà Legis prohibitionem *L. Non dubium C. De Legibus*; si ergo aliquod aliud peccatum graue pro conseruatione status Religiosi, ac pro Animarum vtilitate *reseruandum videbitur*, tunc seruandus erit in Reseruatione facienda Modus, quem Clemens exprimit Verbis immediatè sequentibus; at priùs est aduertendum ly *Videbitur*, quòd Rei veritatem, vt est, non denotat, sed interpretatiuè dumtaxat eam significat per *Gloss. in l. 1. §. Deiecisse Verb. Videor ff. De Vi, & Vi Arm.* propterea quando huiusmodi Reseruatio videatur tendere in Conseruationem Status Religiosi, & in Animarum vtilitatem, licet de facto non tenderet, adhuc Reseruatio,

ratio ob illam Dictionem *Videbitur* non erit ipso Iure nulla, benè quidem quando cognoscatur facta in destructionem potiùs, quàm in ædificationem, statim erit irritanda iuxtà ea, quæ habentur *in Concilio Tridentino Seſſ.* 14. *De Caſibus Reſeru. Cap.* 7.

9. Verùm quinam Modus ſeruandus ſit à Regularium Superioribus in facienda alicuius grauis peccati Reſeruatione?

℞. Quòd ille Modus ſit ab ijs ſeruandus, quem præſcribit Decretum Pontificium, ſicut in num. antecedenti, quapropter non per ſe, & propria auctoritate à Regularium Superioribus facienda eſt Reſeruatio, ſicuti fiebat ante Decretum, ſed attendenda ſunt Verba Clementina, & ſunt: *Id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura Diſcuſſione, & Conſenſu*, requiritur quippe Conſenſus Patrum in Capitulo Generali, aut in Capitulo Prouinciali Conuenientium pro Electione ibi facienda, vel cum Conſenſu maioris partis Patrum Vocalium ibidem Congregatorum, & requiritur ſimul matura Diſcuſſio, ideſt ſeria, & diligens examinatio facienda à dictis Patribus in Capitulo Generali, vel Prouinciali congregatis, an ſcilicet huiuſmodi peccati grauis Reſeruatio tendat reuerà in ædificationem, & non in deſtructionem. *Et id non aliter fiat*, ideſt ſi omnia prædicta non concurrant, Reſeruatio facta cenſetur Nulla, cùm ly *Id non aliter fiat* ſit Clauſula Irritatoria, quæ, ſi non ſeruetur, inducit nullitatem actus, & carentiam Formæ ſubſtantialis in hoc Decreto præſcriptæ à Summo Pontifice, ita Doctores communiter.

10. Dices: Hæc Prohibitio Pontificia, ne Superiores Regularium aliud graue peccatum ſibi reſeruent extrà Capitulum, videtur in aliquibus Religionibus non eſſe in vſu recepta, ſæpè enim contingit, pro bono Regimine Religionis, & pro impediendis maximis incommodis neceſſariò eſſe reſeruandos aliquos Caſus particulares, abſque eo quòd expectetur Capitulum.

℞. Vix credi, quòd talis praxis ſit in Religionibus,

quæ si reuerà esset, tollenda foret, & Reseruatio extrà Capitulum Generale, vel Prouinciale, seu non expectato Capitulo facta tunc esset inualida, prout contrà Legem irritantem facta; Lex ergo Pontificia non pendet ex Acceptatione, sed ipsa Lex ex se obligat, vt acceptetur, cùm sit lata ad bonum Regimen Religionum, & ad impedienda maxima in ipsis incommoda, contrarium verò asserere esset plusquàm temerarium ex Suarez. Tom. 4. De Relig. lib. 2. cap. 18. n. 16.

11. At poterit ne in Capitulo Generali, aut Prouinciali Casus specialis reseruari pro vno tantùm, vel pro duobus Conuentibus?

℟. Cum Sententia Probabiliori, quòd sic, si Reseruatio pro illo, vel pro illis duobus Conuentibus expediens iudicetur, & ad bonum Regimen conducat, nec enim Pontifex præscribit in Decreto, vt peccatum sit necessariò reseruandum pro tota Religione, aut pro tota Prouincia, sed solùm inquit: *Si quod aliud peccatum graue pro Religionis Conseruatione, aut Conscientiæ puritate reseruandum videbitur*, potest autem pertinere ad conseruationem Religionis, aut ad Conscientiæ puritatem, quòd Reseruatio alicuius specialis peccati fiat pro vno solum, vel pro duobus Conuentibus, & non pro alijs, videlicet quia in illo, vel in illis duobus Conuentibus maiora sunt pericula, & ideò necesse est, quòd Prælatus ibi seueriùs præcipiat aliquid, vt obseruetur, & hoc redundat in Conseruationem Religionis, & Disciplinæ Regularis, sicuti in Conseruationem totius Corporis cedit Conseruatio vnius Membri. Nec refert, quod id non fiat pro tota Prouincia, cùm satis sit, quòd fiat in aliqua parte eius, quidquid enim Prouincialis facit in vno, vel in duobus Conuentibus suæ Prouinciæ, verè dicitur facere in sua Prouincia, nec aliud Summus Pontifex requirit, nisi quòd Reseruatio fiat cùm matura Discussione, & cum Consensu Capituli, quemadmodùm ex Verbis Decreti benè consideratis, & intellectis colligitur, ita Suarez Tom. 4. ad 3. p. D. Thomæ disp. 29. sect. 3. num. 12.

12. Num

12. Num verò extrà Capitulum Generale, vel Prouinciale liceat Superioribus Regularium aliquibus peccatis in Decreto Clementino non contentis Censuras annectere, & earumdem Absolutionem sibi reseruare?

℟. Non licere, alioquin redderetur inutilis Fauor Religiosis Subditis factus per hoc Decretum, quo *Clemens VIII.* voluit obuiam ire nimiæ Reseruationi, imprudentiæ, & indiscretioni quorumdam Superiorum Regularium, qui plura minutissima sibi reseruabant peccata, & intendit consulere Subditorum Pęnitentium Infirmitati, Studio Salutis æternæ, quod non assequeretur Clemens, si Superioribus hoc liceret extra Capitulum Generale, vel Prouinciale, *eò quod inquit Clemens in Proemio Decreti, Reseruatio facultatis absoluendi Religiosos Pęnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudenter, & moderatè illa vtantur, nonnullos Infirmiores, qui interdum Superiori suo Conscientiæ Maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem*, hæc autem ratio procedit in Reseruatione Censurarum, cùm tàm ex multiplicitate Reseruationis Casuum, quàm Censurarum idem prorsus sequatur absurdum in detrimentum Subditorum Infirmiorum, ergo pro tollendo hoc absurdo intentio Clementis est, quòd sub nomine Casuum etiam Censuræ Reseruatæ comprehendantur, ita quòd licet Censura, & Casus sint diuersa, sicut & diuersa est Absolutio, quoad Reseruationem tamen sint idem, & eadem comprehendantur prohibitione, consequenter cum prohibitum sit Superioribus Regularium extrà Capitulum Generale, vel Prouinciale plures Casus præter vndecim relatos, posse sibi reseruare, etiam plures Censuras posse sibi reseruare erit prohibitum. Tum quia si Superiores Regularium possent sine matura discussione, & consensu Capituli Generalis, vel Prouincialis reseruare sibi Censuras, ratione Censuræ appositę, iam illud peccatum Reseruatum maneret, & sic videretur quid inuentum, & excogitatum in fraudem Legis Pontificiæ prohibentis, absque Capituli Generalis, vel

Prouincialis matura Discussione, & Consensu reseruari alia peccata præter vndecim expressa, *quæ verò facta sunt in fraudem Legis, non tenent L. Si Libertus Minorem ff. De Iure patr.* Dixi autem, quòd ratione Censuræ appositæ iam illud peccatum Reseruatum maneret, quoniam Censura secundùm omnes Doctores ita afficit peccatum, cui inhęret, vt in sui naturam illud conuertat, & hinc fit, vt eodem modo sit Reseruatum peccatum, sicuti est Reseruata Censura. Tum quia Sententia P. Suarez cit. num. 13. & aliorum paucorum redditur omninò insubsistens, & impracticabilis saltem post quamdam *Declarationem Sacræ Congreg. Die 7. Iulij* 1617. emanatam, etenim cùm à quibusdam Regularibus dubitatum fuerit. *An in Decreto Clementis Papæ VIII. de anno* 1593. *26. Maij super qualitate Casuum ab eorumdem Regularium Superioribus Reseruandorum edito, Censuræ etiam comprehenderentur, itaut iisdem Superioribus absque Capituli Generalis, aut Prouincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto huiusmodi non contentis Excommunicationem annectere, eiusdemque Absolutionem sibi reseruare liceat? Sacra Congregatio Cardinalium Negocijs Regularium Præposita, Illustrissimo Bandino referente, Censuras in supradicto Decreto comprehendi censuit. Romæ die 7. Iulij 1617.* Huic declarationi standum est.

13. Fatetur tamen ipsemet Suarez ibidem, quòd quando reseruatur Casus habens annexam Excommunicationem, tunc Reseruatio cadat supra Culpam, & Censuram, siquidem Censura non imponitur nisi propter grauitatem Culpæ, neque Culpa indigeret Censura, & eius Reseruatione, nisi esset grauis, vnde concludit, & consulit, in facto non esse vtendum sua Opinione, sed Nostra sic scribens: *Quare si ita fiat, non censeo, hoc per se prohibitum ex vi huius Constitutionis, quamquàm melius censebimus id non facere sine speciali Capituli consensu ad omnem dubitationem tollendam*, hactenus Suarez; & hæc Doctrina maximè est obseruanda à Superioribus Regularium, cùm plures eam penitùs ignorent ex Mastrio disp. 21 q. 9. art. 1. n. 225.

14. Aduer-

14. Aduertendum propterea est, quòd Decretum Clementinum non tollit Superioribus Regularium potestatem ferendi Censuras, quam habent ante Decretum, sed tollit potestatem reseruandi sibi Censuras sine matura Discussione, & Consensu Capituli Generalis, aut Prouincialis, eò quòd per Reseruationem Censurarum remanent etiam indirectè Reseruata peccata, quorum Absolutio dependet ab Absolutione Censurarum, quæ sunt affixæ peccatis, cùm ergo necessarium sit pro Absolutione à Censuris Reseruatis adire Superiorem, etiam pro Absolutione à peccatis, quibus Censuræ inhærent, erit necessarium Superiorem adire, vnde quando Superiores Regularium aliquid faciendum, vel non faciendum sub pęna Excommunicationis ipso facto incurrendæ præcipiunt, tunc talis Censura non est Reseruata, sed à quolibet Sacerdote absolui potest, & est solùm Reseruabilis, fit autem Reseruata, accedente matura Discussione, & Consensu Capituli Generalis, vel Prouincialis iuxtà *Clementem VIII.* ex Iunipero De Casibus Reseru. part. 1. disp. 2. q. 3. cap. 3. num. 9.

15. Dices: Decretum Clementinum non discordat ab alijs Legibus, quæ generaliter latæ Casus particulares tàm in ligando, quàm in absoluendo comprehendere non intendunt, & hoc constat ex Doctrina *Scoti in* 1. *dist.* 44. *qu. vnic. litt. D.* & coadiuuant multi Textus in Iure, quia vniuersaliter quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, & remedio *Cap. Insinuante De Offic. Deleg.* hinc si Casus particularis eueniat, qui Disciplinæ Regulari valdè aduersetur, vel Scandalum causet, v.g. si clamorosa insinuatio ferat, quòd in aliquo Conuentu sint Religiosi ludo Alearum nauantes, vel aliquã Domum suspectam frequentantes, & Superiori inquirenti nolint alij Religiosi reuelare defectuosos, cur non poterit Superior, non expectato Capitulo, Excommunicationem contrà eos ferre ipso facto, eamque sibi reseruare pro bono Regimine Conuentus?

℞. Vt suprà, posse quidem in aliquibus Casibus particularibus, qui sepè contingunt, Superiorem ferre Excommunicationem, sed non ipsam sibi reseruare extrà Capitulum

tulum

tulum Generale, vel Prouinciale, cùm post Scotum, & Textus Iuris obstet *Decretum Clementinum*, quod est nouissima Regula pro Superioribus Regularium. Quare ipsemet *Scotus in 4. dist. 19. q. 1. litt. L.* contrà Superiores imprudentes, & nimis faciles ad infligendam Excommunicationum inuehitur sic: *Et sic excluduntur quædam pericula, quę proueniunt ex pronitate quorumdam Fatuorum ad excommunicandum; frequens siquidem est huius Gladij percussio, qui tamen rarò ab Apostolis inuenitur extractus. In omnibus enim Epistolis Pauli non inuenies, quòd excommunicauerit, nisi tribus Vicibus: primò 1. ad Corinth. 5. Idem in 1. ad Timoth. Idem ad Galatas.*

16. Verùm potest ne Superior Generalis cum consensu Patrum Capitulariter congregatorum reseruare sibi aliquos Casus, alios Prouincialibus, alios Superioribus Localibus? Et posito hoc, potest ne quilibet Prouincialis, pro sua Prouincia in suo Capitulo alios casus sibi, & alios Superioribus Localibus reseruare?

℟. Quòd vtrumque possit licitè fieri, atque concedatur à Decreto Clementino in illis Verbis *Id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura Discussione, & Consensu*, & quòd ità factum fuerit à Patribus Minoribus Conuentualibus S. P. N. Francisci, testatur Bartoluccius in suo Speculo Regul. ad cap. 7. Regulæ, & magis constat in eorumdem Constitutionibus Vrbanis Pag. Mihi 203. vbi Casuum Reseruatio sic distribuitur, nimirùm sex determinati Casus reseruantur Superiori Generali, quinque Superiori Prouinciali, tres Custodi, & tres Guardiano.

17. Quid dicendum, si Superior Localis cum Capitulo Conuentuali Casum aliquem reseruaret?

℟. Quòd stante Decreto Clementino nullius esset Momenti Reseruatio facta, est enim Reseruatio facienda à Superiore Consensu Capituli Generalis, vel Prouincialis, cùm soli Generales, & Prouinciales conuocent huiusmodi Capitula, & possint petere consilium, & consensum in dictis Capitulis, non autem Superiores Locales. Idem

etiam

etiam dicendum eſt, ſi Regulares Prouinciali Capitulo careant, ſicuti referentibus Megala, & Duardo eſt in Congregatione Clericorum Theatinorum, quia Capitulum Domus non ſuccedit loco Capituli Prouincialis, nec vnum dicitur habere alterius vires, & facultatem, ſed in vtroque militat diuerſa ratio, *L. Papinianus Exult ff. De Minor*; & ad hoc facit etiam *Concilium Tridentinum Seſſ. 24. De Reform. cap. 2.* vbi Synodus Diœceſana non ſuccedit loco Synodi Prouincialis quoad Diœceſes nulli Epiſcopo ſubiectas, qua propter pro Referuatione recurrendum eſt ad Capitulum Generale.

18. At numquid Patres Vocales poſſunt, *Forma Decreti Clementini non obſeruata*, eſſe contenti, vt Superiores Maiores ſibi referuent Caſus propria auctoritate, & quoties ipſi Superiores voluerint?

℟. Quòd non, eò quòd illud vulgare Axioma, quo vnuſquiſque dicitur poſſe renunciare Iuri ſuo, verificatur ſolum de Iure, & Fauore priuato, non verò quando Lex introduxit illud in fauorem Boni publici, cuiuſmodi eſt Decretum Clementinum emanatum in fauorem publicum, cui nemo poteſt renunciare *cap. Si diligenti De Foro compet. L. Iuſpublicum ff. De Pactis*, & quia Renunciatio hęc præiudicaret alijs, proinde eſſet irrationabilis, & multò magis præiudicaret Subſtantiæ, & Formæ Decreti, quod eſt omninò ſeruandum, & ità ſentit Megal. lib. 1. cap. 12. num. 10.

19. Sed numquid extrà Capitulum Generale, vel Prouinciale poterit Superior Regularis ſibi reſeruare Caſus pro Monialibus Subditis?

℟. Quòd etiam extrà Capitulum poſſit ſecundùm Opinionem Multorum, neque enim opus eſt, vt Superior hoc faciat cum Capitulo, nam Moniales non habent Vſum Capituli, proinde ſine Conſenſu Capituli poterit Superior Regularis ſibi reſeruare Caſus pro Monialibus ſuæ Curæ ſubiectis, etenim ſolùm cautum eſt in Iure, ſeu in Decreto Clementino, quomodò fieri debeat Reſeruatio Caſuum pro Hominibus Regularibus Subditis, non verò pro

Monia-

Monialibus suo Regimini subiectis, quæ non habent Vsum Capituli, ità Bordonus, & Pelizarius de Monialibus cap. 10. Sect. 1. num. 40.

20. Si autem obiter, & ex abrupto in Capitulo Generali, vel Prouinciali fieret alicuius Casus Reseruatio, an esset Valida?

℞. Quòd adhuc valida foret, estò facta sine matura Discussione, dummodò Reseruatio reuerà vergeret in Bonum Religionis, & in Conseruationem ipsius, nam matura Discussio, ideò requiritur per Decretum Clementinum, vt Reseruatio fiat in ædificationem, & non in destructionem *iuxtà Concilium Tridentinum*, cùm ergo hic habeatur effectus intentus, non est, cur curemus de Modo iuxtà Duardum disp. 8. Sect. 11. num. 29.

21. Quinam verò sint Superiores Regularium, qui in Capitulis possunt sibi reseruare Casus?

℞. Quòd sint Generales, Prouinciales, Abbates, aliique immediati, nempe Priores, Guardiani, Rectores, & Præfecti, & isti possunt sibi reseruare Casus pro suis Subditis ad præscriptum Decreti Clementini, cùm habeant Iurisdictionem quasi Episcopalem super suos Subditos, & Curam eorum gerant tamquam Pastores Ordinarij, & ita habetur ex Consuetudine, necnon Priuilegio Alexandri VI. pro Minoribus; limitatur tamen hoc, videlicet nisi per Constitutiones Religionis ablata fuerit huiusmodi Potestas Prælatis immediatis, prout Guardianis Nostris De Obseruantia ablatam fuisse refert Rodericus Tom. 1. q. 21. art. 2., nam in Capitulo Nostro Generali celebrato *Assisij anno* 1526. sequens Statutum Auctoritate Apostolica factum est: *Ordinatur, & mandatur Auctoritate Apostolica, & totius Capituli Generalis, quòd nullus Guardianus possit sibi reseruare Casum aliquem, sed solus Minister Prouincialis id poterit*. Quòd verò Generalis, & Prouincialis Iurisdictionem habeant quasi Episcopalem supra suos Subditos, ita existimat verùm Rodericus cit. vt dicat, quòd sicut hereticantur dicentes, quòd Episcopi non possunt sibi reseruare Casus in Foro Conscientiæ, ita & hereticari videntur negantes

gantes istam Authoritatem dictis Prælatis Regularibus.

22. Sed numquid Prouincialis in potestate reseruandi Casus subordinatur Generali?

℞. Quòd sic, & hanc potestatem Iure ordinario habet à Generali, cui immediatè subijcitur, cùm ab eo confirmatur iuxtà Mirandam, & Sigismundum Dub. 46. tum quia Prouincialis, cùm sit Inferior Generali, ex Officio debitæ subordinationis subijcitur ei in omnibus, quæ spectant ad suum Munus, ergo ipsius Potestas potest restringi à Generali, qui est eius Superior; tum quia ratione, Subiectionis, & Dependentię tenetur Prouincialis in omnibus obedire Generali. An verò possit Generalis interdicere Prouinciali potestatem reseruandi Casus? Dicas, posse, si Prouincialis non seruet Formam in Decreto Clementino præscriptam, aut sua abutatur potestate in præiudicium Animarum Subditorum, immò si potest Generalis ex iusta causa deponere Prouincialem *cap. Monachi de statu Monach.* vt refert Sigismundus Dub. 49. num. 4., cur non poterit etiam ex iusta causa tollere ipsi potestatem reseruandi Casus, quod est minus?

23. Peccabunt ne mortaliter Superiores Regularium negligentes facere Reseruationem, & poterunt ne eam aliquo modo supplere?

℞. Peccare mortaliter, & eam supplere non posse, cùm extrà Capitulum iuxtà Decretum Clementinum non possint sibi reseruare Casus; peccare, inquam, mortaliter eò quòd deficiunt in re graui, dantque occasionem Subditis liberiùs peccandi, & ideò negligentes rem maximi momenti, quæ spectat ad Officium suum, sunt maximè Rei apud Deum, ita Graffius lib. 4. Append. cap. 4. num. 24.

24. Quandonam Reseruatio Casuum facta à Superioribus Regularium incipit ligare Subditos?

℞. Quòd statim facta Promulgatione incipiat ligare Subditos, non solùm quoad peccata ante Promulgationem commissa, & nondum remissa per Absolutionem, verùm etiam quoad committenda deinceps; nam quod statim liget facta Promulgatione, constat, eò quòd ad modum alia-

rum Legum humanarum incipit tunc obligare, quando promulgatur, ſic omnes Canoniſtæ, & Theologi cum *D. Thoma* 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. *ad* 4. apud Floronum part. 1. De Caſibus Referu. Cap. 3. n. 16., vnde etiamſi Sacerdos certò ſciret, factam fuiſſe Reſeruationem alicuius Caſus, ſi non fuerit promulgata, poteſt Pęnitentem abſoluere à tali peccato; quòd autem huiuſmodi ligatio referatur ad quæcumque peccata commiſſa, & committenda ante Promulgationem, patet, quia in Reſeruatione non attenditur præcisè tempus, quo fit Reſeruatio, ſed tempus, quo per Abſolutionem tollitur, & cùm tunc intelligatur iam reſtricta Iuriſdictio Confeſſarijs in actu Promulgationis, conſequens eſt, vt peccatum antecedens Promulgationem, confeſſum, poſt Promulgationem, ſit Reſeruatum ex Florono cit. num 17. Dixi etiam *nondum remiſſa per Abſolutionem*, eò quòd ſi quis præuideat Promulgationem, poteſt anticipare Confeſſionem, etiam hoc prætextu, vt euitet Reſeruationem promulgandam, nam ſic faciendo vtitur Iure ſuo, & non tenetur expectare, quòd Reſeruatio fuerit promulgata, quia id nullo Iure cauetur.

25. Quid ſi Religioſus in Confeſſione omiſerit peccatum, quod poſteà factum eſt Reſeruatum à ſuo Superiore Regulari, an quando repetitur in Confeſſione, cenſeatur Reſeruatum?

℟. Quòd vel culpabiliter, vel inculpàbiliter omiſit tale peccatum in prima Confeſſione; ſi culpabiliter, vtique cenſetur Reſeruatum, tum quia illa prima Confeſſio fuit nulla, & ſic nullum produxit effectum; tum quia dolus, & malitia nulli prodeſſe debet, ex vulgatis Iuribus; tum quia in ſecunda Confeſſione habet adhuc totam Conſcientiam illius peccati ex nulla parte remiſſi. Si autem inculpabiliter, non cenſetur Reſeruatum, tum quia Reſeruatio ſolùm ligat eos, qui habent Conſcientiam peccati mortalis, cùm id ſolùm ſit materia Reſeruationis, ſed qui inculpabiliter omiſit aliquod Mortale, eius Conſcientiam non habet, cum remiſſum fuerit in priori Abſolutione, quę tantæ eſt efficaciæ, vt ſe extendat ad quæcumque Mortalia

lia etiam inculpabiliter omissa, ergo non censetur innodari Reseruatione; & licet Pęnitens illud peccatum omissum inculpabiliter teneatur confiteri, id tamen non euenit, quia non fuerit remissum, sicut remissa fuere alia expressa in Confessione, sed ideò repetit omissum, vt perficiatur, & compleatur Sacramentum, & ipse directā consequatur Absolutionem, ergò cùm sit idem Sacramentum, ac prius, & non subijcebatur Iudicio Reseruationis, ita neque subijcitur complementum. Tum quia sicut qui recordatur peccati inculpabiliter obliti, non impeditur à susceptione Eucharistiæ, habens animum illud repetendi postea in futura Confessione secundùm plures Doctores, ita nec impeditur, quin possit absolui.

26. Quænam Peccata à Superioribus Regularium possint in Capitulis reseruari?

℟. Quòd loquendo de Peccatis Venialibus, non possint à Superioribus Regularium ea reseruari in Capitulis, eò quòd Reseruatio Venialium non facit ad seruandam Disciplinam Regularem, quæ est finis Legis, cum etiam Iusti sæpiùs incidant in Venialia, nec labefactent Disciplinam Regularem, cessante autem Fine Legis, cessat & ipsa Lex cum Communi Sententia. Tum quia inutilis prorsus foret Venialium Reseruatio, cùm sint materia libera Confessionis, & nemo ad Peccatorum Venialium Confessionem obligetur *cap. Omnis Extra De Pęnit. & Remiss.* & possit alia Via, quàm Sacramento eorum Veniam impetrare. Tum quia numquam in Ecclesia Dei inducta est Reseruatio Venialium, immò Lupus De Calibus Referu. part. 1. Dist. 1. Diff. 2. n. 2. inquit, *ex Decreto Sacræ Congreg.* super Absolutione à Reseruatis Venialia nunc reseruari non posse, qua propter vt fiat Reseruatio, Crimina debent esse atrociora, & grauiora *iuxta Synodum Tridentinum Seß.* 14. *cap.* 7. *& iuxta Clementis VIII.* Decretum, vbi dicitur: *Si quod aliud peccatum graue.*

27. Neque valet, si dicas, quòd *à Clemente VIII.* Reseruationi exponatur tùm Retardatio Litterarum ad Superiores, tum Egressio nocturna è Monasterio, qui tamen duo Casus

possunt esse non mortiferi: Non inquam, valet, eò quòd dicti duo Casus *à Clemente VIII.* Reseruationi tunc verè exponuntur, quùm animi improbitatem, & Scelus habent adnexum, Regularemque lædunt Disciplinam.

28. Loquendo de peccatis Dubijs, non possunt hæc à Superioribus Regularium reseruari, tum quia Delictum Dubium non est Delictum simpliciter, sed solùm secundùm quid, & cùm Reseruatio sit odiosa, strictè est accipienda, & restringenda est ad Casus certos, & non dubios; tum quia in Dubijs melior est conditio Possidentis, dubitans autem in hoc casu est in possessione petitæ, & expectitæ Absolutionis, & Confessarius, licet Inferior, est in possessione suæ Iurisdictionis, seu Reseruatio non est in Possessione Casus Dubij, dubitans verò est in possessione non Reseruationis. Neque valet, si dicas, quòd in Dubio tutior pars est eligenda; non, inquam, valet, nec enim tutior pars semper est eligenda, sed sufficit eligere tutam, quæ scilicet ex practicis, & certis rei principijs est desumpta. Alioquin illa Regula continet potiùs Consilium, quàm Præceptum, teste Nauarro in Man. cap. 27. n. 281. Tum quia *ex Regula II. cùm Partium Iura sunt obscura, Reo fauendum est*, ita Floronus cap. 5. n. 30., hinc Confessarius à Casu Dubio absoluere potest, vt multis citatis docet Bonaccina qu. 7. De Pęnit. §. 4., licet loquendo de Casibus siuè clarè, siue dubiè contentis in Bulla Cęnę Domini prohibitum sit *à Clemente VIII.*, ne quis Confessarius virtute Priuilegiorum ab ijs possit absoluere.

Loquendo de peccatis Mortalibus merè Internis, non possunt hæc à Superioribus Regularium reseruari in Capitulis, siquidem, ex communi Proloquio, Ecclesia de Internis Actibus non iudicat, sed illos Dei Iudicio relinquit, qui solus Cordium, & Renum Scrutator est *primo Regum 16. Psalm. 7.* ac talis est communis Vsus Ecclesiæ, quòd peccata merè Interna non reseruentur, nec enim Blasphemia interna, nec Homicidium internum, nec Hæresis interna reseruantur, sed à quolibet approbato Confessario absoluuntur. Tum quia Reseruatio peccatorum

merè

merè internorum cederet in graue damnum, & inextricabilem anxietatem Fidelium, nam peccata Cordis sunt frequentissima, & sunt occultissima, adeò vt Homo vix secum discernere possit, an consenserit, necne, essetque Reseruatio intolerabile Onus non solùm Pœnitentibus, qui cum huiusmodi Scrupulis frequentissimè deberent recurrere ad Superiores, sed etiam esset graue Onus ipsismet Superioribus, sic Sententia Communior.

Loquendo tandem de peccatis Mortalibus Externis, hæc vtique à Superioribus Regularium possunt, ac debent reseruari, si sint exteriùs consummata, & completa, tum quia Reseruatio, vtpote odiosa, est strictæ Interpretationis; tum quia quando Lex prohibet aliquod Delictum, intelligitur semper de Delicto exteriùs consummato, & perfecto, & non solùm exteriùs inchoato, vnde non sufficit ad Reseruationem incurrendam quæuis actio externa mortaliter mala, sed debet habere vltimam consummationem, nisi tamen Superior Legislator contrarium exprimeret in Littera, v. g. si exprimeret in Reseruatione attentationem solam Criminis atrocis, nudumque Conatum, secluso effectu, & consummatione, & tunc Reseruatio facta à Superioribus Regularium in Capitulis iuxtà Formam præscriptam *a Clemente VIII.* esset obligatoria. Quare non sufficit Opus externum, si non sit materia secundùm se sufficiens ad peccatum Mortale, quàmuis animus internus fuerit peccandi lethaliter, sic Reseruato furto, non erit Casus Reseruatus, si quis, animo accipiendi multum, accipiat parum per se sufficiens ad materiam notabilem peccati Mortalis, sed requiritur, quòd actio externa habeat secundùm se grauitatem sufficientem ad peccatum Mortale, ita Homobonus part. 1. cap. 3. Assert. 2. Bonaccina, Sanchez, Suarez, & alij.

29. An Superiores Regularium Reseruationibus suorum Casuum innodentur?

℟. Quòd non, & est Sententia magis Communis, quia non possunt se ipsos ligare, ne valeant confiteri, cui voluerint. Tum quia est commune Dictum apud Theologos, quòd



quòd Legislator teneatur quidem *Vi directiua*, nimirùm vt Reipublicæ Caput suis Membris conformetur, ab obseruantiam suarum Legum, sed non *Vi coactiua*, eò quòd nullus contrà se ipsum potest ferre iudicium, nec potest in proprio facto esse Iudex, si contra Legem suam quid agat, ex *D. Thoma 2. 2. q. 96. art. 5. ad 3. Tum quia cessante causa Legis cessat & ipsa Lex*, causa autem, propter quam fertur Reseruatio, est, vt grauiores Causæ deferantur ad Iudices Superiores, & vt ex difficultate Veniæ ab ijs obtinentæ contineantur Homines scelesti à peccatis, & præseruentur à recidiuis, sed hæc ratio cessat omninò respectu Superiorum ferentium Reseruationem Casuum, ergò & cessabit ipsa Lex cum Florono, Cabrino, Graffio, Diana De Legibus part. 1. Resol. 10. & alijs. Eodem modo discurrunt Doctores de Papa, qui si percuteret Clericum, non esset Excommunicatus, nec vllam pœnam Iuris incurreret, simili modo dicunt, quòd si quis cum Episcopo simul commiteret peccatum Reseruatum, Episcopus non fieret obnoxius Reseruationi, & adhuc ille, qui fuit Complex peccati, non erit immunis à Reseruatione, sicuti etiam dicunt, quòd si Episcopus tulerit Excommunicationem contrà Clericos ludentes Aleis, & quis cum Episcopo luderet Aleis, tunc non Episcopus incidit in Excommunicationem, benè quidem alter colludens, ex Graffio Tom. 1. Decis. lib. 2. cap. 96. num. 15. & ex Florono part. 1. cap. 3. §. 1. num. 8. & patet *ex C. Proposito 32. q. 2.*, vbi in actu inseparabili vnus peccat, alter non, & vnus punitur, alter non, vt constat de eo, qui patrauit Adulterium per Vim, vbi patiens Vim non peccat, sed vim agens peccat, & facit *Gloss. in Verb. Vnus commisit*.

30. Num verò Nouitij sint ligati Reseruationibus Episcoporum, an autem suorum Superiorum Regularium?

℞. Cum Sententia apud Me probabiliori, quòd Nouitij ante Ingressum in Religionem subdantur Reseruationibus Episcoporum, ideò nec absolui possunt, nisi ab habente Iurisdictionem super Reseruata Episcopis, cùm Nouitij ante Ingressum in Religionem sint verè Sęculares, &

hoc

hoc absolutè teneo, quia, vt inferiùs dicam cum Summis Pontificibus, nequeunt Regulares, non obstantibus Priuilegijs, absoluere Sęculares à Casibus Reseruatis Episcopis, nisi priùs obtenta eorum Facultatæ, & Nouitij, ante assumptum Habitum Religionis indubiè dicuntur Sæculares. Post ingressum autem in Religionem, etiamsi Nouitij confiteantur Confessario communi suæ Religionis, & solùm approbato in sua Religione, possunt absolui à peccatis commissis ante ingressum in Religionem, quæ erant reseruata Episcopis, & ratio est, quia Nouitij Habitu Religionis assumpto, non ampliùs sunt Subditi Episcopis, non amplius censentur Sæculares, sed sunt exempti ab Episcorum Iurisdictione, & licet in Odiosis non habeantur pro Religiosis, in fauorabilibus tamen gaudent omnibus Priuilegijs suæ Religionis, habentur tamquam Religiosi, sunt similes Professis, & sunt sub Iurisdictione suorum Prælatorum, qui potestatem, & Iurisdictionem Ordinariam habent erga Nouitios, vt ait Auctor Compendij Priuileg. Tit. Absolutio quoad Fratres 4. dub. 2. in 2. Editione. Tum quia secundùm *Bullam Clementis VIII.* Magister Nouitiorum, qui solus tenetur excipere eorum Confessiones, non est approbatus ab Episcopo, sed à suo Superiore Regulari, ergo Nouitij subduntur Reseruationibus suorum Superiorum Regularium, ad quos spectat pro absoluendis Reseruatis Nouitiorum delegare Iurisdictionem Magistro, consequenter non ligantur Reseruationibus Episcoporum, aliàs magna sequeretur confusio, si vno & eodem tempore quis simul duos haberet Pastores non subordinatos inter se in Foro Conscientiæ, seu si vnus, & idem subijceretur multis Iurisdictionibus distinctis *cap. Tua 2. De Decimis*, *cap. Cognouimus 12. qu. 2.* Tum quia demus Casum, quòd Nouitius incurrat Casum reseruatum tantùm in Religione, & non ab Episcopo, à quo igitur est absoluendus? Non à suo Magistro, quia habet manus ligatus, & Superior Regularis abstulit ei Iurisdictionem pro absoluendo tali Casu, non ab Episcopo, quia respectu illius non est Casus Reseruatus, ergò à solo Superiore Regulari, qui fecit Reseruationem,

seruationem, erit absoluendus. Tum quia Nouitij per Ingressum in Religionem quasi mutauerunt Domicilium, relinquentes Territorium Episcopi, cui non ampliùs sunt Subditi, vnde sicut ab eo iudicari in Foro externo non possunt, ita nec absolui in Foro interno. Quod verò dicitur de Nouitijs in Conuentibus Regularium, pari passu extenditur ad Nouitias in Monasterijs subiectis Regimini Superiorum Regularium. Nostræ Sententiæ fauent Corduba in Quæstionario Theol. lib. 1. q. 30. Layman, Vecchius, Peyrinus, Bordonus, Quadrius, & alij plures.

31. Dices cum Diana part. 3. tract. 2. De Dubijs Regul. Resol. 110. quòd Nouitij non teneantur ad Onera Religionis, ergo nec ad Reseruationes Superiorum Regularium in suo Ordine.

℞. Quidquid sit de Oneribus specialibus, cùm certè non teneantur Nouitij sub mortali ieiunare in Die Veneris, tamen cùm sint pars Communitatis, ratione sui Status tenentur se accommodare cum alijs in Refectorio propter Scandalum, & debent experiri austeritates Religionis, nihilominus loquendo de Onere Casuum Reseruatorum, quod prouenit à Iure Communi *cap. 2. De Pęnit. & Remiss. & clariùs à Concilio Tridentino Seß. 14. cap. 7.* Nouitij etiam tenentur Reseruationibus suorum Superiorum, & hoc est Onus Commune omnibus Fidelibus, disponente *dicto Concilio vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio Absolutionis accedant*, at non soli Episcopi, sed etiam Prælati Regulares sunt Superiores, & Iudices respectu suorum Subditorum, inter quos enumerantur Nouitij pro Beneficio Absolutionis obtinendo. Tum quia, contrà Dianam, tale Onus non est Nouitij Pęnitentis, sed Confessarij, cui à Superiore Regulari limitatur Iurisdictio, ne possit à quibusdam peccatis atrocibus, & grauibus absoluere, vnde licet Reseruatio sit Onus Religionis, attamen hoc Onus immediatè aggrauat Confessarium, & non Nouitium, & sic patet ad rationem Dianæ.

32. At quid dicendum de Puellis Educandis, Nuptis, & Viduis commorantibus in Monasterijs Monialiũ Exemptarum?

℞. quòd

R. Quòd istæ ligentur Casuum Episcopalium Reseruatione, non verò Prælatorum Regularium, cùm non sint Religiosæ, nec cum Approbatis solùm à Prælato Regulari confiteri possint, neque sint personaliter Priuilegiatæ, neque sint propriè Commensales, sed ex suis viuant in Monasterio, vt docet Diana part. 7. tract. 12. resol. Tum quia Adolescentes Nobiles in Collegijs viuentes sub Cura, & Disciplina Religiosorum subduntur Reseruationi Episcopi Diœcesani, quia non nisi Approbatis ab Episcopo Diœcesis illius, in qua degunt, confitentur, & isti limitatam habent Iurisdictionem, ex Bordono in Consilijs Regul. Resol. 38. q. 5. num. 10., ergo idem dicendum erit de Puellis Educandis., Nuptis, aut Viduis commorantibus in Monasterijs Exemptis.

33. Dices primò: Locus Exemptus, & extrà Diœcesim æquiparantur quoad Iurisdictionem, hinc Excommunicatio lata per Episcopum non comprehendit eos, qui delinquunt in loco Exempto, ergo idem dicendum erit, quòd si Puella Educanda in Monasterio Exempto delinquat contrà Casum Reseruatum Episcopo, Reseruatio lata per Episcopum non comprehendat dictam Puellam, consequenter potiùs Reseruatio lata per Prelatum, cuius Regimini subiacet tale Monasterium exemptum, comprehendat eam.

℞. Quòd quando dicitur, quòd Locus Exemptus, & Locus extrà Diœcesim æquiparantur quoad Iurisdictionem, non est Dictum apud omnes verum, & acceptum, sed sit sic intelligendum, videlicet quòd quoad Personas Exemptas Locus dicatur Exemptus, secùs quoad Personas non exemptas; Puella igitur educanda in Monasterio Exempto dicitur Persona non exempta, nec Religiosa, sed Sæcularis, propterea cadit sub Reseruatione Casuum Episcopalium, non autem Regularium, hinc Dictum ipsum ab omnibus ferè Doctoribus reprobatur, sic à Suarez, Palao, Cocchier, Diana, Nogueira, & pluribus alij dicentibus, quòd Loca Religiosorum non sint plenè exempta, aliàs sequeretur, quòd Delicta in illis commissa remanerent impunita. Deinde non est eadem ratio de Excommunica-

tione, ac Reseruatione, Excommunicatio siquidem respicit suos Subditos intra Territorium Episcopi Delinquentes, vnde si delinquant extrà Territorium, non incurrunt in Excommunicationem, Reseruatio autem non respicit Delinquentes intrà Territorium Episcopi Reseruantis, sed respicit Confessarios absoluentes in Diœcesi Episcopi Subditos, aut non Subditos, vnde si in reseruationem incidant intrà, vel extrà Diœcesim, nequeunt à Confessarijs absolui, quia ipsis restricta fuit absoluendi facultas. Nostræ Sententiæ maximum, fateor, foret obstaculum, si contingeret, quòd in Monasterio non esset nisi vnica Puella Educanda, & Confessarius peteret ab Episcopo facultatem absoluendi eam à Casu Episcopali Reseruato, violaretur etenim Sigillum Confessionis, quapropter Confessarius summa vtatur Cautela.

34. Dices secundò: Saltem hodie absolui poterit à Casibus Episcopo Reseruatis per suum Prælatum Regularem Puella Educanda, quæ cras Habitum Religiosum est assumptura in Monasterio Exempto, iuxtà illud Dictum Legale: *Proximè accingendus habetur pro Accincto*.

℞. Negando assumptum, eo modo quo Puella cras assumptura Habitum Monachalem non dicitur hodie gaudere Priuilegio Canonis, licet versemur in Materia fauorabili, non propter aliam rationem, nisi quia hodie adhuc est Sæcularis, non Religiosa, nec Habitum Monachalem assumpsit, & quia nec Annum Nouitiatus inchoauit, non est constituta proximè in Via ad Religionem, ergo propter eamdem rationem nec poterit hodie à Casibus Episcopo Reseruatis per Prælatum suum Regularem absolui, estò cras sit assumptura Habitum Monachalem in Monasterio Exempto. Dictum illud Legale duplici notatur Fictione Iuris; *prima est*, quòd Monasterium Exemptum ingressa statim fruatur Priuilegijs aliarum Monialium non Iure proprio, cùm potiùs sit Sæcularis, quàm Religiosa *Cap. Religioso de Sent. Excomm. in 6.* sed Iure alieno, & per quamdam Extensionem prout scilicet, cùm de proximo sit professura, habetur tamquam Professa. *Secunda est* quòd Puella cùm

cras

cras sit assumptura Habitum Monachalem, & cras ingressura sit Monasterium, participet eadem Priuilegia, tamquam si assumpsisset Habitum Monachalem, & ingressa esset Monasterium; vna igitur ex his fictionibus habet suum fundamentum in altera, & fictio, quòd Puella hodie parata ad cras assumendum Habitum Monachalem, & ad cras ingrediendum Monasterium, habeatur, tamquam si Habitum Monachalem assumpsisset, & Monasterium ingressa fuisset, vt Priuilegia participet Monialium, fundatur in alia fictione Iuris, nimirùm quòd Puella Habitu Monachali assumptò, & Monasterium statim ingressa habeatur tamquam Monialis Professa, vt Priuilegijs Monialium fruatur, quare *quando duæ fictiones Iuris sic concurrunt, vt vna sit fundamentum alterius, non permittitur in Iure L. 1. C. De Dot. Promiss. vbi Baldus, & cæteri Iuristæ*; non ergo Puella cras assumptura Habitum Monachalem, & cras ingressura Monasterium Exemptum poterit hodie à Casibus Episcopo Reseruatis absolui per suum Prælatum Regularem, eò quia adhuc est Sęcularis, non est Religiosa, non est priuilegiata, Prælatis verò Regularibus facultas absoluendi Sæculares à Casibus Episcopo Reseruatis pluries interdicta fuit à Summis Pontificibus, *spectatim à Clemente VIII. die 9. Ianuarij* 1601. *& die* 26. *Nouembris* 1602., *à Paulo V. die* 7. *Ianuarij* 1617., *ab Vrbano VIII. die* 17. *Nouembris* 1628., *ab Alexandro VII. in Thesi* 12. *damnata die* 24. *Septembris* 1665., *& à Clemente X. in Bulla Incipient. Superna die* 21. *Iunij* 1670.; adeò vt Regularibus Priuilegiatis non ampliùs sit contradicendi locus.

35. Hæc autem prohibitio non solùm Regularibus, sed etiam Sæcularibus Confessarijs facta est *à Concilio Tridentino Sess.* 14. *cap.* 7. *De Reseru. vbi sic: Extrà Articulum Mortis Sacerdotes (Inferiores) cùm nihil possint in Casibus Reseruatis, id vnum Pęnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio Absolutionis accedant*, vbi prohibitio est generalis ad Regulares, & Sęculares Sacerdotes, & hoc adeò est verum, quòd quando in Litteris Iubilęi datur Sacerdotibus approbatis

ab Ordinario Loci facultas absoluendi à Casibus etiam Sedi Apostolicæ Reseruatis, non aduc possunt absoluere à Reseruatis Episcopo, nisi in Litteris exprimatur, hoc esse concessum, eò quòd iuxtà *Regulam* 18. *Iuris in* 6. *in generali Concessione illa non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*.

36. Pęnæ contrà Absoluentes à Casibus Reseruatis Episcopo, non obtenta eius licentia *ex duobus Decretis Clementis VIII. supracit.* sunt istæ, nimirum *Pęna Excommunicationis, Priuationis omnium Officiorum, Dignitatùm, aut beneficiorum* (tollitur verò in secundo Decreto Clementino Innabilitas audiendi Confessiones) & *ad quæcumque Officia, Prælaturas, & Beneficia imposterum obtinenda, ipso facto absque vlla alia Declaratione, super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice Habilitatio, Dispensatio, aut Absolutio, præterquam in Mortis Articulo, possit impartiri*, hoc vno notato, quòd ad incurrendas huiusmodi pęnas non satis est, quòd Regulares, aut Sæculares Sacerdotes absoluant à Reseruatis Episcopo absque eius licentia, sed necessaria est Scientia Legis, Malitia, & Præsumptio in Absoluentibus ex præfato *Clemente VIII.*, vnde Sacerdotes absoluentes absque licentia à Reseruatis Episcopo, sed vel ex inconsideratione, vel ex ignorantia, non tamen crassa, aut affectata, effugerent Excommunicationem, aliasue Pęnas.

37. Neque recurras ad illam distinctionem de Casibus, qui à Papa reseruantur Episcopo, & dicuntur reseruati à Iure Communi, ac de Casibus, qui ab Episcopo sibi ipsi reseruantur. Quandoquidem nullus Sacerdos Inferior potest absoluere à Casibus quomodocumque Reseruatis Episcopo, licet enim *Clemens VIII.* mentionem faciat de Casibus, quos Episcopi reseruarunt, & imposterum reseruabunt, nihilominus *Paulus V. & Vrbanus VIII.* mentionem simpliciter fecerunt de Casibus Reseruatis Episcopis, quibus Verbis venit quæcumque Reseruatio, siuè à Papa facta sit Episcopo, siue ab Episcopo facta sit sibi ipsi ex Bordono Resol. 6. q. 9. num. 11., quapropter à nullo Casu, qui quomodocumque reseruatur Episcopo, possunt Regulares

hodie

hodie per sua Priuilegia sine Episcopi facultate absoluere, nec etiam per Bullam Iubilęi, nisi in ipsa Bulla expressè dicatur, prout tamen dicitur in Bulla Cruciatæ *ob omnibus peccatis*, ex Ilsungo disp. *6.* qu. *6.* n. 222.

38. An autem Reseruationibus Casuum Regularium ligentur illi, qui sunt de Familia, & continui Commensales, & tales dicuntur Donati, Oblati, & Tertiarij viuentes sub Prælatorum Regularium Obedientia non modo Religioso, nec ratione Voti, sed modo seruili, induentes Panno eiusdem Coloris, quo Professi in eadem Religione, habitantes, habentes Domicilium, & dormientes intra Septa Monasterij, non est hic disputandi locus, nam ex prætacta *Constitutione Clementis X.* Sacerdotibus Regularibus sui Ordinis, approbatis dumtaxat à suo Superiore, & non ab Episcopo licitè, & validè confitentur peccata sua, ad differentiam Sęcularium extraneorum, qui in Monasterio Domicilium non contraxerunt, & ipsi inseruiunt Stipendio, & Salario conducti, & ad differentiam Monialium Tertij Ordinis, quæ de Pęnitentia dicuntur, seu Pizzocharæ, quæ non nisi Confessarijs approbatis ab Episcopo confiteri possunt, vndè *à Sacra Congregatione in vna Rossaten. die 20. Decembris 1616. sic declaratum fuit: Tertiarijs de Pęnitentia, vel Pizzocharis vocatis non est administrandum Sacramentum Pęnitentiæ à Regularibus ab Ordinario non approbatis, neque ab ijsdem administranda Eucharistia in die Sancto Paschatis.*

39. Quòd verò innodentur Reseruationibus Superiorum Regularium non solùm Religiosi Professi Subditi, sed etiam Moniales Professæ Exemptæ, & immediatè eorum Regimini subiectæ, profectò non est difficultas, nam Prælati Regulares sunt vtriusque Sexus Iure Ordinario Superiores, & non solùm Fratres, sed & Moniales comprehenduntur sub Statutis, & Ordinationibus suorum Prælatorum Regularium, consequenter etiam sub Reseruationibus ipsorummet Casuum, quando Materia talium Casuum potest ijsdem Monialibus accommodari, vt inquit Miranda q. 5. n. 3. de Monialibus. Si verò Episcopus reseruaret aliquem Casum

ſum ſpectantem ad Clauſuram pro Monialibus etiam Exemptis, procul dubio innodarentur Epiſcopali Reſeruatione à qua nec poſſent abſolui per ſuum Superiorem Regularem, ſed per ſolum Epiſcopum cum communi Sententia.

40. Dices, quod Decretum Clementinum factum pro Regularibus quoad reſeruabilitatem Caſuum loquatur ſolum de Maſculis, vt legenti patet, ergo non eſt extendendum ad Fęminas, ſeu ad Moniales exemptas, eò quòd *Maſculinum non includit Fęmininum in Odioſis, & Pęnalibus per Iuriſtas*.

℞. Quòd Decretum Clementinum extendatur etiam ad Fęminas, ſeu Moniales Exemptas, eò quòd ſicut Moniales gaudent Priuilegijs illorum Ordinum, quibus ſubijciuntur, & ſicuti ſentiunt commodum, ita etiam congruum eſt, quòd ſubijciantur incommodo, & Oneri Caſuum Reſeruatorum, quos Prælati ipſorum Ordinum ſibi reſeruant; in Priuilegijs verò Maſculinum concipit Fęmininum *Cap. Vltim. de Reſcriptis*, *& Cap. ſignificauit* cum Baldo, Iaſone, & alijs. Accedit, quòd Reſeruatio, cùm fiat in fauorem Diſciplinæ Regularis, tum vt coerceantur Vitia, tum vt conſeruetur puritas Monaſtica, quàmuis fiat per Legem pęnalem, attamen tamquam Fauor debet extendi ad Moniales, cùm reſpiciat fauorem vitæ Religioſæ, ſicuti extenduntur multa in fauorem Reipublicæ, quę videntur odioſa, & pęnalia ex præfatis Iuriſtis.

41. Numquid Religioſus ex ignorantia patrans aliquod peccatum Reſeruatum in ſua Religione, ſit immunis à Reſeruatione?

℞. Non eſſe immunem, nec eſſe excuſandum à Reſeruatione, cùm enim in Noſtra Sententia, quæ eſt communior, & probabilior, Reſeruatio fiat directè in limitationem iuriſdictionis Confeſſarij, & non niſi indirectè in pęnam Pęnitentis, propterea Praxis, & vſus Confeſſariorum, quibus reſtricta fuit à Superioribus Iuriſdictio, eſt, quòd Pęnitentem, qui ignorauit Reſeruationem, remittant ad Superiores pro Abſolutione, nec ignorantia Delinquentis tribuit Confeſſario facultatem abſoluendi, nec ignorantia

Reſer-

Reseruationis in Pęnitente consideratur à Confessario. Neque valet, si dicas, quòd ignorantia Excommunicationis excusat, ne quis incidat in illam, ergo & ignorantia Reseruationis excusabit, ne quis incidat in Reseruationem. Non, inquam, valet, nec tenet paritas, eò quòd Excommunicatio est verè pęna Ecclesiastica, quæ ligat Inobedientes solùm, & Contumaces, qui autem ignorat Excommunicationem, non potest dici Inobediens, & Contumax, ideò nec ligatur Excommunicatione, sicuti dicitur ligari reseruatione, qui reseruationem ignorat.

42. Deinde nec à Reseruatione Casuum in suo Ordine excusatur Religiosus, qui ex aduertentia, aut deliberatione rationis, seriò, & liberè committit aliquod Reseruatum, excusatur verò, qui sine aduertentia, & sine libertate, aut ex carentia rationis, aut ex vehementi passione, & perturbatione animi abripitur, eò quòd Motus primò primi non sunt peccaminosi, cùm præcedant actum voluntatis, vt autem actus imputetur ad graue peccatum, requiritur plena aduertentia ad malitiam grauem, necnon plenus consensus voluntatis. Nec à Reseruatione excusatur Religiosus, qui propter Metum grauem cadentem in constantem Virum, & coactè patrat graue peccatum, cùm potiùs debeat Mortem oppetere, quàm graue peccatum committere; tum quia sicut secundùm Aduersarios non excusatur à Mortali, ita nec excusandus est à Reseruatione, & multò minùs est excusandus, si Metus non sit grauis. Nec excusatur à Reseruatione Religiosus, qui per se patrat peccata suis Superioribus reseruata, benè quidem excusabitur à Reseruatione, si Casus exprimat solùmmodò Patrantem, Mandans, & qui per alios facit, quia hic non dicitur verè facere, *sed solùm fictè, & tantùm præbere causam, vt alter faciat L. Deijecisse ff. De Vi Arm. & L. Item si Obstetrix ff. Ad Legem Aquil.* Casus autem sunt verè interpretandi, & non fictè, cùm in pęnalibus, & in Odiosis fictio non habeat locum. Attendas igitur Verba Litterę Reseru., & propriam Verborum significationem, vt statim cognoscas, an quis in Reseruationem inciderit, necne.

43. Petes.

43. Petes. An Superiores Regularium possint suorum Subditorum audire Confessiones, eosque à peccatis absoluere?

℟. Quòd attenta Prohibitione posita in Decreto Clementino personaliter, & per se non possint, Verba verò *Clementis VIII. sunt hæc : Non liceat Superioribus Regularium Confessiones Subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod Reseruatum admiserint, aut ipsimet spontè, aut proprio motu id ab ipsis petierint. Ly Non liceat*, habet rationem præcepti, & induit obligationem grauem, cùm materia huius Præcepti sit grauis, prout pertinet ad debitum vsum Sacramenti adeò necessarij, hinc non possunt cogere Subditos, vt ijs necessariò confiteantur suas Culpas ordinarias, & non Reseruatas, benè quidem tenentur ipsi Superiores suam delegare Iurisdictionem alijs Confessarijs, cùm sic Summus Pontifex sua paterna, & speciali Prouidentia fauere intendat libertati Religiosorum in faciendis Confessionibus Culparum, quæ dicuntur ordinariæ, & non Reseruatæ, & hic nota, quòd si Confessarij Regularium essent approbati solùm ab Episcopo, & non à suo Superiore, non possent audire Confessiones Regularium, quas si audiant, tunc absolutio erit nulla ex Lezana Tom. 1. cap. 18. n. 26. & Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 10. num. vlt., sic Sententia probabilior, & ratio est, quia in *cap. Omnes vtriusque Sexus* non potest alienus Sacerdos aliter, quàm de licentia proprij Sacerdotis obtenta Pęnitentem absoluere, vel ligare, vnde si inuito suo Superiore Regulari Religiosus absolueret, sine Iurisdictione absolueret. Excipiuntur tamen Religiosi Pęnitentiarij Summi Pontificis, qui omnium siue Sęcularium, siue Regularium Confessiones excipere valent.

44. Limitatur hoc primò, dum dicit *Clemens VIII. Nisi quando peccatum aliquod Reseruatum admiserint*, in quo casu Subditi tenentur Culpas Reseruatas suis confiteri Superioribus, & Superiores iuxtà verba Decreti obligantur Confessiones Subditorum audire, eò quòd alij Confessarij Inferiores super Culpas Reseruatas Iurisdictionem non habent;

bent ; vel obligantur Superiores ; saltem ex Charitate, suam delegare auctoritatem alteri pro danda absolutione à Reseruatis, siquidem inquit *Angelicus Doctor in 4. dist. 17. qu. 3. art. 3. quæstiunc. 4. ad 6., quod illi, qui sunt nimis solliciti, vt Conscientias Subditorum sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsis*, & quidem meritò, quoniam tenetur Superior ex vi sui muneris vti hac Iurisdictione ad Bonum Subditi Pęnitentis, atque ideò ad ædificationem, non autem ad destructionem Animarum; & quàmuis aliquis excogitetur Casus, in quo Superior teneatur denegare Facultatem absoluendi Subditos à Reseruatis, tamen iudico, Casum esse metaphysicum, cùm non videatur esse vllus, in quo nequeat Viro Docto, ac Prudenti delegari talis Facultas cum Mendò Verb. Reseruati Casus num. 33.

45. Limitatur secundò, dum dicit *Clemens VIII. Aut ipsimet Subditi sponte, aut proprio motu id ab ipsis petierint*, in quo Casu Superiores iuxtà Verba Decreti obligantur Confessiones audire Subditorum, quando scilicet Subditi id à Superioribus petierint *Sponte*, idest cum alterius inductione, aùt consilio precedente, vbi tamen cauendum est, ne intercedat timor aliquis reuerentialis, aut nimia persuasio, quæ est virtualis quædam præceptio, quia tunc moraliter non censetur petitio spontè facta, sicuti prætendit Romanus Pontifex iuxtà Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 15. n. 5. *Aut proprio motu*, idest sine alterius inductione, aut consilio præcedente; & nota ly *Aut*, quòd cùm sit particula disiunctiua, *quando cadit inter duo, tunc operatur, quòd quodlibet ipsorum adimpleri potest L. Si Hæredes plures ff. de Condit. Institut.*, & ideò etiamsi non proprio motu, sed spontè Subditi petierint à Superioribus audiri in Confessione, Superiores audire ipsos obligantur.

46. An verò Superiores obligentur audire Subditorum Confessiones toties quoties Subditi spontè, aut proprio motu id ab ipsis petierint?

℞. Quòd sic, nisi per hoc à maioribus, vel æquè necessarijs Gubernij curis auocentur, cùm enim Prælatus sit

ſuorum Subditorum proprius Parochus, eique ſit commiſſa Ouium ſuarum Cura, de Iure Communi tenetur Subditorum Confeſſiones audire, & hoc multoties expedit Animarum Saluti, quoniam cùm Superiores vt plurimùm ſint peritiores, & maiori etiam auctoritate polleant, quàm Confeſſarij Subditi, meliùs quoque quàm alij iuuare poſſunt Pęnitentes Subditos, & ideò toties quoties Subditi ſponte, aut propriò motu petierint à Superioribus, vt eorum Confeſſiones audiant, Superiores obligantur audire, dummodò tamen probabili aliqua ratione, aut coniectura ipſis Superioribus non conſtet, inexpediens eſſe tam frequenter audire Subditos. Hoc etiam colligitur *ex Ezechielis cap.* 34. nam Prælatus eſt Paſtor Spiritualis, & ita tenetur ad paſcendum Gregem, vt quod pingue eſt, non occidat, Infirmum conſolidet, quod Ægrotum ſanet, quod Confractum alliget, quòd Obiectum reducat, & quod perierat, quærat, ne Grex Domini fiat in rapinam, & deuorationem omnium Beſtiarum Agri, ſeu Dæmonum. Et hìc ponderandum eſt Verbum Prophetæ, dum ait *Quærat*, quaſi dicat: non expectet, donec ipſemet veniat, ergo quantò magis per ſe venientem debet recipere? Sic Coriolanus de Caſibus Reſeru. Part. 1. Sect. 1. art. 10. n. 8.

47. Sed numquid Superiores Maiores in Religionibus poſſunt ferre Legem, vt Subditi ſuo dumtaxat Superiori teneantur confiteri Reſeruata?

℞. Quòd Iure Reſeruationis Superiores Maiores in Religionibus poſſint hanc ferre Legem, & hoc Nobis perſuadent illa Verba Decreti Clementini, *Niſi quando peccatum aliquod Reſeruatum admiſerint*, ratione tamen Infirmitatis, & Fragilitatis Subditorum non liceat ijs hanc ferre Legem, ne ſcilicet Subditi animo infirmiores in peius ruant, propterea Romanus Pontifex in præſenti Decreto præcipit Superioribus, vt facultatem abſoluendi à Reſeruatis committant illis Confeſſarijs, quos Doctrina, Prudentia, & Charitate præditos vult in ſingulis Domibus deputari pro maiori, vel minori numero Subditorum; neque enim

enim Papa huiusmodi facultatem esse committendam alijs à Superioribus statuisset, nisi iudicasset, hoc futurum esse in ædificationem, & in vtilitatem Animarum, si autem Superiores Maiores in Religionibus Legem conderent, vt Subditi suo dumtaxat Superiori teneantur confiteri Reseruata, hoc esset potius in destructionem, & in perniciem Animarum, ita Doctores communiter.

48. Sed numquid eamdem Legem condere possunt quoad Confessionem non Reseruatorum?

℟. Quòd tùm secundùm Iuris Communis Dispositionem possit à Superioribus Maioribus condi huiusmodi Lex sicuti habetur expressè in *Extrauag. Inter Cunctas De Priuileg. Cap. Si Episcopus De Pœnit. & Remiss. & Cap. Omnis vtriusque Sexus, vbi decernitur, Subditis non licere alteri, quàm Superioribus, aut de ipsorum licentia alteri confiteri, & Confessio aliter facta sit nulla, nisi ex speciali Priuilegio, aut Articulo Mortis id non faciat*; tum etiam secundùm Ius Speciale omnium Regularium, qui proprijs Prælatis confiteri adstringuntur, & non alijs nisi de ipsorum assensu, licentia, & voluntate, quod constat Legenti Constitutiones Apostolicas, tùm *Clementis IV. inhibentis vniuersis Ecclesiarum Prælatis, & alijs quibuscumque, ne Confessiones Fratrum Minorum præsumant, eorum Prælatis inuitis, audire, & inhibentis ijsdem Fratribus, ne aliquis eorum, nisi necessitatis vrgente Articulo, alijs quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, vel alijs eiusdem Ordinis Sacerdotibus, nisi secundùm Regulam, & ipsius Ordinis Institutum*, & hæc Constitutio habetur in Monumentis Ordinis secundæ Impressionis Folio 344. Concess. 358.; similiter pro Patribus Ordinis Prædicatorum in ijsdem Monum. Folio 238. Concess. 569., & ibidem pro Patribus Carmelitis Folio 158. Concess. 475. Tum *Innocentij VIII.* pro Patribus Heremitis Diui Augustini Folio 264. Concess. 283. Tum *Iulij II.* pro omnibus Ordinibus per Communicationem, sic Compendium Priuileg. Verb. Absolutio Ordinaria quoad Fratres §. 5. & 6. & Verb. Confessiones, & Confessores §. 1. & Verb. Comunicatio Priuilegiorum §. 22.

Tum *Gregorij XIII.* pro Patribus Societatis Iesu. Sed quia *Clemens VIII.* in suo Decreto disposuit oppositum, vt patet ex Verbis illius Paragrafi *Non liceat Superioribus Regularium*, ideò per ipsum Clementem interdictum fuit Superioribus Maioribus Religionum Legem condere, qua Subditi adstrigantur suo dumtaxat Superiori confiteri non Reseruata, & fortè *Clemens VIII.* fragilitatem, & infirmitatem humanam, quæ adhùc in Religionibus viget, respexit, quando antiquas Iuris Communis Dispositiones, & Iurium specialium Determinationes quoad hoc annullauit, & cassauit edendo præsens Decretum, cui omninò standum est.

49. Num autem esset contrà Verba Decreti Clementini, si Superiores Maiores non per modum Legis, sed solùm per modum Consilij statuerent, quòd pro aliquo saltèm tempore Subditi confiteantur suo Superiori?

℞. Quòd non esset contrà Verba Decreti Clementini, id enim, quod ex alterius consilio, & inductione fit, spontè, & voluntariè fieri dicitur, ex dictis suprà num. 45., atqui Decretum Clementinum interdicit Superioribus, vt non possint Confessiones Subditorum audire, nisi quando spontè velint ijs confiteri, ergo per modum Consilij induci possunt Subditi, vt pro aliquo saltem tempore confiteantur suo Superiori. Verùm licet hoc non repugnet, tutius tamen, & securiùs est, non condere talem Legem, eò quòd hæc Lex potest iudicari præceptiua, cùm contingere possit, quòd ex timore Legis quis proprio suo Superiori confiteatur, timor autem habet vim Præcepti saltem virtualis, quod satis est, ad hoc vt censeatur, quòd Confessio tunc facta non sit libera, quod est contrà rationem Sacramenti Pænitentiæ.

50. Petes, an Superiores Regularium teneantur deputare Confessarios in singulis Conuentibus, vt possint Subditos absoluere tàm à non Reseruatis, quàm à Reseruatis?

℞. Vtique teneri, cùm in Decreto Clementino clarè definitum fuerit sic: *Superiores in singulis Domibus deputent duos*,

*duos, tres, aut plures Confessarios pro Subditorum numero maiori, vel minori, ijque sint Docti, Prudentes, Charitate præditi, qui à non Reseruatis eos absoluant, & quibus etiam Reseruatorum Absolutio committatur, quando Casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis Confessarius iudicauerit*, quibus ex Verbis constat, obligari Superiores ad deputandos Confessarios in singulis Conuentibus duos, tres, aut plures, & secundùm numerum proportionatum Subditorum Pęnitentium, esse verò ad libitum Pęnitentium quemcumque ex illis Deputatis in suo Conuentu eligere, quia non dicit Decretum, quòd Superiores assignent suos Pęnitentes determinatos cuilibet Confessario, sed quòd *Superiores deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro Subditorum numero maiori, vel minori*.

51. Quot verò Confessarij in numeroso Conuentu deputari possint, & an in vno paruo Conuentu sufficiat deputare vnum?

℞. Quòd in numeroso Conuentu possit Superior deputare plures Confessarios, quàm tres, & excedere etiam deputando quatuor, vel quinque, absque eo quòd Verbis Decreti Clementini obstet, non tamen debeat vnicuique numerò denario Pęnitentium vnum deputare Confessarium, sicut aliqui imaginati sunt. In paruo autem Conuentu possit Superior vnicum deputare Confessarium, si vnicum sufficere iudicet, sicuti vnicus Confessarius est in Monasterijs Monialium, quia vnicus sufficiens iudicatur, & cum hac conditione loquitur Suarez super Verba illa Pontificia *Pro Subditorum numero*, quasi velit Pontifex obligare ad plures deputandos sub conditione, quòd vnus Confessarius non iudicetur sufficiens, potest autem vnus in paruo Conuentu iudicari sufficiens, ac de facto in Monasterijs Monialium vnus solùmmodò deputatur Confessarius, ita Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 15. num. 7. & huic Sententiæ vniformantur *Constitutiones Generales Meæ Religionis cap. 7. §. 2. De Casibus Reseruatis num. 3., vbi sic legitur: Vt Saluti Animarum consulatur, Ministri Prouinciales*

*uinciales in quolibet Conuentu vnum , vel duos Confeſſarios deputent, quibus à Caſibus Reſeruatis occultis in Foro Conſcientiæ abſoluendi facultatem concedant : ſi verò fuerint notorij , ad ſuos Miniſtros Rei Criminum ſine mora recurrere teneantur .*

52. An autem Pęnitentes poſſint ad libitum , & abſque licentia Superioris permutare Confeſſarium electum , & confiteri alteri ex Deputatis ?

℞. Quòd niſi in ſua Religione ſit aliquod Statutum prohibens, poſſint vtique permutare, & talis eſt praxis omnium ferè Religioſorum ( Capucinis exceptis ) quia ſic faciliùs conſulitur ſaluti Pęnitentium , & magis vniformatur Decreto Clementino , facto præſertim *in fauorem Subditorum formidantium detegere Superiori Maculas Conſcientiæ ſuæ* , ſi verò Pęnitentes in permutatione Confeſſarij iam electi deberent recurrere ad Superiores pro licentia , tunc formidarent faciendo hunc recurſum , & ſe ſuſpectos Superioribus redderent, grauatos nimirum eſſe aliqua culpa graui , quam grauitatem volunt latere Confeſſarium priùs electum , propterea praxis non petendi licentiam pro mutando Confeſſario eſt conformior Menti Pontificis , præſertim cùm non de peccatis Reſeruatis agatur , ſed de non Reſeruatis .

53. Neque valet , ſi dicas , quòd melius ſit & magis conducat ad profectum ſpiritualem non mutare Confeſſarium , vel ſaltem cum licentia Superioris eum mutare , quàm eum permutare ad libitum . Non, inquam, valet, eò quòd hìc non agimus de profectu Vitæ Spiritualis, ſed de Medicina Animæ languenti tradenda, cui in multis indigere *Clemens VIII.* ſapientiſſimè iudicauit, dum inquit *Nonnullos Infirmiores , qui interdum Superiori ſuo Conſcientiæ Maculas detegere formidant* , ſequitur Textus *Adducere poſſet in æternæ Damnationis periculum , & Spiritualis Remedij deſperationem* , ad quæ inconuenientia multoties poſſent deuenire non ſolùm Subditi illi , qui ad Superiores obligarentur accedere pro Confeſſione facienda, ſed etiam illi , qui ad eoſdem recurrere obligarentur petendo licentiam

tiam pro mutatione Confessarij iam electi, ità Rodriquez Tom. 1. QQ. Regul. qu. 62. art. 4.

54. Sed quales debeant esse Confessarij à Superioribus Regularium deputandi in singulis Conuentibus, vt Subditorum Confessiones audiant, eosque à non Reseruatis, & à Reseruatis etiam absoluant?

℟. Quòd hoc clarè significetur à Decreto Clementino, vbi dicitur: *Ijque sint Docti, Prudentes, Charitate praediti*, ita vt ad audiendas Subditorum Confessiones debeant à Superioribus Regularium deputari Confessarij pollentes Doctrina, Prudentia, & Charitate. Erunt *Docti*, si sciant discernere inter Lepram, & non Lepram, si sciant cognoscere Circumstantias necessariò confitendas, & mutantes speciem peccati, si sciant rectum iudicium facere tùm in nõ Reseruatis, tùm in Reseruatis; erunt *Prudentes*, si sciant interrogationes facere, & reprehensiones, si sciant Pęnitentias culpis proportionatas iniungere, & necessarium præstare remedium, ne Pęnitentes reincidant inposterum; erunt *Charitate praediti*, si sciant iuuare Pęnitentes, dissuadere à peccatis, animare ad Veniam, & ad Misericordiam consequendam, & huiusmodi Confessarij per Superiorem Deputati ad Confessiones in tali Conuentu excipiendas debent Pęnitentes à non Reseruatis absoluere, & quando ipsi Confessarij deputati in Casu occurrenti iudicauerint, sibi committi debere etiam Reseruatorum Absolutionem, debet Superior ex necessitate committere, & stare Iudicio ipsorum, sicuti decernitur à Romano Pontifice, qui tamen, si benè notes Verba Pontificia: *Qui a non Reseruatis eos absoluant, & quibus etiam Reseruatorum Absolutio committatur, quando Casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis Confessarius iudicauerit*, hanc indicat differentiam in danda Confessarijs Deputatis Facultate absoluendi à non Reseruatis, & in danda Facultate absoluendi à Reseruatis, quòd pro prima Facultate Pontifex absolutè, indefinitè, in omni tempore, & in omni Casu loquitur, at pro secunda facultate, absoluendi scilicet à Reseruatis, Pontifex non loquitur absolutè, sed

restrictè

restrictè cum illa Clausula Taxatiua *Quando Casus occurrerit*, ità quòd Superior non possit absolutè, & in omni tempore committere Confessarijs deputatis facultatem absoluendi à Reseruatis, sed solùm quando ipsimet Deputati petierint à Superiore, vt Facultatem committat absoluendi ab hoc, vel ab illo Casu, quando occurrerit, *& ipsi in primis iudicauerint*, esse sibi committendam, ac tunc rectè iudicabunt, quando nec damnum Proximo, nec Religioni, nec Religioso pęnitenti potest rationabiliter timeri ex illa Absolutione.

55. Quid verò, si Superior nolit absoluendi Facultatem committere, etiam quando Confessarij Deputati iudicent in Domino, esse sibi committendam?

℟. Cum P. Suarez, quòd hoc esset Tyrannicum; necessè est vtique, quòd Confessarius Deputatus, vt absoluat à Reseruatis Pęnitentem Regularem, licentiam absoluendi priùs petat à Superiore, aliàs in vanum Casus dicerentur Reseruati, prout colligitur ex *Extrauag. Sixti IV. Incipiunt. Et si Dominici*, attamen si Superior licentiam petitam neget, poterit *pro illa Vice* Confessarius Pęnitentem Regularem absoluere, etiam non obtenta licentia, vt patet in Additione ad Decretum Clementinum facta per *Sacram Congregationem Concilij die* 21. *Septembris* 1624. *Iussu Vrbani VIII.*, qui dictum Decretum confirmauit sic: *Sanctitas Sua deinceps declarauit, vt si huiusmodi Regularium Confessarijs Casus alicuius Reseruati Facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa Vice Pęnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore Facultate, absoluere*. Illa autem particula *pro illa Vice* quàmuis explicetur ab Aliquibus pro Vnica Vice, seu pro semel tantùm, meliùs tamen explicatur ab Alijs volentibus, quòd importet toties, quoties Confessarius à Superiore licentiam petierit, & Superior denegauerit, quia in præfato *Indulto Sacræ Congregationis*, quòd Confessarius petita licentia possit absoluere à Reseruatis, non apponitur Dictio taxatiua *Tantùm*, qualis adhiberi solet in Bullis Iubilęi, in quibus dicitur *Pro hac Vice tantùm*,

*tùm*, at cùm probabile ſit, in dictis Bullis non reſtringi fauores Iubilæi ad vnicam Vicem, non obſtante illa Dictione taxatiua, quæ in illis apponitur, à fortiori erit probabile, Conceſſionem factam in præfato *Indulto Sacræ Congregationis* non reſtringi ad vnicam Vicem, ſtante quòd in eo non apponitur vlla Dictio taxatiua, vt dicebam, ex Diana part. 9. tract. 3. reſol. 15., Alphonſo de Leone, Naldo, Bordono, & alijs.

56. Num idem dicendum ſit, ſi Superior deneget quoque Religioſo Pęnitenti licentiam, vt ab vno ex Confeſſarijs Deputatis abſoluatur à Reſeruatis?

℞. Quòd licet Verba *Indulti Sacræ Congregationis* referantur ad Confeſſarium, qui ſolet pro Pęnitente facultatem petere abſoluendi à Reſeruatis, attamen idem omninò dicendum ſit, ſi Superior Religioſo Pęnitenti, qui per ſe ipſum petijt ab eo Facultatem, vt à Reſeruatis abſoluatur per vnum ex Confeſſarijs deputatis, licentiam deneget, vt inquit Bordonus Reſol. 39. num. 50., cùm pro fauore Religioſi Pęnitentis exiuerit Indultum hoc. Deinde Indultum huiuſmodi dicimus procedere in fauorem Pænitentis, eſtò Superior iuſtè licentiam deneget abſoluendi à Reſeruatis, nam Summus Pontifex Vrbanus abſolutè loquitur, hinc nulla eſt ratio diſtinguendi Denegationem licentiæ in Iuſtam, & in Iniuſtam, quia *vbi Lex non diſtinguit, nec Nos diſtinguere debemus*, ex Iunipero part. 1. diſp. 7. q. 8. cap. 1. num. 10. Ex hoc etiam, quòd ſupradictum Indultum abſolutè loquatur, videtur locum habere in Caſu, quo Religioſus Pænitens per ſe ipſum petat abſolui à Reſeruatis, eſtò nullum incurrat Infamiæ periculum, nullamque habeat neceſſitatem communicandi, aut celebrandi, ex Diana ſupracit., ſiquidem *Lex generaliter loquens, generaliter etiam debet intelligi*, præſertim ſi ſit fauorabilis, & cedat in Bonum ſpirituale Animarum, ſicuti eſt in propoſito.

57. Colligas ex his, quòd Superiores peccent, ſi Confeſſario Deputato licentiam abſoluendi, vel Religioſo Pęnitenti licentiam, vt abſoluatur à Reſeruatis, denegent,

F etenim

etenim Iurifdictio non eft data ipfis propter Auctoritatem, aut Vtilitatem fuam, fed propter Bonum, & Vtilitatem Religiofi Pænitentis, & ideò quoties Pænitens non vult omninò confiteri Superiori (quod fupponendum eft) & per fe, vel per Confeffarium expoftulat licentiam, patitur iniuriam, fi à Superiore denegetur licentia, & Superior peccat contrà debitum fui Paftoralis Officij de procuranda Animarum fibi fubiectarum Salute; fi verò Superior denegaret licentiam, exponeret Subditum periculo maioris Mali, nec Pænitenti Infirmo, & formidanti Confcientiæ maculas fuo Superiori detegere, prudenter confuleret, at ipfum adduceret in æternæ Damnationis periculum, & Spiritualis remedij defperationem contrà Mentem *Clementis VIII.* in Proœmio Decreti. Immò idem *Clemens* in quadam fua *Bulla die* 23. *Nouembris* 1599. ad Procuratoris Generalis Carmelitarum Requifitionem facta (& loquitur de poteftate abfoluendi Fratres, & Moniales à Referuatis) obligat fub graui non folùm Præfectos Ordinis Carmelitarum, fed etiam aliorum Ordinum, vt fe exhibeant benignos, & faciles ad præftandam hanc facultatem pro Subditis: *Eifdem tamen Prælatis, vt in huiufmodi poteftatis Vfu fe cum Subditis benignos, & faciles exhibeant, præcipimus, & mandamus*; & meritò Romanus Pontifex ita præcipit, & mandat, ne Iugum Confeffionis propter Superiorum duritiem in concedenda tali facultate fiat grauius, & difficilius Animabus Subditorum. *Angelicus etiam Magifter in Opufc.* 19. *contrà Impugnantes Religionem, & in* 4. *dift.* 17. *qu.* 3. *art.* 3. iam antea docuerat, peccare Superiorem, qui fe difficilem præbet in danda hac licentia, & fubdit rationem, *quia fcilicet multi funt adeò infirmi, quòd potiùs fine Confeffione morientur, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur. Vnde illi, qui funt nimis folliciti, vt Confcientiam Subditorum per Confeffionem fciant, multis laqueum damnationis inijciunt, & per confequens fibi ipfis*. Faciunt ad hoc verba eiufdem *Angelici Præceptoris loco cit. Ad* 5. *vbi fic ait: Quòd tunc magis debet eligere confiteri Laico*, quæ Verba magni funt ponderis, & ma-

& maximè ſunt ponderanda à Superioribus, ſciebat enim optimè *D. Thomas*, Confeſſionem Laico factam non eſſe Sacramentum, nihilominus prorupit in talia Verba, vt ſic Prælatis, & Superioribus oſtenderet, non debere eos eſſe difficiles in concedenda hac licentia. Addit quoque S. Doctor: *Nec ſit iniuria Sacerdoti, quia Priuilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur Facultate*, & hanc Sententiam debent omnes Superiores amplecti, nam vt ibidem loquitur Angelicus: *Quamuis ex tali licentia nonnulla mali occaſio naſcatur, per eam tamen multis malis maioribus occurritur*. Hæc D. Thomas.

58. Dices primo: Subditus perſiſtens in animo ſuo indurato, cùm nolit omninò confiteri Reſeruata Superiori, reportaret commodum ex propria malitia, ſi Superior eſſet facilis ad concedendam ipſi licentiam petitam, vbi nulla eſſet iuſta cauſa concedendi.

℞. Quòd Subditus perſiſtens in hoc malo propoſito *non confitendi Reſeruata Superiori, cui tamquam proprio Paſtori, & per Decretum Clementinum confiteri Reſeruata teneretur, vtique cenſetur indiſpoſitus ad abſolui*, nihilominus licentia obtenta à Superiore poteſt ſe diſponere, & dolere, & cum non Reſeruatis confiteri Reſeruata Confeſſario deputato, quapropter Superior ſe facilem debet exhibere in concedenda licentia petita, & etiamſi nullam habeat iuſtam cauſam concedendi, tamen prudenter operabitur concedendo, vt ſic multis maioribus malis *cum D. Thoma* occurrat, & in fauorem Pęnitentis procedat, non verò in ipſius deſperationem, ſicuti diximus ſupra, non obſtante, quòd Superior habeat iuſtam cauſam denegandi licentiam, attamen ſi Subditus, vel Confeſſarius nomine Subditi licentiam petat, etiamſi non obtineat, poteſt iuxtà Indultum *Vrbani VIII. pro illa Vice abſolui*.

59. Dices ſecundò: Si vera ſint dicta, profectò maximè eneruarentur Reſeruationes in Religionibus, cùm facili negocio poſſet obtineri beneficium Abſolutionis à Reſeruatis, nec Superiores poſſent, iuſta etiam cauſa interuenientе, denegare licentiam Confeſſario, vt à Reſeruatis ab-

 ſoluat,

ſoluat, aut Religioſo Subdito, vt abſoluatur, quia *Indultum Vrbani VIII. pro illa Vice*, qua petitur licentia, eſtò non obtineatur à Superiore, concedit abſoluere, & abſolui à Reſeruatis.

℞. Non per hoc eneruari Reſeruationes, ſed à Summis Pontificibus prudentiſſimè roborari in vtilitatem Subditorum Pęnitentium; prouidit ergo Sapientiſſimè *Clemens VIII.* Bono Subditorum, quando Superioribus præcepit ſic: *Superiores in ſingulis Domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro Subditorum numero maiori, vel minori, iſque ſint docti, prudentes, Charitate præditi, qui à non Reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam Reſeruatorum Abſolutio committatur, quando Caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit*, vbi nota *ly In primis iudicauerit*, per quod Summus Pontifex dat intelligere, quòd Superior ſtare debeat principaliter Iudicio Confeſſarij, quia Confeſſarius poteſt magis perſpectam habere conſcientiam, & diſpoſitionem Pęnitentis, vnde ipſi Confeſſario, quando Caſus aliquis occurrerit, petendi facultatem abſoluendi à Reſeruatis, & in primis iudicanti, facultatem debere ſibi committi, tenetur Superior facili negocio facultatem committere abſoluendi à Reſeruatis propter Subditorum Infirmitatem leuandam. *Vrbani verò Indultum*, patet, non ſuffragari Subdito Reſeruatione innodato, niſi quando prudens Confeſſarius in primis iudicauerit expedire, quòd Superior talem facultatem committat, quando autem prudenter iudicauerit, non expedire, tunc nec *pro illa Vice* abſoluere, nec Reſeruationem eneruare poterit, ſed Reſeruatio manebit in ſuo robore.

60. Aduertendum tamen eſt, quòd vt Confeſſarius prudenter iudicet expedire, quòd Superior committat facultatem abſoluendi à Reſeruatis, debet non habere timorem, quòd Abſolutio à Reſeruatis futura ſit Subdito Pęnitenti occaſio Scandali, ſeu Recidiui, quia tunc Abſolutio à Reſeruatis potiùs eſſet in graue damnum Spirituale Subditi, & non in Bonum, & ſalutem eius. Debeat etiam iudicare, quòd

quòd peccatum Subditi, pro quo absoluendo deberet recurrere ad Superiorem, non vergat in damnum totius Communitatis, vel alterius tertiæ Personæ, & hic nota, quòd Superior licet stare debeat principaliter iudicio Confessarij, stante illo Verbo *In primis*, attamen non est excludendum iudicium eiusdem Superioris, ad quem spectat committere Reseruatorum Absolutionem, quando Casus occurrerit, & ipse Confessarius in primis iudicauerit, sibi committendam esse absoluendi facultatem.

61. Dices: Potest in omni hora Casus occurrere, quia in omni hora possumus instigante Diabolo patrare Reseruata, & Superior potest esse absens tempore, quo Sacerdos ligatus Reseruatione celebraturus esset, ergo pro omni hora, & pro omni tempore, indefinitè, & generaliter iudicandum est, Romanum Pontificem voluisse ex sua speciali benignitate, commissam fuisse Confessarijs Deputatis facultatem absoluendi à Reseruatis.

℞. Quòd Romanus Pontifex per illa Verba, *Quando Casus occurrerit*, det intelligere, quòd non possit Superior absolutè, pro omni tempore, indefinitè, generalitèr, & pro omni Casu committere Confessarijs Deputatis facultatem absoluendi à Reseruatis, estò pro omni hora possimus patrare Reseruata; nec Superior potest fingi absens, cùm sit Conuentualis, qui pro Casu occurrente potest, vel per se ipsum, vel committendo facultatem Confessarijs licentiam petentibus [ quando isti in primis iudicauerint committendam ] absoluere à Reseruatis Sacerdotem celebraturum, ideò nullum in hoc inconueniens sequi potest, neque vllum detrimentum Religiosis Pænitentibus. Hinc malè dixere aliqui Opinantes, facultatem absoluendi à Reseruatis modò residere penes ipsos Confessarios Deputatos, adeò vt non ampliùs sit necesse recurrere ad Superiores, quod conantur probare ex Verbis Decreti Clementini relatis suprà: *Superiores in singulis Domibus deputent &c.* Sed profectò hallucinantur sic Opinantes, non enim Decretum dicit, quòd simpliciter committatur Confessarijs Deputatis facultas absoluendi à Reseruatis, sed præcipit, vt commit-

vt committatur, quando Casus occurrerit, in quo Confessarius in primis iudicauerit, non esse expediens, quòd Pænitens personaliter ad Superiorem recurrat, non ergo ex Verbis Decreti asseri potest, quòd Confessarij deputati talem facultatem simpliciter, & absolutè habeant. Tum quia Decretum supra in vanum dixisset, non esse recurrendum ad Superiores, nisi quando peccatum aliquod Reseruatum admiserint, aut &c. ergo Verba Decreti non concedunt Confessarijs deputatis simpliciter, & absolutè facultatem absoluendi à Reseruatis.

62. Sed numquid est in libertate Superioris Religioso pœnitenti assignare Confessarium, qui eum absoluat à Reseruatis.

℟. Ex dictis, quòd non, sed quòd Subditus possit sibi vnum eligere ex deputatis in suo Conuentu; est vtique in libertate Superioris deputare in singulis Conuentibus Doctos, Prudentes, & Charitate præditos Confessarios pro Subditorum numero maiori, vel minori iuxtà Decretum Clementinum, est tamen etiam in libertate Subditorum Pænitentium eligere quemcumque ex Deputatis in suo Conuentu, vt liberiùs, faciliùs, & sine formidine maculas Conscientiæ suæ illi detegant, nec enim Decretum ait, quòd Superior assignet Pænitentes determinatos cuilibet Confessario, vt constat.

63. An autem Confessarius Deputatus pro Reseruatis possit in Foro Conscientiæ absoluere Religiosum, qui Delictum secundùm se Reseruatum commisit publicè, & notoriè?

℟. Quòd non possit, priùsquàm à Iudice sit expeditus, cùm enim Delictum sit publicum, iam Delinquens amisit famam, immò scandalizarentur Adstantes, si viderent illum fungi Sacerdotio, vel communicare, antequàm à Superiore Prouinciali iuridicè absolutus fuerit, & pro hoc dicitur in C. *Ex Parte* 1. *De Verb. Signif.*, *quòd nullus est absoluendus ab Excommunicatione pro Iniuria manifesta, nisi reali satisfactione præmissu*, hinc dixere Innocentius, & Ioannes Andreas *in cap. Solet De Sent. Excom.*, quòd si

Petenti

Petenti Absolutionem opponatur de manifesta Offensa, non absoluatur ; & in Nostris *Constitutionibus Sambucanis cap. 7. §. 2. De Casibus Reseru. num. 3. legitur, quòd si Casus Reseruatis fuerint notorij, ad suos Ministros Rei Criminum sine mora recurrere teneantur* ; restat ergo, quòd Confessarius Deputatus pro Reseruatis dumtaxat occultis absoluendis habeat potestatem, & non pro publicis.

64. Numquid igitur recursus ad Superiores maiores pro Absolutione à Culpis Reseruatis iuxtà *Regulam S. P. N. cap. 7. vbi dicitur : Si qui Fratrum, instigante Inimico, mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad solos Ministros &c.* debeat intelligi de Culpis publicis, an verò de Secretis, & occultis?

℞. Quòd D. Bonauentura, Hugo, Pisanus, & alij Expositores sentiant, quòd debeat intelligi de Culpis publicis, sic etiam declararunt Gregorius IX., & Innocentius IV., ratio autem est, quia peccatum publicum generat maiùs Scandalum, quam secretum, ideò grauiùs est puniendum, hinc *S. F. N. Franciscus* præcipit, quòd Delinquentes quantociùs poterunt, recurrant ad Ministros, vt scilicet pęnam Iuris luant pro qualitate Delicti in Foro Contentioso ; tum quia quando *N. S. Patriarcha* dixit, quòd quàm citiùs ad Ministros recurrant sine mora, profectò de Delictis publicis loqui censendus est, alioquin si pro Delictis secretis deberent Delinquentes discurrere per loca ad quærendum Ministros, infamarent se ipsos contra Ius Diuinum, & naturale ; tum quia multoties Superior potest non esse Sacerdos, sicuti Nostra Sancta Regula præsupponit, & tunc de publicis solùmmodò Culpis verificatur, eò quòd Culpas secretas nemo tenetur alteri manifestare extrà Confessionem ; tum quia Sancta Regula ait *Ministri cauere debent, ne irascantur, & conturbentur propter peccatum alicuius*, at ira, conturbatio, & huiusmodi affectus solent regulariter nasci pro peccatis publicis, non verò pro secretis, & occultis, quæ audiuntur in Confessione, ergo recursus ad Superiores Maiores videtur debere intelligi

solum

ſolùm de Culpis publicis. Atttamen, quòd etiam intelligatur de Culpis ſecretis, & occultis, ait Serena Conſcientia, cuius Auctor hac vtitur diſtinctione, nam vel eſt Sermo de Regula ſola, vel *de Decreto Clementis VIII.*; ſi de Regula ſola, ait, intelligi etiam de ſecretis, cum hoc diſcrimine tamen, quòd pro Culpis publicis Præceptum eſt, vt ſtatim Delinquentes recurrant ad Superiores Maiores, pro Culpis verò ſecretis non tenentur ſub præcepto, ſic ſtatim recurrere, ne ſe prodant, & infament; ſi verò eſt ſermo de Decreto Clementino, Caſus illi intelliguntur ſimpliciter de Culpis ſecretis, & occultis, pro quibus recurrendum eſt ad eos Prælatos, qui abſoluendi facultatem habent.

65. At numquid Superiores in ſingulis Conuentibus poſſint conſtituere Pęnitentiarios, qui habeant delegatam Facultatem abſoluendi à Reſeruatis?

℞. Poſſe, non tamen teneri de Iure, cùm hoc nullibi inueniatur Præceptum, nam cùm *Tridentinum Seſſ.* 14. *cap. 7. in Fine dicat: Id vnum Pęnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio Abſolutionis accedant*, videtur obligare Pęnitentes ad accedendum ad Superiores pro Abſolutione à Reſeruatis, & non cogere Superiores ad conſtituendos Pęnitentiarios; neque teneri ex Vi verborum Decreti Clementini, nimirùm *Superiores in ſingulis Domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios &c.* per quæ Verba nihil pro Regularibus decernitur quoad Pęnitentiarios, ſed ſolùm, quòd deputentur Confeſſarij, quibus Superiores in Caſibus occurrentibus committant Abſolutionem à Reſeruatis, quando ipſi Confeſſarij id in primis ſibi committendam eſſe iudicauerint, Pęnitentiarij autem cum hac facultate ſuper Reſeruata inſtituuntur, & cùm Confeſſarij deputandi non habeant poſt Deputationem hanc facultatem, non ſunt dicendi Pęnitentiarij, vnde dixi, Superiores poſſe inſtituere Pęnitentiarios non à Iure, ſed ſolùm ex Vi Conſuetudinis, & Statutorum aliquarum Religionum. Et quidem Conſuetudo eſt, vt in ſingulis ferè Capitulis Prouincialibus

pro

pro vnoquoque Conuentu vnus saltem cum Superiore Conuentus instituatur Pęnitentiarius, & hoc modo Superiores Regulares imitantur laudabilem Vsum Episcoporum constituentium per suas Dięceses Pęnitentiarios, iuxta Monitum factum *a Sacra Congreg. Archiepiscopo Neapolit.* apud Quarantam Verb. Casus Referu. §. Sequuntur, & Pęnitentiarius à Superiore institutus poterit absoluere à Reseruatis, non solùm Fratres, qui degunt de Familia in eodem Conuentu, & Hospites ibidem repertos, sed etiam in alijs Conuentibus suæ Prouinciæ, si institutus fuerit Pęnitentiarius à Prouinciali, quia Institutio simpliciter est facta absque limitatione Loci, & Personarum subditarum ipsi Instituenti, si verò à Generali institutus fuerit Pęnitentiarius, tunc in tota Religione omnes, & singulos Fratres poterit absoluere à Reseruatis omnibus, à quibus absoluit Superior Instituens, nisi in Litteris Institutionis fuerit restricta Potestas, non tamen poterit subdelegare suam potestatem alijs, veluti de Pęnitentiario Sæcularium in Cathedralibus inquit Barbosa ad Cap. 8. Seff. 24. num. 18. 19.

66. Petes, an Religiosus saltem itinerandi, & peregrinandi causa possit sibi de Superiorum licentia eligere Confessarium Extraneum, quando non adest Copia Confessarij proprij Ordinis?

℞. Posse, nisi aliter determinatum fuerit per Constitutiones, & Ordinationes propriæ Religionis, quæ vel in totum, vel cum aliqua limitatione potest in Capitulis renunciasse Priuilegio eligendi Confessarium Extraneum, quod Priuilegium PP. Dominicanis concessit *Innocentius VII. in Constit. Prouenit*, & PP. Franciscanis concessit *Sixtus IV. in Constit. Supplicari*. Verba Innocentij sunt hæc: *Nos igitur huiusmodi Supplicationibus inclinati Fratribus huiusmodi, quos pro tempore, vt præfertur, itinerare, & per eorum Superiores mitti contigerit, vt si aliquem Presbyterum idoneum, ex Professoribus dicti Ordinis habere non possint, quemcumque alium idoneum & discretum Religiosum, vel Sæcularem in eorum Confessores eligere valeant.*

*valeant*. Verba Sixti sunt ista: *Vt Fratres vestra, vel aliorum Prælatorum, & suorum, qui pro tempore erunt, licentia, solùmmodò tamen cùm itinerauerint, vel fuerint extra Conuentus eorum, prout eis concedetis, confiteri possint, & Vos quomodocumque Sacerdotibus cuiuscumque Sæcularis, aut Regularis Ordinis confiteri valeatis*. Quapropter apud PP. Theatinos in prima parte suarum Constit. Cap. 6. num. 1. legitur: Nemo Nostrum sua peccata Extero Sacerdoti confiteri queat, sed ijs tantùmmodò Nostratibus Confessarijs, qui à Præposito Domus fuerint designati, non obstante quocumque Priuilegio, cui ex nunc totius Religionis Nomine renunciamus, ac cedimus; Apud PP. Ordinis Prædicatorum in suis Constitutionibus, vt testatur Ioannes De la Cruz De Statu Relig. lib. 2. Cap. 6. Dub. 11. habetur, non posse Priorem concedere Religioso sibi Subdito licentiam confitendi Sacerdoti alterius Ordinis, sed solùm Magistrum Ordinis hanc posse concedere, quando non adest Confessor Ordinis, consequenter prohibitio, ne eligatur Confessarius extraneus inter Theatinos est absoluta; inter PP. Dominicanos est limitata. Apud PP. Carthusianos in parte secunda suarum Constitut. Cap. 7. §. 20. sic legitur: Nulli Sacerdoti Extraneo siue Sæculari, siue etiam Regulari poterunt aliqui Nostrum licitè confiteri, nisi Priorum licentia impetrata, quam quidem licentiam Priores absque causa multùm rationabili non concedant, vel nisi quis ostenderit, se habere Priuilegium sibi datæ Potestatis à Domino Papa, expresso Nomine Ordinis Carthusiani. Apud PP. Capucinos, inquit P. Habsensis in Summula Verb. Confessarius num. 96., fuisse sibi interroganti responsum à duobus Patribus Procuratoribus Generalibus, Consuetudinem Ordinis ita habere, vt ne quidem, quando quis ex illa pijssima Religione agens iter incidit in mortale, validè possit ab eo absolui per Confessarium non Capucinum, ac proinde, quando est illi itineranti necessariò faciendum Sacrum, posse, & debere se gerere perindè, ac si omninò abesset Copia Confessarij, estò non desint alij aliorum Ordinum Religiosi, aut Sæculares.

Sed

Sed Hasbensis dissentit à suo Caspensi in hoc, ex P. Gobat tract. 7. Casu 20. num. 648. Apud PP. Societatis Iesu in Ordinationibus suis Generalibus Fol. 31. de Peregrinantibus dicitur, eos posse confiteri etiam Externis, si desit Secerdos de Societate approbatus. Apud Nos *Obseruantes in Statutis Generalibus Sambucanis Cap. 7. De Sacra Peccatorum Confessione* §. 1. *num.* 3. *sic legitur: Fratres omnes Prælatis suis, vel alteri Sacerdoti Ordinis vt supra approbato, bis, aut sæpius in Hebdomada confiteri teneantur, deinde num.* 4. *Confiteri verò extrà Ordinem, præterquàm in necessitatis articulo, & tunc de licentia Superioris, per Apostolicas Constitutiones Fratribus expressè prohibetur; item num.* 5. *Itinerantes autem Guardianis, vel vt supra approbatis confiteantur, nisi eligendi Confessarium generalem habuerint à Superioribus facultatem.* Nomine autem Superiorum venit etiam Guardianus, quandoquidem graue foret, inquit Melphi, si Religiosus, vbi Prouincialis non est, obligaretur talem facultatem semper petere à Superiore Maiori, & hæc facultas sufficit, si sit generalis, aut tacita, siue præsumpta, immò statim ac Religiosus facultatem habet itinerandi, intelligitur quoque facultatem habere confitendi extrà Ordinem, si articulus sit necessitatis, nempe sit in probabili Mortis periculo, aut sit in Terris Infidelium, aut si necessitas vrgeat celebrandi, nec Confessarium proprij Ordinis prestò habeat, ex P. Felix tom. 1. part. 4. cap. 5. n. 3446.

67. Difficultas maior est, an Confessarius Extraneus siue Sæcularis, siue Regularis alteriùs Ordinis eligendus, debeat esse approbatus à suo respectiuè Prælato, an verò sufficiat, si sit Sacerdos Simplex?

℟. Quòd debeat esse approbatus ab Episcopo, si sit Sæcularis debeat esse approbatus à suo Prælato, si sit Regularis, neque sufficiat, si sit Sacerdos Simplex, sic contrà Bordonum Resol. 34. num. 2., & plures alios tenent Miranda in Man. Prælatorum Regul. Tom. 2. qu. 33. art. 6., Clericatus De Pœnit. Decis. 39. num. 11., Viualdus, Lopez, & alij, & probatur destruendo fundamentum princi-

palius Aduerſariorum; fundamentum etenim, quod pro ſua Sententia præcipuè aſſignant, eſt hoc, nimirùm quòd ante Concilium Tridentinum potuerit Religioſus, qui à ſuo Superiore licentiam eligendi ſibi Confeſſarium habebat, eligere Sacerdotem ſimplicem; at (ſalua reuerentia tanti Doctoris) tale fundamentum eſt falſum, nam ei apertè contrariatur *Gloſſa in cap. Omnis vtriuſque Sexus Verb. Alieno Sacerdoti De Pœnit. & Remiſſ.*, *nec non in Clement. 1. Verb. ſpeciali De Priuileg.*, vbi Sacerdos eligendus debet habere Ordinis executionem, & ad Confeſſiones audiendas debet eſſe approbatus à ſuo Superiore, Opinio autem Gloſſæ præualet cuicumque Doctori, vt plenè probat *Fagnanus in Cap. Cùm Vos in Fin. De Offic. Ordin.*, & maximè quando Doctrina Gloſſarum, ſicut fit in præſenti, fundatur in Diſpoſitione Sacrorum Canonum, videlicet in *Cap. Adijcimus* §. *Ecce in hoc*, *& in Cap. Generaliter* §. *Hoc idem 16. q. 1.*, vbi clarè habetur, quòd nullus Sacerdos ſiue Sæcularis, ſiue Regularis adminiſtrabat Sacramentum Pænitentiæ, niſi approbatus per Epiſcopum, vel per ſuum Superiorem, ſic multi Canoniſtæ, quibus ſubſcribit Fagnanus cit. num. 10., & num. 53., quare cùm modò agatur de Interpretatione Sacrorum Canonum, Canoniſtis potiùs, quàm Theologis Moralibus, & Scholaſticis deferendum eſt, vt nouiſſimè aduertit Cardinalis de Luca in Annot. ad Concilium Tridentinum Diſc. 26. num. 24. Hoc idem ſentire videntur ſupradicti Summi Pontifices; *Innocentius* enim vult, Confeſſarium eligendum debere eſſe *Idoneum*, nemo autem iudicatur Idoneus, niſi fuerit approbatus, & licet *Sixtus* non exprimat Idoneitatem, ipſam tamen ſubintelligit, eo quidem modo quo teſtatur *Fagnanus Cap. Omnis vtriuſque Sexus num. 18. De Pœnit. & Remiſſ. iuxtà Mentem Sacræ Congregationis*, quòd etiamſi in Bulla Iubilæi non exprimeretur Approbatio Confeſſarij eligendi, adhuc dicta Approbatio ſubintelligeretur, ſic quoque diſcurrendum eſt de Electione Confeſſarij Extranei facta à Religioſo Itinerante de licentia ſui Superioris, quando deeſt Copia Confeſſarij proprij Ordinis. Tum

quia

quia licet Episcopi ante Tridentinum potuerint extrà Diœcesim confiteri peccata sua Sacerdoti sibi non Subdito, & non approbato à proprio Ordinario, vt habetur *in Cap. Fin. De Pœnit. & Remiss.* attamen post Tridentinum tenentur confiteri Confessario Idoneo, & approbato ab Ordinario Loci, in quo reperiuntur, quando volunt confiteri, sic in paribus Votis Cardinalium super hoc Dubio congregatorum *die* 1. *Decembris* 1582. *placuit Gregorio XIII. decernere: Non posse*, *& Fagnanus in dicto Cap. Fin.* extendit etiam ad Eminentissimos Cardinales Decretum Gregorianum, quomodò igitur Religiosus manens extra Claustra, & Itinerans, habensque licentiam à suo Superiore confitendi peccata sua extrà Ordinem, poterit sibi eligere Sacerdotem simplicem extrà Ordinem, cùm hoc Eminentissimis Cardinalibus, & Illustrissimis Episcopis denegatum sit à Romano Pontifice, ne scilicet extrà suam Diœcesim possint in Confessarium eligere Sacerdotem, nisi ab Ordinario Loci fuerit approbatus? Addo cum Clericato supracit. num. 12., quòd nimis irrationabile foret, quòd simplex Religiosus, & qui esset illiteratus, ac idiota, haberet Ius iudicandi Idoneum, & Ius approbandi sibi in Confessarium quemcumque Simplicem Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem, se ipso magis illitteratum, ac magis idiotam. Hæc Clericatus.

68. Quid ergò proderit Priuilegium per Sacros Canones concessum Episcopo eligendi sibi Confessarium, si extrà Diœcesim non possit eligere nisi Sacerdotem à suo Ordinario approbatum?

℞. *Ex Fagnano in* 5. *Decretal. ad Cap. Ne pro dilatione num.* 25., multum quidem prodesse, quandoquidem statim Sacerdotem, quem eligit Episcopus, poterit secum ducere, & vbique Locorum apud eum confiteri, etiam extrà Diœcesim Episcopi approbantis, quòd circumscripto Priuilegio non sibi liceret. Concordat Diana part. 3. tract. 2. resol. 3., vbi inquit: *Concilium Tridentinum Sess.* 23. *cap.* 15. verè, & propriè non derogat Episcoporum Priuilegio, quia Priuilegium expresè dicit, vt possint eligere Sacerdo-

Sacerdotem Idoneum, & hoc illis integrum manet, neque Concilium illud in totum, vel in partem abstulit, sed solum ex parte Confessoris posuit conditionem necessariam, vt Idoneus sit, nempe approbatus ab Ordinario suo, & hæc conditio vniuersaliter apposita est respectu omnium Secularium, inter quos Episcopi continentur.

69. Dixi supra, quod Religiosus extrà Claustra, & Itinerans, nec habens Copiam Confessarij sui Ordinis possit de licentia sui Superioris eligere in Confessarium Regularem alterius Ordinis approbatum à suo Prælato, quandoquidem non est necessè, quòd sit approbatus ab Ordinario Loci, in quo Religiosi Itinerantis Confessionem exciperet, nam *Concilium Tridentinum Sess. 23. Cap. 15.*, quando in Confessario requirit approbationem Episcopi, loquitur tantùm de Confessionibus Sæcularium etiam Sacerdotum, nihil verò loquitur de Confessionibus Regularium ad inuicem. Ideò Noster Matthæuccius in sua doctissima Cautela lib. 1. cap. 9. num. 10. nimis rigorosè sentit volens, quòd Confessarius eligendus, quando etiam est Regularis alterius Ordinis, debeat esse ab Ordinario Loci approbatus, nec enim exponeretur Sacramentum periculo frustrationis, quia non est dubium, sed certum, quòd ad Confessiones Regularium excipiendas sufficiat approbatio suorum Prælatorum Regularium.

70. An validè Religiosus de Obseruantia confiteatur Confessario Reformato, aut Religiosus Reformatus Confessario de Obseruantia absque vlla suorum Superiorum licentia?

℟. Quòd vtique valida sit Confessio, si fiat Confessario approbato à Generali, sub quo veluti sub vno Capite degunt Obseruantes, & Reformati in toto Ordine *S. P. N. Francisci*; inualida autem sit Confessio, si fiat Confessario approbato à solo Prouinciali, eò quòd Confessarius de Obseruantia non habet Iurisdictionem, aut Delegationem à suo Prouinciali, nisi super Obseruantes, nec Confessarius Reformatus habet Iurisdictionem, aut Delegationem à suo Prouinciali, nisi super Reformatos, nec Iurisdi-

Iurisdictio vnius Prouincialis extenditur super Subditos alterius Prouincialis, vnde *ex cap. Omnis vtriusque Sexus De Pœnit., & Remiss. habetur, alienum Sacerdotem non posse aliter, quàm de licentia proprij Sacerdotis obtenta Pœnitentem absoluere, vel ligare*, propterea patet ad Casum, qui occurrere potest, si Religiosus Sanctissimæ Annunciatæ Bononiæ de Obseruantia absque licentia sui Superioris confiteretur peccata sua apud Religiosum Reformatum S. Pauli Bononiæ, & è contra. Hinc colligitur, quòd Confessarius, qui ab vno Prouinciali facultatem habet excipiendi Confessiones, non possit, in aliena Prouincia manens, ibi Confessiones audire, nisi à Prouinciali talis Prouinciæ approbationem habuerit, aliàs absolutio est nulla, sic Sententia Communior.

71. Quid si Religiosus Pænitens de Obseruantia, aut Reformatus esset Hospes, & Itinerans?

℞. Quòd Confessio foret valida, si Confessarius esset à suo Prouinciali approbatus. Tum quia hoc est Priuilegium Hospitalitatis concessum à Clemente IV. Tum quia Prouincialis Superior Pœnitentis potest hoc concedere Sacerdoti approbato, siue Sæcularis sit, siue Regularis, vt suorum Subditorum Confessiones excipiat, respectu quorum Iurisdictionem habet quasi Episcopalem cum Melphi in Comm. Cap. 7. Stat. 1., qui qu. 10. addit, quòd Romę PP. Reformati S. Franc[illegible]i in Ripa, vel S. Petri in Monte Aureo habentes negocia in Conuentu Aracælitano PP. Obseruantium, si ibi velint celebrare, vel quid simile facere, ibi etiam licitè, & validè confiteri possint, quia Praxis, & Consuetudo est huiusmodi, ac præsumitur licentia tacita Superioris, consequenter &c.

72. Quid si Religiosus Iter arripiens de licentia Superioris dedita opera, & eo fine, vt confiteatur extrà Ordinem, tunc absoluatur?

℞. Quòd Absolutio foret nulla, & Confessio esset inualida, tum quia *fraus, & dolus Nemini debet patrocinari Cap. Sedes Apostolica De Rescriptis; tum quia Priuilegium meretur amittere, qui sibi permissa abutitur potestate* Cap.

*Cap. Final. in fine de Pænit. in 6.* Contrarium dicas de Religioso Concionatore, qui arripit Iter ad alibi concionandum, & consultò differt Confessionem vsque ad tempus Quadragesimæ, vel ad aliud tempus, quo extrà manere debet, vt sibi eligat Confessarium extraneum, nam tunc Absolutio foret valida, quia Concionator, dum actu existit extrà Monasterium, verè Peregrinus est, ergo habet Ius vtendi Priuilegio eligendi Confessarium Extraneum, quod præsertim Concionatoribus Ordinis Minorum manentibus extrà Claustra à Leone X. concessum est, consequenter dilatio illa Confessionis vsque ad tale tempus non potest vitiare hanc electionem. Tum quia sicut validè eligit Confessarium, qui peccat sub spe Veniæ, & Absolutionis obtinendæ virtute alicuius Bullæ, aut Iubilæi concedentis Electionem Confessarij ex Beia part. 2. Casu 29., ità & validè eliget Confessarium Concionator ille, qui vsque ad tempus Quadragesimæ, vel ad aliud tempus, quo extrà manere debet, consultò differt Confessionem, & validè absoluetur. Tum quia Iter susceptum alio fine, quàm confitendi est Titulus sufficiens eligendi Confessarium, & tunc Fraus, quæ non est principalis, sed secundaria, non nocet, vt ait Nauarr. Consil. 6. num. 4. De Conuers. Coniug., & facit Textus *in Cap. Quia Diuersitatem De Concess. Præbend.*

73. An autem Religiosus occasionaliter repertus extrà Claustra, putà habens obligationem celebrandi in aliena Ecclesia, vel existens Sabbato in Cathedrali suscipiendi gratia Ordinem Sacrum, si recordetur alicuius peccati Mortalis, nec commodè possit adire Conuentum, confiteri queat Regulari Approbato alterius Ordinis, aut Præsbytero Sæculari Approbato ab Ordinario Loci?

℞. Communiter posse, tum quia quando Summi Pontifices in Priuilegijs Regularium volunt, ne Exteris Sacerdotibus Religiosi confiteantur, excipiunt Casus necessitatis, sicuti sunt Casus anteà recensiti, & hoc, ne Religiosus iste det Scandalum, vel ne cogatur celebrare, aut in Ordinatione Sacram Communionem sumere in peccato Mortali,

Mortali, neque enim in dictis Casibus sufficit sola Contritio, cùm tunc solùm sufficiat Contritio, quando Confessarius haberi non potest, at in Nostris Casibus esset in promptu Confessarius Extraneus, ergo. Tum quia *necessitas non est subiecta Legi Cap. Quanto De Consuetud., & facit licitum quod aliàs erat illicitum Cap. 4. De Reg. Iuris.* Tum etiam quia talis Religiosus æquiparatur Peregrinanti, & pro eo stat præsumpta licentia sui Superioris, vt possit alteri Extraneo confiteri.

74. Num verò Religiosus existens in Conuentu, vbi nullus reperitur Sacerdos sui Ordinis, vel si reperitur, non sunt ad inuicem benè affecti, possit sibi Confessarium Extraneum eligere?

℞. Posse, eò quòd in hoc talis Religiosus æquiparatur Itineranti. Tum quia *ex cap. Final. De Pęnit. ideò conceditur Electio Confessarij, ne pro dilatione Confessionis immineat periculum Animarum*, quale periculum in Casu immineret Animæ huius Religiosi. Tum quia præsumitur voluntas Superioris esse, ne Subditus differat diutiùs Sacramentum Pęnitentiæ, attamen tutius est, quòd admoneat Superiorem, & ab eo licentiam petat.

75. At num Superiores in Capitulis possint tollere suis Religiosis licentiam, ne manentes intrà Claustra eligant Confessarium Extraneum?

℞. Posse Superiores dictam licentiam in Capitulis prohibere, & quidem hanc licentiam prohibere tàm Subditis, quàm etiam Prælatis optimum foret, vt Religiosi hoc spirituali fræno retraherentur à Vitijs, & in Disciplina Regulari continerentur, nam hæc licentia facilitatem tribuit peccandi, & fouet prauas Consuetudines, & de facto in quibusdam Religionibus factum fuit Statutum, ne quis Religiosus manens intrà Claustra Confessarium eligat sibi Extraneum, nisi in maximis necessitatibus occurrentibus ex Clericato Decis. 39. num. 18. Verùm, cùm diuersæ sint Religiones, & diuersi practicentur modi in hac Materia, idcircò vnusquisque Religiosus suis vniformetur Constitutionibus, seu Ordinationibus in proprio Ordine.

76. An pro absoluendis Nouitijs Magister habeat potestatem Ordinariam, & an ipsi Nouitij eligere possint Confessarium Extraneum?

℞. Ad primum, quòd non, cùm Magister Nouitiorum sit Confessarius solùm Delegatus à Superiore eligente eum in Magistrum quod constat ex Verbis Bullæ *Clementis VIII. Cum ad Regularem*, *vbi sic*: *Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum Confessiones audiendi Cura committatur*, si igitur Magistro hæc Cura committenda est, iam non ipse, sed Superior habebit Potestatem Ordinariam, quam per electionem in Magistrum implicitè illi delegat, & consequenter nequit Magister huiusmodi Potestatem subdelegare suo Socio, seu Submagistro, benè quidem Superior, & hoc maximè per Verba eiusdem Bullæ, vbi sic: *Liceat tamen Superiori etiam Locali, si ita expedire iudicauerit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in Anno eorumdem Nouitiorum Confessiones audire*, Magister verò non est Superior Localis. Neque approbo id, quod ait Portellus Verb. Nouitius num. 36., posse scilicet Magistrum licentiam concedere Nouitio, vt alteri confiteatur, eo modo, quo potest Parochus concedere suo Parochiano. Nam non est par ratio, eò quòd Parochus est Ordinarius Pastor respectu suarum Ouium, at Magister non est propriè Pastor, sed quasi Mercenarius, & Delegatus Curæ Nouitiorum, quorum Pastor Ordinarius est Superior ipse Localis, & hic estò secundùm Verba Bullæ *possit per se ipsum semel*, *aut bis in Anno* Nouitiorum *Confessiones audire*, tamen non est expediens, ne scilicet Iuuenes Nouitij nimio rubore suffusi loco Confessionis Confusionem faciant, & sacrilego aliquo Mendacio obruantur.

Ad secundum respondetur, quòd Nouitij, nisi sint Itinerantes, non possint, sed tenentur confiteri intrà Religionem suo Magistro, aut vni ex Deputatis à Superiore, ex mox dictis, sic Bordonus resol. 34. num. 38., aliàs Confessio est nulla. At si Nouitij sint itinerantes, de licentia Superioris, cui subduntur, confiteri possunt Extraneo, cùm gaudeant Priuilegio Professorum per Bullas Innocentij

centij VII., & Sixti IV. relatas num. 66., ita Bordonus cit. num. 39., eò quòd Nouitius in fauorabilibus veniat nomine Religiosi, maximè pro Foro Animæ; & proptereà ipsi Nouitij nec Virtute Bullæ Cruciatæ poterunt validè sibi eligere Confessarium, eò quòd in Materia Sacramentorum Nouitius veniat nomine Religiosi, nulli autem Religioso Bulla Cruciatæ concedit huiusmodi electionem, vt infra dicam ex Decretis Summorum Pontificum. Poterunt de consequenti ijdem Nouitij per suos Superiores Regulares absolui ab omnibus Casibus, à quibus possunt absolui Religiosi Professi, & hoc absque vinculo reincidentiæ, si recedant, quoad ea, quæ commiserunt Habitu Religionis induti, quoad ea autem, quæ commiserunt in seculo, ad reincidentiam absoluuntur, sic Peyrinus, Campanil., & Naldus in Summ. Verb. Reseruatio Versic. Quoad Nouitios.

77. Petes. An Religiosus habens licentiam à suo Superiore, vt se faciat absoluere à Reseruatis, si faciat se absoluere extrà Religionem, dicatur validè absolutus?

℞. Contrà Portellum Verb. Confessarius ergà Religiosos num. 11., quòd non esset validè absolutus, eò quòd in generali licentia absoluendi à Reseruatis non videtur includi facultas ad faciendum id, nisi per Sacerdotem sui Ordinis, non autem per alium Extraneum; neque præsumitur, quòd talis licentia daretur Petenti, nisi satis difficulter, ex eo quod est contrà bonam Consuetudinem, Honestatem, & Decorem Religionis; & de facto per quoddam Priuilegium ab Innocentio VIII. concessum Sacro Ordini Prędicatorum necessaria est expressa licentia Prælati., vt Religiosus faciat se absoluere à Reseruatis extrà Religionem. Quapropter non adhęreo rigidę Sententię Nostri Cordubę super cap. 7. Regulę, vbi vult, quòd nec etiam de licentia Ministrorum possit Religiosus extrà Religionem se facere absoluere à Reseruatis, prout in dicto Cap. Regulæ Nostrę legitur: *Ipsi verò Ministri, si Presbyteri sint, cum misericordia iniungant illis Pænitentiam, si verò Presbyteri non sint, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis,*

 & dico,

& dico, quòd Religiosus validè sit absolutus, dummodò licentiam expressam habuerit à Superiore, vt se faciat absoluere à Reseruatis extrà Religionem cum Bordono Resol. 39. num. 38., hanc tamen licentiam Prçlati, regulariter loquendo, non solent concedere confitendi Reseruata extrà Ordinem, non quia per Nostra Statuta Generalia prohibeatur, aut per Nostram Regulam, sicuti vult Corduba, sed quia per se est irrationabile, & contrà debitum ordinem, vnde censent multi Doctores, quòd eò ipso, quòd talis facultas non est expressè concessa, censeatur non concessa, nec comprehensa sub generali facultate.

78. An Licentia absoluendi à Reseruatis obtenta per fraudem, & dolum det veram absoluendi Iurisdictionem, & valida sit Absolutio?

℞. Quòd sic, etenim si Causa falsò exposita sit solùm extrinseca, seu tantùm impulsiua, & non finalis, tunc licentia absoluendi à Reseruatis obtenta per fraudem, & dolum subsistit, at in casu ad concessionem huiusmodi licentię remanet causa finalis vera, & falsitas est solùm circà causam impulsiuam, qua cessante non cessat dispositio Superioris secundùm Sanchez lib. 3. De Matr. disp. 39. num. 14., ergo talis licentia subsistit, & ratio inducens Superiorem ad concedendam Iurisdictionem absoluendi à Reseruatis est impertinens ad licentiam fraudulenter, & dolosè petitam. Tum quia Mens concedentis talem licentiam non est, quòd ea sit irrita, falsa existente petitione, & hoc, ne passim Sacramentum Pęnitentię censeatur irritum, eò, vel maximè, quia quandoque Superior talem concedens licentiam euidentèr scit, sibi esse factam talis licentiæ petitionem fraudulenter, & dolosè, & tamen illam ex benignitate non negat, vnde licentia est valida, sicut valida est absolutio, ita quòd Religiosus sic absolutus non indigeat confiteri Reseruata Superiori, ità Coninchius disp. 8. De Ministro Sacramenti Pænit. dub. 5. in Fine, Lessius, Iuniperus, & Sanchez suprà cit.

79. Numquid etiam Licentia absoluendi à Reseruatis per Vim, & Metum obtenta veram det Iurisdictionem,

ctionem, & Absolutio data sit valida?

℞. Affirmatiuè, tum quia Iurisdictio in Reseruata, per Vim, & Metum obtenta, maximè si non sit extorta per Vim, & Metum cadentem in constantem Virum, dicitur sufficienter voluntaria, & ea, quæ per Vim, & Metum conceduntur, sunt absolutè, & simpliciter voluntaria, ac secundùm quid inuoluntaria, *ex D. Thoma*. Tum quia Consensus coactè extortus, est verè consensus ad quemlibet actum liberum præstandum sufficiens, sicuti Iuramentum per Vim, & Metum extortum ad confirmandam promissionem Homini factam validum est, & obligat propter reuerentiam Dei; similiter & Matrimonium iuxtà Sententiam probabiliorem initum per Vim, & Metum censetur esse validum, ergo & valida erit Licentia absoluendi à Reseruatis, estò per Vim, & Metum obtenta, & erit valida Absolutio. Tum quia nullus est Textus, vbi expressè declaretur irrita huiusmodi licentia, ac proinde debet sortiri Forum, quod sortiuntur cætera gesta per Vim, & Metum, ita Lessius, Palaus, Nauarr., & Sanchez cit. n. 13.

80. Quid dicendum de Sacerdote non approbato ad Confessiones à suo Superiore Regulari, si per ratihabitionem absoluat Religiosum à Reseraatis?

℞. Quòd tunc Absolutio foret inualida, siue per ratihabitionem de præsenti, vel præterito, siue per ratihabitionem de futuro Absolutio detur à Reseruatis; & in primis per ratihabitionem de præsenti, licet secundùm Doctores communiter valida censeatur Absolutio data à non Reseruatis, quando scilicet Superior videt Sacerdotem excipientem Confessiones sine Iurisdictione, & tacet, quia tunc per Visionem, quæ est signum externum manifestatiuum sui Consensus interni, dicitur conferre Iurisdictionem, & valorem dare Absolutioni à non reseruatis, non tamen à Reseruatis, nam pro non Reseruatis non ignorat Superior, quid Sacerdos ille faciat, sed pro Reseruatis profectò Superior ignorat, ideò ratam habet Absolutionem datam à non Reseruatis, secùs à Reseruatis; per ratihabitionem etiam de futuro est omninò inualida Absolutio tàm à non Reser-

uatis,

uatis, quàm à Reseruatis, Ratihabitio siquidem de futuro, quæ consistit in hoc, quando Superior sciuerit, quòd Sacerdos absoluerit à non Reseruatis, vel à Reseruatis, Ratam quoque habiturus erit Absolutionem, non est sufficiens ad dandam Iurisdictionem, nec ad dandum Valorem Absolutioni, quia quando confertur Absolutio, non est Ratihabitio, sed primùm futura est per Absolutioné, & quòd non est, licet futurum sit, non potest in præsenti operari, & maximè quoniam Absolutio non potest pendere ab aliquo futuro, sicut nec ipsum Sacramentum, sic omnes Doctores communiter.

81. Sed numquid Confessarius dubitans de sua Iurisdictione in Reseruata, si à Reseruatis absoluat, validam faciat Absolutionem?

℞. Quòd non quæritur hic, num Confessarius possit absoluere Religiosum dubitantem, an v.g. Lapsum Carnis voluntarium Opere consummatum commiserit, vel aliquod aliud Reseruatum patrauerit, quia Reseruatio, cùm sit Odiosa, non est amplianda, sed restringenda, vnde sub Reseruatione non cadunt peccata dubia, sed sola peccata certa, vt fusiùs probatum fuit num 28. Addimus modò cum Communiori Sententia, quòd Absolutus à peccato dubio; si postea comperta veritate cognouerit, se certò illud commisisse, iam censetur legitimè absolutus etiamsi peccatum illud haberet Censuram annexam, nec tenetur recurrere ad Superiorem habentem auctoritatem absoluendi ab eo, sicuti dicunt Doctores, quòd dubius de Voto Castitatis emisso, si postea sciat, quòd certò illud emiserit, non tenetur recurrere ad Pontificem pro Dispensatione, quia cùm ratione dubij tunc Votum non esset Reseruatum, potuit tunc Inferior in illo dispensare, & legitima vti potestate, quam habeat ad disponendum in Votis dubijs, & hanc Sententiam esse in praxi tenendam docuit Pontius Noster disp. 46. qu. 10. num. 126., quia inquit, hoc Sacramentum ex se, & ex Reseruatione Casuum est tam graue, & arduum, vt ampliùs eius difficultas augeri non debeat, quàm quantùm certa ratio, aut auctoritas, cui

cui deferenda sit, cogere videatur. Quod autem quæritur hic, est, num Confessarius, qui propriè dubitat de sua Iurisdictione super Reseruata, possit validè absoluere Religiosum Pœnitentem habentem Reseruata, & ad hoc dubium, dico, non posse, eò quòd Confessarius propriè dubitans de sua Iurisdictione super Reseruata, si absoluat à Reseruatis, in Communi Sententia se exponit periculo absoluendi inualidè, quia fieri potest, vt verè careat Iurisdictione, est enim possessio pro peccatis, de quibus constat, esse Reseruata. Meliùs Me explico: propriè dicitur dubitare ille cuius intellectus manet suspensus, & anceps circa Reseruatorum Iurisdictionem, & in hoc sensu procedit Dubium; impropriè autem dicitur dubitare ille, qui potiùs Opinionem probabilem habet de sua Iurisdictione, & tunc à Reseruatis potest absoluere, quàmuis in contrarium detur alia Opinio probabilis, immò etiamsi fortè Opinio probabilis, Confessarium habere Iurisdictionem absoluendi à Reseruatis, non subsistat à parte rei, quandoquidem Ecclesia supplet, seu dat Iurisdictionem Confessario absoluendi à Reseruatis ex Opinione praticè probabili, alioquin sequerentur eadem incommoda, quæ sequerentur, Ecclesia non supplente Iurisdictionem, quando adest Error Communis, & Titulus coloratus *L. Barbarius ff. De Officio Prętoris*, Titulo siquidem colorato, & Errore communi Vulgi habetur pro legitimo Iudice, vel Parocho quis, licet re ipsa non sit Iudex, vel Parochus, ex Bonaccina de Pęnit. disp. 5. qu. 7. punct. 5. §. 4. num. 5. Tum quia hæc est praxis, & Consuetudo absoluendi à Reseruatis cum Iurisdictione probabili, *vniuersalis autem Praxis, & consuetudo Ecclesiæ est sufficiens signum Iurisdictionis ex Cap. Cùm contingat de Foro Compet.*; quòd autem talis praxis, & consuetudo sit communis in Ecclesia, negari non potest, eò quòd Doctores eam communiter affirmant vnanimi consensu, & communis eorum Opinio in Quæstione facti facit omnimodam certitudinem moralem ex Cardena in Crisi Theol. part. 1. disp. 12. cap. 5. num. 73., sicuti iam dixi in Mea Apodixi De Casibus Reseru. in Communi num. 64.

82. Quid

82. Quid si Confessarius Inferior deprehenderet, se absoluisse Religiosum à Reseruatis absque Iurisdictione super ea?

℟. Quòd vel Religiosus Pęnitens cognouit tale impedimentum in Confessario, vel non cognouit; si cognouerit, tenebitur Pęnitens, vel Superiori, vel alteri Confessario habenti Iurisdictionem super Reseruata confiteri simul Reseruata, & non Reseruata, ne dimidiata remaneat Confessio, & Absolutio, prout integritas vtriusque est de Iure Diuino; si non cognouerit tale impedimentum, nec Pęnitens de illo certior factus fuerit, tunc remanebit coram Deo absolutus, *ne suo fraudetur merito per D. Antoninum part. 3. tit. 7. Cap. 12. Vers. Ille tamen.* Verùm tenebitur Confessarius Inferior, si nullum Scandalum sequuturum timeat, conuenire Religiosum, quem sine Iurisdictione absoluit à Reseruatis, & ab eo licentiam petere loquendi de his, quæ in præterita Confessione audiuit, vt illum edoceat veritatem de errore admisso in Confessionali, & in hoc Confessarius maxima debet vti Cautela, ne Religioso Pęnitenti odiosum fiat Sacramentum Pęnitentiæ. Interim Religiosus tenetur licentiam petitam dare Confessario, & hìc, licentia loquendi habita, in Confessionali solùm, & non extrà detegat ipsi grauem errorem commissum in suo Officio, videlicet se in præterita Confessione absoluisse eum à Reseruatis, estò caruerit Iurisdictione in Reseruata, & modò Iurisdictionem in Reseruata obtinuisse à Superiore, quapropter necesse sit, quòd pro valida recipienda absolutione denuò sibi integrè confiteatur omnia tum Reseruata, tum non Reseruata, quæ in elapsa Confessione sibi exposuit, & post elapsam Confessionem patrauit. Quòd si Religiosus Pęnitens noluerit dictam licentiam facere Confessario, tunc culpam totam Confessarij dicitur transferre in se ipsum, nec de obligatur à Confessione omnium peccatorum tàm Reseruatorum, quàm non Reseruatorum, quæ fuerunt inualidè absoluta, sic Doctores communiter.

83. An autem Confessarius carens Iurisdictione in Reseruata, validè absoluat Religiosum Pęnitentem, qui cum Inobe-

Inobedientia expressa, & formali, seu cum contemptu; & iniuria graui Superioris præcipientis asserit, se nolle parere, & ipse Pęnitens putat esse peccatum Reseruatum?

℞. Quòd si Inobedientia expressa, & formalis præfata non reseruetur in Religione Pęnitentis, qui tamen ex Conscientia erronea putat reseruari, valida sit Absolutio data à Confessario carente Iurisdictione in Reseruata, eò quòd error Delinquentis non potest limitare Iurisdictionem Confessarij circà tale peccatum; secùs dicendum est, si reuerà reseruetur in Religione Pęnitentis, vt si esset Religiosus ex Societate Iesu, in qua reseruatur quartus Casus sub his Verbis: *Inobedientia expressa, qua quis asserit, se nolle parere*, cuius Casus explanationem habes apud Thomam Tamburinum lib. 5. de Pęnit. tract. De Casibus Reseru. cap. 7. §. 3. num. 17. & num. 55., vbi sic ait: Casus Reseruatus est dicere *Nolo facere*, etiam in Materia leui, quia hìc peccatum attenditur, non tam ex grauitate Materiæ, quàm ex contemptu, qui inuoluitur in Verbo *Nolo*.

84. At quid si Confessarius, qui licentiam Superioris obtinuit absoluendi pro Vna Vice Religiosum à Reseruatis, absoluat eum etiam à Reseruatis, quæ commisit post obtentam licentiam, antequam confiteatur?

℞. Quòd ex vigore prioris licentiæ anteà obtentæ potuerit Confessarius absoluere Religiosum à Reseruatis, quæ patrauit tam ante, quàm post obtentam licentiam, nisi Superior restrinxerit Concessionem ad sola Reseruata præterita, siquidem Concessio, quando non est restricta, extenditur ad omnia Reseruata commissa vsque ad tempus Confessionis, etiamsi Superioris Concessio fuerit pro vna Vice, quia illa Verba *pro vna Vice* non habent vim restringendi Concessionem ad sola Reseruata præterita, sed ad vnam solùm Confessionem, adeò vt licentia non ampliùs inseruire possit, si post factam Confessionem, & post obtentam Absolutionem in noua relabatur Reseruata, sic Lugo disp. 20. num. 128., Bossius, Auersa, Leander, Præpositus, & alij. Longa tamen dilatio Confessionis cum noua Reseruatorum commissione videtur esse contra Mentem Su-

tem Superioris, qui licentiam concessit, hinc dilationem hanc Confessionis in Religioso Discastillus disp. 11. num. 348. non plùs extendit, quàm ad illam Vicem, qua ipse ex Lege, vel ex Regula tenetur Confessionem facere, si autem ex Lege, vel ex Regula non præscribatur tempus, tunc vltra Annum non est differenda Confessio ob Præceptum Ecclesiasticum commune omnibus Christifidelibus iuxta *Cap. Omnis vtriusque Sexus De Pœnit., & Remiss.*

85. Quid si Religiosus intuitu licentiæ obtentæ inducatur ad peccata Reseruata liberiùs nouiter committenda?

℟. Cum Sententia probabiliori, quòd hic Religiosus, si Concessio licentiæ fuerit absoluta, & illimitata, nec fuerit restricta à Concedente ad absoluenda solùm Reseruata præterita, debeat ab omnibus Reseruatis absolui, eo modo quo, si quis intuitu licentiæ concessæ per Iubilæum in noua Reseruata relaberetur, esset ab omnibus absoluendus, & quàmuis in Sententia contraria Priuilegium mereatur amittere, qui cum Spe Priuilegij delinquit, nihilominùs non dicitur ipso facto priuatus Priuilegio, proinde qui intuitu licentiæ obtentæ, si hæc fuerit absoluta, & illimitata, differt Confessionem, vt liberiùs noua Reseruata committat, non priuatur Absolutione omnium Reseruatorum, quæ in confidentiam obtentæ licentiæ postea patrauit, quandoquidem illi, qui peccat ex confidentia Absolutionis obtinendæ à Reseruatis, non debet tolli facilitas Remedij, quam nec aufert Christus, ex eo quòd Homo finit, se duci à Concupiscentijs ad peccatum, quia adest Remedium Sacramenti Pœnitentiæ mundantis à peccatis, ita Bossius, Filiuccius, Leander, Præpositus, Sanchez, Diana part. 4. tract. 4. resol. 109., & alij.

86. An autem Confessarius habens facultatem actiuam absoluendi Religiosum Pœnitentem à Reseruatis, possit ea vti facultate, ad hoc vt ipsemet absoluatur à suo Confessario?

℟. Quòd non, sed necesse sit, quòd huic Confessario fiat à Superiore Regulari expressa licentia passiua, vt à suo Confessario possit Reseruatorum Absolutionem obtinere, etenim

etenim Absolutio est actus Iurisdictionis, seu Iudiciariæ potestatis, ad quam exercendam erga alios aget peculiari auctoritate, ergo circà se ipsum non potest illa vti per suum Confessarium, nisi eam expresse habeat à Superiore, qui potest illam concedere. Tum quia hæc commissio, seu potestas absoluendi alios à Reseruatis est delegata, *& nullo modo potest extendi vltrà intentionem Delegantis ex Cap. P., & G. De Offic. & Potest. Iudicis Deleg., & sic Iurisdictio delegata prorogationem non admittit per Barbos. lib. 1. art. 1. num. 204. ff. De Iudicijs*. Ex hoc deducas, quòd Prælati Regulares habentes Iurisdictionem Ordinariam absoluendi Subditos à Reseruatis, possint illam conferre Confessarijs à se electis, & illi sic electi ex vi Iurisdictionis delegatæ possint absoluere Delegantes à Reseruatis, à quibus ipsimet Prælati Delegantes possunt suos Subditos absoluere.

87. Adnotandus tamen est in Dubio præsenti tum modus petendi, tum modus obtinendi hanc licentiam à Superiore, quoniam si Confessarius licentiam petat, & obtineat pro certa, & determinata Persona absoluenda à Reseruatis, tunc mehercle implicat, quòd illa vtatur pro se ipso, vt si petat, & obtineat licentiam pro Pęnitente vagè, & indefinitè sumpto absoluendo à Reseruatis, idest absque eò quòd designetur Persona absoluenda, non implicat, quòd illa vtatur pro se ipso. Vel si Confessarius petat licentiam absoluendi Pænitentem à Reseruatis, & licentia concedatur à Superiore, non potest Confessarius vti dicta licentia pro se ipso, quia licentia est determinatè concessa Confessario, vt ipse absoluat à Reseruatis; verùm si ipse petat licentiam, vt vnus Pænitens possit se facere absoluere à Reseruatis, & hæc licentia concedatur, poterit Confessarius vti eadem licentia pro se ipso, & vnico Verbo Me explico: si licentia nec Personam Pęnitentis, nec Confessarij determinet, poterit talis licentia inseruire pro ipso Confessario, secùs si determinet Pænitentem, aut Confessarium, sic Diana part. 3. tract. 4. resol. 142. in fine, Alphonsus de Leone, Auersa, & alij, qui aduertunt, quod Confessarius debeat esse valdè cautus, ne, dum petit facultatem absol-

uendi à Referuatis , Superior poſſit aliquo modo deuenire in cognitionem pænitentis, quia ſic eſſet periculum frangendi Sigillum Sacramenti, ideòque debet Confeſsarius non exprimere Caſum Referuatum in particulari, ſed ſolùm dicere, ſe eius facultate indigere, ſi autem Superior renuat concedere facultatem, niſi Confeſsarius Caſum in particulari exprimat, tunc modeſtè reſpondeat Superiori, ſe id non poſſe dicere ſine præiudicio ſigilli Sacramentalis, ità Moronus Reſponſ. 76. apud Gauellum diſp. 5. de Caſibus Referu. quæſt. 3. dub. 4.

88. Dices: ergo ex reſponſione data iam Guardiani Noſtri cùm ſint Prælati Ordinarij, poterunt ſuo Confeſsario delegare Iuriſdictionem abſoluendi à Referuatis ſe ipſos, & alios ſibi Subditos.

℟. Quòd Guardiani Noſtri ſtatim ac ſunt electi in Guardianos, ſunt Prælati, & ratione Superioritatis, ſeu Prælationis habent hoc ex ſuo Officio, vt non ſolùm temporaliter, ſed etiam ſpiritualiter pro Foro Conſcientiæ regant ſuos Subditos, & huiuſmodi Poteſtatem eſse Ordinariam Omnes tradunt *ex Tit. de Offic. Ordin.*, vnde dicuntur Ordinarij; attamen in ſuis Conuentibus poteſt Prouincialis Guardianorum reſtringere Poteſtatem, prout ita poſtulat Subordinatio Prælatorum Inferiorum ad Superiores Maiores, ſic apud Nos Obſeruantes factum eſt, quòd Guardiani non poſſint abſoluere à Caſibus Referuatis, niſi per Prouincialem ſpecialiter committatur ijs Facultas, & eò ipſo, quòd ſunt electi, commiſſam habent à Prouinciali Facultatem actiuam, paſſiuam, ac etiam commiſſiuam abſoluendi Subditos à Referuatis occultis, nec non Fratres Hoſpites aduentantes ad ſuos Conuentus. Eamdem Vicarij Conuentuum dicuntur habere Auctoritatem, quando Proprij Guardiani vltrà Diem naturalem abſunt à Conuentibus, prout legitur in Monumentis Ord. Fol. Mihi 248. Vicarij habeant Auctoritatem Guardianorum in abſentia eorum, & ſic patet ad Dubium, in cæteris Religionibus quiſque ſua conſulat Statuta.

89. An verò Superiores Regulares, qui ante acquiſitam Prælaturam

Prelaturam non habebant facultatem audiendi Confessiones, & in Superioritate Ordinariam habuere Iurisdictionem, possint completa *Prælatura* prosequi ad audiendas Confessiones, & ad absoluenda etiam Reseruata suorum Religiosorum?

℞. Quòd completa Prælatura non possint ampliùs audire Confessiones Religiosorum, multò minùs absoluere à Reseruatis, sicuti faciebant in actuali *Prælatura* existentes, sed noua in eis requiratur licentia, eò quòd Potestatem Ordinariam amiserunt, quæ erat fundata in Prælatura Superioritatis, *fundamento siquidem sublato tota Fabrica ruit Cap. Cùm Paulus* **1.** ***qu.*** **1.**, at sublato principali, quod est Superioritas, tollitur etiam accessorium, quod est Potestas Ordinaria audiendi Confessiones, & sicuti supponit Casus, ante acquisitam Prælaturam non habebant aliam facultatem audiendi Confessiones Religiosorum, seu non habebant potestatem Iurisdictionis, sed solùm Ordinis. Tum quia Episcopi, & Parochi abdicati à suis Prælaturis, & Officijs, si aliam non habeant potestatem Iurisdictionis, nisi eam, quam ex vi sui Officij habebant, non possunt ampliùs audire Confessiones, & ita intelligitur id, quod ait *Concilium Tridentinum Sess.* 23. *De Reform. Cap.* 15. de habentibus Parochiale Beneficium, siue sit Episcopale, siue Curatum ex Barbosa ad dictum locum *Concilij* num. 17., 18., & 21., ergo & idem dicendum erit de Prælatis Regularibus, militante eadem ratione, ipsi enim habent Curam Animarum ex suo Officio, & dictam facultatem amiserunt terminata Prælatura.

90. Sed numquid Guardianus de Obseruantia poterit sibi eligere Sacerdotem Simplicem in Confessarium, & ab Eo absolui à *Reseruatis*?

℞. Quòd hoc Dubium affirmatiuè resoluerunt plerique ex Nostris, immò addiderunt cum Sanctoro, quòd Guardianus possit hoc facere etiam extrà suum Conuentum, quasi quòd Potestas hæc sit Personalis, & sequens Personam ipsam Guardiani; at nonnulli Doctores fortè meliùs cum Portello responderunt resoluendo negatiuè, & voluerunt,

runt, quòd Guardianus possit solùm eligere Sacerdotem Approbatum pro Confessario, ita quòd si à Prouinciali non habuerit facultatem absoluendi, nequeat Guardianus committere ei Facultatem, cùm ad solum Prouincialem in Prouincia spectet instituere Confessarios, & deputare eos pro non Reseruatis, ac pro Reseruatis, & non ad Guardianos, ergo multò minùs poterit propria auctoritate facere hoc Guardianus extrà suum Conuentum, cùm Potestas hæc non comitetur Personam Guardiani. Tum quia Guardiani extrà hoc, quod ipsi sint Prælati, in multis conueniunt cum Parochis, cùm & illi, & isti habeant Iurisdictionem Ordinariam, impeditam tamen tum in approbando ad Confessiones, tum in absoluendo à Reseruatis independenter à Facultate suorum Superiorum, sed Parochi non possunt sibi eligere in Confessarium Simplicem Sacerdotem non approbatum ab Episcopo, ergo nec poterunt Guardiani; minor negari non potest, aliàs incurreretur *in Thesim 16. damnatam ab Alexandro VII.*, consequentia sequitur à paritate rationis, quia sicuti Parochis impeditur, ne possint delegare Simplici Sacerdoti potestatem absoluendi, ita & Guardianis.

91. At numquid Religiosus hospes habens Casum Reseruatum specialiter in sua Prouincia, & non in Prouincia, in qua reperitur Hospes, poterit à Confessario Inferiori absolui?

℟. Quòd possit absolui iuxtà dicta in Summula Meæ Apodixis n. 19., cùm Peregrinus iudicandus sit iuxtà Legem Loci, in quo reperitur, eo enim ipso, quo reperitur in aliena Diœcesi, fit etiam Subditus, & Incola illius Diœcesis, quare si in Diœcesi, in qua Peregrinus confitetur, peccatum non fuerit reseruatum, absolui potest à Confessore Inferiori, *si secundùm Constitutionem Clementis X. Incipient. Superna §. 6. Pœnitentem non nouerit in fraudem Reseruationis ad alienam Diœcesim pro Absolutione obtinenda migrasse*, cùm fraus, & dolus nulli patrocinari debeat; & idem dicatur de Nostro Religioso hospite in præsenti Casu. Quod si è contra Casum non Reseruatum in sua Prouincia,

cia, & Referuatum in Prouincia, in qua reperitur Hofpes, confiteatur, abfolui non poterit à Confeffore Inferiori, fed folùm ab habente Iurifdictionem fuper Referuata, quia cùm factus fit Subditus, & Incola huius prouinciæ, iudicandus etiam eft ad modum aliorum Religioforum in tali Prouincia commorantium.

92. Neque approbo id, quod addit Candidus ex Lezana Verb. Cafus Referuati num. 19., nimirùm poffe Religiofum Hofpitem dedita opera, & induftria fe ferre ad Confeffarium alienæ Prouinciæ habentem Iurifdictionem in Referuata, vt à Referuatis abfoluatur. Non, inquam, approbo, nifi quando bona Fide, vel ad aliud negocium peragendum tranfiret ad talem Prouinciam, quia tunc à Referuatis in fua Prouincia poffet in aliena abfolui à Confeffario Inferiori, eò quòd per mutationem Domicilij, vel quafi Domicilij ceffat Referuatio; at fi *dedita opera*, & *induftria*, ac folùm eo fine euitandi proprium Superiorem, ad aliam Prouinciam accedat pro Abfolutione à Referuatis in fua Prouincia, dico, quòd à Confeffario Inferiori nequit abfolui, quia hoc non folùm effet in fraudem Referuationis, fed etiam foret contra Intentionem tùm Prælati, qui fecit Referuationem, tùm totius Religionis, cùm hoc aduerfaretur Bono communi eiufdem Religionis.

93. An Religiofus alienæ Prouinciæ, fed non Hofpes, abfolui poffit à Referuatis à Guardiano talis Conuentus, ad quem accedit?

℟. Quòd non, & Cafus eft, an Religiofus Nofter collocatus à Superiore Prouinciali de Familia in Conuentu S. Mariæ Nouæ Neapolis poffit alicuius Referuati Abfolutionem obtinere à P. Guardiano S. Didaci Neapolis (huiufmodi enim Conuentus in eadem Ciuitate funt duarum Prouinciarum) quandoquidem ad hoc vt Confeffarius poffit Pœnitentem à Referuatis abfoluere, debet Iurifdictionem habere, vel Ordinariam, vel Delegatam, fed in Cafu Guardianus S. Didaci Neapolis nec Iurifdictionem Ordinariam habet, quia Iurifdictionem Ordinariam habet Prælatus immediatus Pœnitentis, nec Iurifdictionem delegatam

habet,

habet, quia non fuit fibi commiffa à Prælato *Pænitentis*; fcilicet à P. Prouinciali S. Mariæ Nouæ Neapolis, vel tandem debet habere Iurifdictionem à Iure conceffam, quia Pænitens, vt fupponitur, non habet Priuilegium, virtute cuius poffit eligere pro Referuatis abfoluendis Confeffarium, quem maluerit, ergo à Referuatis abfolui non poterit. Tum quia deeft in Cafu Priuilegium Hofpitalitatis *à Clemente IV.* conceffum, fic Ioannes à Trinitate, Martinus à S. Iofeph, & Corduba qu. 2.

94. Sed numquid duo Religiofi Sacerdotes eiufdem Ordinis, & Socij in Itinere, fi neuter fit Confeffarius, & incidant in aliquod Referuatum, nec habeant in Via promptum Confeffarium fui Ordinis, poterunt adhùc fe inuicem abfoluere?

℟ Quòd cùm ex hypotefi neuter fit Confeffarius & Confeffarium fui Ordinis neuter in Via promptum habeat, nequeunt adhùc ifti duo Religiofi Sacerdotes, & Socij in Itinere fe inuicem à Referuatis commiffis abfoluere propter Iurifdictionis, & Poteftatis defectum. In hoc tamen Cafu aduertunt Vafquez, & Saruez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 19., quòd Superiores debeant aliquo modo prouidere Subditis Religiofis, qui per aliquot dies non debent morari in Via fine Confeffario, fcandalofum fiquidem, nociuum, & nimis moleftum effe poteft, quòd ifti Sacerdotes abftineant à celebrando, quoufque redierint ad Monafterium, quapropter Prælati licitè, & fanctè prouidebunt, fi facultatem fe inuicem abfoluendi à Referuatis concedat, cum Onere fe præfentandi fuo Superiori, poftquàm ad fuum Monafterium reuerfi fuerint, & hoc modo Subditorum neceffitatibus prouidetur, nec Subditi diù coguntur carere beneficio Abfolutionis, nec frænum aufertur Referuationis, hocque modo practicari in Societate Iefu teftantur Doctores fupracit: Nec defunt alij Doctores dicentes cum noftro Miranda in fuo Man. Tom. 2. qu. 34. art. 10., poffe præfatos Sacerdotes Itinerantes, conftitutos in neceffitate celebrandi, ne Scandalum darent, cum præuia Contritione celebrare, tamquàm fi non haberent copiam Confeffarij,

fessarij, etiamsi peccatum Reseruatum commissum haberet annexam Excommunicationem, eò quòd Præceptum de non scandalizando Proximum est Diuinum, & Naturale, ac proinde fortiùs vrget, quàm Præceptum de non celebrando cum Excommunicatione, quod est humanum, & Ecclesiasticum.

95. Dices: *Sixtus IV. & Innocentius VIII.* vt habetur in Monumentis Ordinis, indulserunt Religiosis Iter agentibus, vt possint ab Exteris Confessarijs absolui etiam à Reseruatis, ergo poterunt multò magis isti duo Religiosi Sacerdotes Iter Agentes, cùm sint eiusdem Ordinis, se inuicem absoluere à Reseruatis.

℞. Quòd dicti Pontifices solùm concesserunt, quòd Religiosi Iter agentes de licentia Superioris possint confiteri Sacerdotibus Regularibus, & Sæcularibus, si Copiam Confessarij sui Ordinis non habeant, non verò posse absolui à Reseruatis, expresè enim inquit *Innocentius VIII.*, *quòd possint absolui, sed sicuti Confessarij sui Ordinis poterant illos absoluere*, non poterant autem sine speciali, & expressa Licentia Superioris absoluere, quia numquam in Iure per Generalem Concessionem intelliguntur illa concessa, quæ specialiter sunt interdicta; neque etiam illa facultas censetur concessa à Prælatis, nisi expresè in specie declaretur ob eamdem causam, quòd Casus specialis sub Generali Concessione non comprehendatur, vt ergo Religiosi absolui possint à Reseruatis, dum sunt in Via Iter agentes, non sufficit sola licentia Generalis sui Prælati, sed necessaria omninò est licentia specialis, & expressa.

96. An autem licentia concessa à Superiore, vt Sacerdos Religiosus à Reseruatis absoluat, expiret statim per Mortem, àut per amotionem ipsius Concedentis ab Officio?

℞. Probabiliùs quòd non, siue licentia absoluendi à Reseruatis data fuerit à Generali, siue à Prouinciali, huiusmodi enim licentia est Gratia facta, de cuius natura est, quòd statim ac conceditur, sit perfectè concessa, & à nullius executione dependens, & est gratia concessa beneficio Legis, at gratia facta beneficio Legis non expirat per

K Mortem,

Mortem, vel per amotionem Concedentis ab Officio; *quia Lex, ſuapte natura eſt perpetua L. Cùm eorum*, ergo poterit Sacerdos Religioſus à Reſeruatis abſoluere, quouſque de Reuocatione facta à Superiore Succeſſore legitimè non conſtet, & Abſolutio data cum licentia Superioris Anteceſſoris iam erit valida, ita Vaſquez diſp. 156. Cap. 4. num. 25. & omnes ferè Doctores.

97. An in Articulo Mortis Religioſus conſtitutus, & Caſibus Reſeruatis, necnon quibuſcumque Cenſuris irretitus, etiam Papalibus, poſſit à quocumque ſuo Simplici Sacerdote abſolui?

℟. Poſſe, & hoc clarè ſignificatur *à Synodo Tridentinæ Seſſ.* 14. *De Caſuum Reſeruatione Cap.* 7. *ſic: Verumtamen piè admodùm, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit Reſeruatio in Articulo Mortis, atque ideò omnes Sacerdotes, quoſlibet Pęnitentes à quibuſuis Peccatis, & Cenſuris abſoluere poſſunt*, & nota quòd communiter Doctores Articulum Mortis, & Periculum Mortis ſumunt pro eodem, quia vtrobique militat eadem ratio, nimirùm Salus Animarum, & neceſſitas Pęnitentium, conſequenter vtrobique militat eadem Legis Diſpoſitio, prout *in Cap. Si quis Suadente* 17. *qu.* 4., *Cap. Eos qui de Sent. Excomm. in 6.*, *& Cap. Quod de Eis eodem Tit.* vſurpantur dictæ duæ Voces. Tum quia morale periculum perinde exiſtimari debet, & in Malis ita cenſeri, ſicut Euentus ipſe, vnde dicitur: *qui amat Periculum, peribit in illo*, ergo neceſſitas Periculi Mortis exiſtimatur moraliter ita extrema, ſicut neceſſitas Articuli Mortis, conſequenter ſiue in Articulo, ſiue in Periculo Mortis Religioſus ſit conſtitutus, poteſt à Simplici ſuo Sacerdote abſolui à quibuſuis peccatis, & Cenſuris Reſeruatis, etiam Papalibus, cum hac tamen obligatione, quòd ſi Religioſus Infirmus, qui iam à peccatis Reſeruatis, & à Cenſuris abſolutus fuit, euadat Periculum Mortis, teneatur comparere coram Superiore pro Cenſuris, non autem pro peccatis Reſeruatis ſecundùm Communem Sententiam.

98. Addo tamen, quòd præſente Superiore, vel alio Confeſ-

Confeffario Approbato, fi Sacerdos Simplex attentet abfoluere, quòd Abfolutio fit nulla, eò quòd Simplex Sacerdos, cùm huiufmodi Poteftatem abfoluendi habeat propter neceffitatem Pęnitentis, *ne, iuxtà Tridentinum, hac ipfa Occafione aliquis pereat*, deperdit hanc Poteftatem extraordinariam ad præfentiam Superioris, vel alterius Confeffarij approbati *ex Cap. Presbyter 26. qu. 6., & iuxtà Regulă Abbatis Cap. Cùm Venerabilis De Confenfu in Fine: Cùm aliquid conceditur propter neceffitatem, durat Conceffio, quatenus folùm vrget neceffitas*. Quòd fi Superior, vel Confeffarius approbatus effet præfens, & nollet audire Confeffionem, vel abfoluere, tunc fimplex Sacerdos licitè, & validè abfoluit, *eò quòd adeffe, & nolle perindè eft, ac non adeffe* ex Sanchez lib. 2. Cap. 13. num. 18., Quòd fi Superior, vel Confeffarius approbatus fuperueniret, quando iam propter Periculum Mortis cæpit fimplex Sacerdos audire Confeffionem, hic tenetur profequi, & terminare Caufam inchoatam, eò quòd per inçptionem Iudicij factus eft legitimus Minifter cum neceffaria Iurifdictione. Iuuat etiam hìc notare *ex Fagnano in Cap. non eft Vobis De Sponfalibus*, quòd nullus Sacerdos Excommunicatus, & publicè denunciatus validam poteft ferre Abfolutionem, & quando *Tridentinum* cit. ait *Omnes Sacerdotes*, tunc loquutum eft de Sacerdotibus viuentibus in Vnitate Ecclefiæ, non autem de præcifis, & feparatis ab Vnitate Ecclefiæ, cuiufmodi funt Excommunicati, & publicè Denuntiati, ficuti Fagnanus ibidem demonftrat, addens *Declarationem Sacræ Congreg. Concilij* factam Epifcopo Valentino, contrariam Sententiam tamen non pauci Doctores adhùc defendunt ignorantes forfan dictam Declarationem ex Clericato De Pęnit. Decif. 45. num. 2.

99. Non piget hìc referre pro Religioforum commodo Conceffiones, & Priuilegia potiora facta à Summis Pontificibus Noftro Seraphico Ordini quoad eligendos Confeffarios, qui Noftros à grauioribus Criminibus, & à quibufcumque Referuatis poffint abfoluere Religiofos, etiam in Articulo Mortis, præfata verò Priuilegia fparfim habentur

 in Monu-

in Monumentis Ord. rediguntur in Summa à Noſtro Emanuel Rodriquez Tom. 1. QQ. Regul. qu. 6. art. 6., & tranſcribuntur à Noſtro Miranda Tom. 2. Directorij Prælatorum qu. 33.

*Sixtus IV.* in primis conceſſit Omnibus Fratribus Minoribus de Obſeruantia præſentibus, & futuris, tàm Profeſſis, quàm Nouitijs ( qui tamen propoſitum habent profitendi ) nec non Sororibus Sanctæ Claræ, & Tertiarijs vtriuſque Sexus, & Famulis, & Seruientibus prædictorum omnium, vt quilibet eorum poſſit ſemel eligere Confeſſorem de huiuſmodi Obſeruantia, qui audita Confeſſione, Pęnitentiam ſalutarem iniungendo, abſoluat eos ab omnibus Criminibus, Exceſſibus, & Cenſuris Eccleſiaſticis, & diſpenſet cum eis in omnibus Irregularitatibus, ſi quas fortè contraxerint [ Homicidio voluntario, & Mutilatione Membri ſemper exceptis, ] & eis remiſſionem generalem, & plenariam omnium peccatorum impartiri valeat, & quòd idem poſſit in Mortis Articulo, hæc *Sixtus*; vbi quando inquit, vt quilibet eorum poſſit ſemel eligere Confeſſorem de huiuſmodi Obſeruantia, nota, quòd Confeſſor debeat eſſe approbatus à Prælato Religionis pro abſoluendo ab omnibus Reſeruatis, & à Cenſuris, immò & pro diſpenſando ab Irregularitatibus ( Homicidio voluntario, & Mutilatione exceptis ] & loquitur *Sixtus* de Religioſis Obſeruantibus, de Nouitijs, & de Monialibus *S.* Claræ, necnon de Tertiarjis vtriuſque Sexus obſtrictis tribus Votis ſubſtantialibus, at quantùm ad Famulos, & Seruientes ipſorum non ſufficit, Confeſſarium fuiſſe approbatum à Prælato Religionis, ſed neceſſariò requiritur, eſſe approbatum ab Epiſcopo *iuxtà Decretum Tridentini* ex Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 2. Cap. 19. num. 7.

Idem *Sixtus* ſimile huic Priuilegium conceſſit pro Articulo Mortis cum his exaggerationibus: *Quicumque Confeſſor quemlibet Religioſum Mendicantium, vel eorum, qui gaudent illorum Priuilegijs, ab omnibus Caſibus, nullo excepto, cum omnimoda auctoritate, ac ſi in illo actu eſſet Summus Pontifex, abſoluere poteſt, & eadem auctoritate* *ei Indul-*

*ei Indulgentiam Plenariam concedere* , vbi nota per ly *Quicumque Confessor* intelligi legitimum Confessorem respectu talis Religiosi , seu illum Confessorem , qui hoc Munere fungi poterat in illo articulo ante hoc Priuilegium , & ideò fortasse *Sixtus non dixit Quicumque Presbyter* , *vel Sacerdos*.

Ipsemet *Sixtus* aliud simile Priuilegium indulsit singulis Prædicatorum , & Minorum Ordinum Professoribus , qui tunc erant , & pro tempore perpetuo erunt , vt Confessor Idoneus eorumdem Ordinum , quem quilibet pro se de sui Superioris licentia duxerit eligendum , eorumdem Confessione diligenter audita pro commissis per eos excessibus , & peccatis , semel in vita , in Forma Confessionali per ipsum edita , & in Mortis Articulo plenariam Absolutionem , & peccatorum huiusmodi valeat ( etiamsi ante factam eorumdem Ordinum Professionem eos decedere contigerit ) Remissionem impendere ; hæc *Sixtus* ; vbi nota , per ly singulis Prædicatorum , & Minorum Ordinum Professoribus intelligi etiam Nouitios , vt clariùs etiam colligitur *ex Verbis Sixti* in ipso Paragrapho .

*Eugenius IV.* simile concessit Priuilegium , quo concessit omnibus Fratribus Minoribus , ac etiam Nouitijs in Religione perseuerare volentibus, quòd possint eligere Confessorem idoneum , qui auctoritate Apostolica absoluat eos in Articulo Mortis ab omnibus peccatis , & Censuris Ecclesiasticis , etiam Sedi Apostolicæ Reseruatis , siue ex alia quacumque causa prouenientibus , & plenariam omnium peccatorum indulgentiam largiatur , quam Indulgentiam prædicti Fratres consequantur , etiamsi prædictum Confessorem eligere non potuerint , seu obliti fuerint, dummodò moriantur in Statu Gratiæ . Et iterum *Eugenius* concessit sic : quòd si in illo reputato Mortis Articulo dicti Fratres non decesserint, semper Indulgentia prædicta reseruari intelligatur ad verum Mortis Articulum ; & hìc nota , *per ly Ad verum Mortis Articulum* intelligi , quòd Religiosus si Periculum Mortis euadat , & in eodem pluries constituatur , semper potest vti dicto Priuilegio quoad Absolutionem à Reseruatis , & quoad Indulgentiam Plenariam consequendam , vt imme-

immediatè perducatur ad Gloriam, nec indigeat purgari post hanc Vitam, *quia Beneficium Principis non est restringendum, sed amplè est interpretandum, quando ipse non limitat illud L. Beneficium ff. De Constitut. Princip.*, tum quia nec Papa dicit semel in Articulo Mortis, sed indefinitè, & pro quouis Articulo Mortis loquutus est, ita Azorius, & Suarez cit. num. 12.

*Nicolaus V.* indulsit etiam Fratribus simile quoddam Priuilegium, quo concessit, quòd cùm aliquis Fratrum in Dementiam incurrerit, siue Lethargiam, vel amiserit expressionem loquelæ propter Infirmitatem, vel aliàs, antequam absoluatur, & illi fiat plenaria Remissio, vel quia non fuit copia Confessoris, cùm talis Casus, seu similis euenerit, in dicto Mortis Articulo quicumque Presbyteri Sæculares, vel Regulares eum valeant absoluere, & huiusmodi omnium peccatorum plenariam Remissionem Auctoritate Apostolica possint, & valeant illi impendere; quod si talis Infirmus superuixerit, nihilominus dicta plenaria Remissio, quoties sibi facta fuerit, perinde valeat, ac si de eiusmodi Infirmitate decesserit, sic *Nicolaus V.*, cuius concessio magna quidem est, & pluris æstimanda in Religionibus.

*Leo* X. omnibus Religiosis, etiam Monialibus concessit, vt quatuor diebus in Anno quibus maluerint, ab omnibus suis peccatis, & Censuris plenariè absolui possint. Deinde: Omnium Ordinum Religiosi, præter hos quatuor prædictos dies ab omnibus peccatis, & Censuris plenariè etiam in omnibus diebus Domini Sabaoth, & B. M. Virginis, omniumque Sanctorum, & Apostolorum Petri, & Pauli, ac cuiusuis Religionis S. Fundatoris, & in die S. Claræ, & per totam Maiorem Hebdomadam absolui possunt. Idem *Leo* X. Nobis Fratribus Regularis Obseruantiæ concessit, semel in quolibet Anno, vt possimus plenariè absolui, & consequi Indulgentiam in die Festo S. Catharinæ Virginis, & Martyris. Præfatis verò Priuilegijs fruuntur etiam, & perfrui possunt non solùm Sacri Ordinis Nostri, sed omnium aliarum Religionum Professores priuilegium Communi-

cationis.

cationis habentes, prout tradunt Rodriquez, Miranda, Suarez, & alij.

100. Sunt & alia Priuilegia Famosa à Summis Pontificibus concessa, & quorum virtute possunt Religiosi per suos Prælatos Regulares absolui à Casibus in Bulla Cęnæ Domini Reseruatis, etiam ab Hæresi. Pro Fratribus Ordinis tum Prædicatorum, tum Minorum Bullas Summorum Pontificum *Sixti IV. de anno* 1474., *& Iulij II. de anno* 1510. adducunt, volentium, *quòd licitè possint dictorum Ordinum Prælati perpetuis temporibus absoluere, & dispensare ab omnibus, & singulis Casibus, ac si prædicta Bulla in Cęna Domini non esset facta, nec fieret. Sixtus* autem quatuor excipit Casus, videlicet Schisma, Hęresim cum relapsu, Falsificationem Litterarum Apostolicarum, & Delationem prohibitorum ad Infideles, quibus supraddit *Iulius* Conspirationem in Romanum Pontificem, & vterque Papa in Concessionibus huiusmodi Priuilegiorum hoc vnicè intendit, nimirùm *vt omnis vagandi tollatur occasio, & ad Sedem Apostolicam recurrendi subtrahatur pro posse necessitas*. Idem Priuilegium ad formam Priuilegij Sixtini *à Paolo III.* concessum fuisse, aiunt Doctores, Proposito Generali Societatis Iesu, itidem *à Gregorio XIII.* cum facultate absoluendi etiam ab Hęresi, & eius Relapsu. Amplissimum quoque referunt Priuilegium *à Sancto Pio V. de anno* 1571. *in Bulla Incipient. Dum ad Congregationem* Indultum Cassinensibus Motu proprio, ex certa scientia, liberalitate, & Plenitudine Potestatis Apostolicę, & est, vt Professi, Conuersi, etiam Nouitij toties quoties possint à suis Prælatis absolui à quibusuis Criminibus, Reatibus, Culpis, Censuris, & Pęnis, siue ante ingressum, siue post ingressum in Religionem commissis, & incursis, etiamsi sint de Reseruatis Papæ, *vel contentis in Bulla Cęnę Domini*, ex quauis causa, siue delictum occultum sit, vel ( nota amplitudinem Priuilegij ) publicum, siue Casu, siue data Opera quomodolibet commissum, & hic excipit *Pius* Homicidium Voluntarium iniustum, & Membri mutilationem commissam post ingressum in Religionem. Deinde dictus *S. Pius* addit, quòd

quòd si huiusmodi Priuilegium reuocari contingat, illud idem toties quoties restituit, decernitque in futurum; & semper fore exceptum ab omnibus suorum Successorum Romanorum Pontificum Reuocationibus. Nouitijs tamen non suffragari declarat, nisi in Congregatione perseuerauerint, ex Bullario Cassinensi Constit. 172., & 194, & his freti Priuilegijs concludunt Doctores huius Sententiæ, quòd cùm Priuilegia sint certa, & dubium sit, num fuerint reuocata, immò certum videatur, non fuisse reuocata, indebitè Prelati Regulares expoliantur tali potestate absoluendi suos Subditos à Casibus contentis in Bulla Cenę Domini, quare per publicationem Bullæ ipsius, quæ quotannis fit Romæ in Feria quinta Hebdomadæ Maioris, solùm reuocantur Priuilegia quoad absoluendos Sæculares, non verò Regulares à præfatis Casibus, si benè perpendantur Decreta Summorum Pontificium *Clementis VIII.*, *Vrbani VIII.*, aliorumue Pontificum, necnon Sacrarum Congreg.

Plurimos tamen habet Aduersarios relata Sententia, & Doctores cum Sententia magis Communi volunt, Prælatos Regulares non posse suos Subditos absoluere à Casibus in Bulla Cenæ Domini Reseruatis, consequenter nec ab Heresi formali, siue publica, siue occulta, *sine speciali Facultate*, qua propter asseueranter aiunt, omnia quoad hoc Priuilegia Regularium siue titulo oneroso, siue per viam remunerationis reuocari per publicationem dictæ Bullæ *cum illa Clausula Non obstantibus Priuilegijs*, similiter constat ex illis Verbis, & ex modo loquendi Bullæ, vbi sic: *Ceterùm à prædictis Sententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem &c.* & nota ly *Nullus*, quòd excludit Sæculares, & Regulares, contra Nostrum Felix Tom. 1. part. 4. cap. 5. num. 3377., & alios Doctores, quos ipse sequitur. Tum quia vtique *S. Pius V.* Prælatis etiam Localibus Ordinis Prædicatorum (consequenter alijs Religiosis, qui cum ijs communicant in Priuilegijs) concessit, vt idem per se ipsos omninò possint quoad facultatem absoluendi erga Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi Subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos Subditos sibi, at

verò

verò Episcopi non possunt suos Subditos absoluere ab Hæresi, aut ab alijs Criminibus in Bulla Cenæ contentis, etiamsi occulta sint, & ad Forum Contentiosum non sint deducta, sicuti Nos alibi diximus, & constat legenti tertiam Thesim proscriptam *ab Alexandro VII.*; ergo probabiliùs nec poterunt Prælati Regulares absoluere Suos, aliàs plùs possent Prælati Regulares quoad hoc erga suos Subditos, quàm possent Episcopi erga Suos. Dixi autem supra *sine Speciali Facultate*, eò quòd multi Doctores testantur, quòd post Bullæ Cænæ Domini publicationem soleant Procuratores Generales Ordinum Romæ existentes supplicare statim Romano Pontifici pro tali facultate absoluendi suos Subditos à Casibus prædictis, & huiusmodi facultatem Papa libenter præstare consueuit. Hanc secundam Sententiam, quæ, vt videre potui, est magis communis apud Theologos Morales, libentiori animo amplector, prout in praxi securiorem, quidquid sit de prima Sententia, quam in sua probabilitate relinquo.

101. Numquid Virtute Bullæ Cruciatæ possunt Regulares independenter à suis Superioribus eligere Confessarium extrà Ordinem, vt absoluantur à Reseruatis?

℟. Non posse cum Communi Sententia, & hoc constat ex pluribus Declarationibus Summorum Pontificum id omninò prohibentium, sic *Clemens VIII. in sua Const. Incipient. Romani Pontificis, edita die* 23. *Nouembris* 1599., & hanc Declarationem confirmauit *Paulus V. in alia Const.* 1608., *Vrbanus tandem VIII. in sua Const. sub die* 9. *Iunij* 1630. *prædictas Clementis VIII., & Pauli V. Constitutiones* innouauit, & insuper declarauit: *Confessionem S. Cruciatæ quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à Casibus Reseruatis cum Regularibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & Instituti Mendicantium, & non Mendicantium vtriusque Sexus locum minimè habuisse, neque habere, nec illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse*, & his verbis *Vrbanus* expressè dat Nobis intelligere, quod contraria Sententia fuerit falsa ante Obitum *Clementis VIII.*, & post Obitum

 dicti

dicti *Clementis* etiam sit falsa quoad facultatem eligendi Confessarium, & absoluendi à Reseruatis apud Regulares.

102. An autem Religiosus pro lucrandò Iubilæo indigeat licentia expressa Sui Prælati, si velit confiteri extrà Ordinem, & possit eligere in Confessarium Sacerdotem approbatum dumtaxat à Suo Prælato, & non ab Episcopo Diçcesano?

℞. Quòd quantùm ad primam partem non possit Religiosus pro lucrando Iubilæo eligere Confessarium extrà Ordinem *sine expressa licentia sui Prælati*, ita Homobonus, Rodriquez, Molphesius, Matthæuccius, Gobat De Iubilæo cap. 31. num. 22. & alij innixi Priuilegijs Regularium, illi præsertim Priuilegio, quod Societati Iesu concessit *Gregorius XIII.* (in quo aliæ etiam Religiones communicant) decernens, *ne Personæ Societatis possint absque expressa licentia suorum Superiorum vti facultatibus Iubilęorum*; innixi etiam *Cap. Igitur Cuncta De Priuileg.*, vbi prohibetur *à Benedicto XI.*, ne quis Religiosos absoluat, inuitis eorum Superioribus, Bullas autem, & nouas Leges ita interpretari debemus, vt Iuri Communi non derogent, ergo & sic debemus Nos interpretari Bullam Iubilæi. Contraria tamen Sententia suam habet probabilitatem. Quantùm ad secundam partem, cùm in Bulla Iubilæi semper adijciatur illa Clausula quòd Confessarius eligendus debeat esse *ex approbatis ab Ordinario Loci*, dico cum veriori Sententia, & magis conformi Verbis Bullæ Iubilæi, & voluntati Summorum Pontificum, quòd Religiosus, si eligat Sacerdotem Regularem à suo solùm Prȩlato approbatum, non satisfaciat pro lucrando Iubilæo ipsi Bullæ, quæ exigit, vt eligatur Sacerdos ex approbatis *ab Ordinario Loci*, & nomine Ordinarij Loci venit Episcopus Diçcesanus, non autem Prȩlatus Regularis, qui potiùs dicitur Ordinarius Fratrum, quàm Ordinarius Loci. Tum quia dum Summi Pontifices requirunt approbationem *Ordinarij Loci*, debent intelligi de approbatione secundùm Formam Iuris, & sic de illa approbatione, quæ præscribitur *à Tridentino Sess. 23. Cap. 15.*, quia omnis Dispositio intelli-

intelligitur facta secundùm Ius Commune, ad cuius sensum Verba Dispositionis reduci debent, consequenter debent intelligi de Approbatione Ordinarij Loci, seu Episcopi Diœcesani, cùm Tridentinum cit. loquatur de hoc, ita Suarez, Lezana, Filuccius, Henriquez, & Bossius Sect. 3. casu 3. num. 10., qui addit in Casu quòd Conuentus careat Fratribus approbatis ab Ordinario Loci, poterunt Superiores Regularium tempore Iubilæi recurrere ad Episcopum Diœcesanum, vt scilicet iuxtà Formam Concilij Tridentini, & Bullæ Iubilæi dignetur approbare in Confessarium aliquem ex suis Religiosis.

103. Dubium mouet *D. Thomas*, an Religiosus magis mereatur exquirendo Indulgentias, vel obseruando Regulam?

℟. Quòd hoc Dubium moueat *Angelicus Doctor in Additione ad 3. p. qu. 27. art. 2. ad 2.* contrà Fratres Illos, qui sub hoc colore Indulgentiarum, vagari numquam satiantur; *ibi enim S. Doctor arguendo, quòd Religiosis deberentur Indulgentiæ, quia essent eis causa vagandi, & dissolutionis Religionis, respondit postea, quòd propter Indulgentias non debet dissolui Regularis Obseruantia, quia Religiosi magis merentur Regulam suam seruando, quantùm ad Præmium Vitæ Æternæ, quàm Indulgentias exquirendo, quàmuis minus quantùm ad dimissionem Pœnæ, quod est minus bonum. Hæc D. Thomas* apud Pasqualigum De Sacrificio Missæ Tom. 2. qu. 1093. num. 5.

104. Sed num Moniales, Vigore Iubilæi, possint eligere Confessarium approbatum quidem ab Ordinario Loci, sed non specialiter pro ipsis?

℟. Non posse, tum quia *generaliter approbatos ab Episcopo ad Personarum Secularium Confessiones audiendas non censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, habetur ex Constitutione Clementis X. Incipient. Superna*, ergo Moniales nec vigore Iubilæi possunt eligere Confessarium approbatum ab Episcopo, nisi relatè ad ipsas, & specialiter pro ipsis fuerit approbatus. Addit *Cle-*

*mens. Atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium vnius Monasterij, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterij*, nec minus eligi potest, qui in eo olim fuerit Confessarius Ordinarius, vel Extraordinarius, sed necessè est, vt ab Episcopo iterùm deputetur, vel approbetur, vt ibidem ex *dicto Clemente*. Tum quia *ex Declaratione Sacræ Congreg. Missa ad Episcopum Abul. anno* 1593. *Approbatus ad audiendas Confessiones, certi generis Personarum, vel in certa Ecclesia, non censetur approbatus simpliciter, ac proinde non potest virtute Iubilæi eligi ad audiendas Confessiones aliarum Personarum, aut extrà Ecclesiam ipsi deputatam.*

105. Petes. Num extrà Articulum Mortis possit Confessarius Inferior, saltem indirectè, absoluere Religiosum à Reseruatis?

℞. Quòd Religiosus Pænitens habet, vel sola Reseruata, vel habet Reseruata simul & non Reseruata; *si primum*, dico, quòd tunc Confessarius Inferior extrà Articulum Mortis, cum cuiuscumque necessitatis prætextu, non potest eum absoluere, & hoc non potest propter defectum Potestatis in se ipso, nam Absolutio nec directè caderet super Reseruata, vt patet, nec indirectè caderet super Reseruata, eò quòd Religiosus non habet peccata non Reseruata, super quæ Absolutio directè cadat, non potest autem Absolutio indirectè cadere in Reseruata, nisi directè cadat in non Reseruata. *Si secundum*, tunc dico, quòd Confessarius Inferior, præciso Casu necessitatis, nec potest eum à Reseruatis indirectè absoluere, cùm extrà Articulum Mortis Confessarius Inferior nihil possit in Reseruata, secùs dicendum est posito Casu necessitatis, vt si Religiosus non posset omittere Celebrationem Missæ, vel Sacram Communionem sine graui scandalo, & tunc Confessarius Inferior, auditis Reseruatis simul & non Reseruatis, potest eum directè à non Reseruatis, & indirectè solùm à Reseruatis absoluere, ipsumque obligare debet ad comparendum coràm Superiore, vt directè à Reseruatis etiam absoluatur, quòd si coràm Superiore comparere culpabiliter

liter omitteret, tunc nouum peccatum Mortale committeret, exprimendum in Confessione, sic Doctores communiter dicentes, quòd Confessarius Inferior indirectè à Reseruatis absoluens Pœnitentem in casu necessitatis, debeat eum monere de obligatione se præsentandi coràm Superiore, à quo obtineat directè eorumdem absolutionem, aliàs si monitus talem non acceptet obligationem, tunc nec indirectè potest absolui; immò si priùs absoluatur, & post absolutionem moneatur à Confessario de obligatione se præsentandi, nec velit acceptare, tunc absolutio obtenta est nulla, eò quòd Pænitens non vult satisfacere debito, quod sibi obuenit, cùm sciat, quòd Confessarius non habeat facultatem absoluendi à Reseruatis, nisi ligando Pænitentem, vt se præsentet coràm Superiore. Quòd si Pænitens se paratum ostendat ad comparendum, vt suæ satisfaciat obligationi, sed verecundia fretus velit hoc facere per interpositam Personam, tunc nec satisfacit, nisi hæc Persona sit ipsemet Confessarius, qui eius Confessionem audiuit, cùm hoc non repugnet *Decreto Clementino*, vbi dicitur: *Quando ipse in primis Confessarius iudicauerit*, ex Coriolano part. 1. Sect. 3. art. 12. num. 4.

106. Numquid Superior poterit Religiosum absoluere, à Reseruatis, remittendo illum ad Confessorem Inferiorem pro non Reseruatis?

℞. Quòd non, sed debet integram ipsius Confessionem audire, vt saluetur Confessionis integritas, quæ est de Iure Diuino *per Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5.*; nec est dispensabilis sine vrgenti necessitate, qualis secundùm plures Doctores non est occupatio grauis, seu multitudo negociorum in Superiore, qui estò occupatissimus potest remittere Religiosum ad Confessarium Inferiorem cum facultate absoluendi etiam a Reseruatis. Casus autem grauissimæ necessitatis ad dimidiandam Confessionem, & in quibus planè concedi potest, posse Superiorem audire Reseruata tantùm, & ab illis absoluere, sunt Casus Mortis, Loquelæ oppressionis, damni notabilis, & similium, quæ non minùs ex parte Absoluentis, quàm ex parte Pæni-

tentis

tentis contingere possunt, & Casus isti dant iustam causam deobligandi ab integritate materiali Confessionis. Quòd si Superior audiret solùm Reseruata, & sine sufficienti causa absolueret, tunc quidem peccaret contrà proprietatem Sacramenti Pęnitentiæ ex Institutione Christi omnium peccatorum mortalium Confessionem postulantis, quatenus ea moraliter fieri potest, cum Finello De Casibus Reseru. cap. 10., Suarez, De Lugo, & alijs, attamen verum conficeret Sacramentum, dummodò Pęnitens bona fide procederet, essetque dispositus, vnde quia Pęnitens coràm Deo, & Ecclesia fuit directè absolutus à Superiore habente Iurisdictionem in Reseruata, & sufficienter satisfecit integritati Confessionis, deobligaretur ad iterum Confessario Inferiori confitenda eadem Reseruata, quę legitimè priùs est confessus, & directè absoluta fuere à Superiore; sicuti si Pænitens iusta de causa fuisset à Confessario Inferiori directè absolutus à non Reseruatis, non obligaretur rursus omnia peccata cofiteri Superiori, sed sola Reseruata, eò quòd non currit obligatio subijciendi Clauibus iterùm eadem peccata, ità cum probabiliori Sententia Mastrius in Theol. Mor. disp. 21. qu. 9. ar. 3. num. 239., Bonaccina disp. 28. quest. 7. punct. 4. num. 3. cum alijs.

107. An verò cesset Reseruatio peccati obliti in Confessione facta Superiori?

℞. Cessare, & ratio est, quia sicut Religiosus censetur interpretatiuè petere à Superiore Absolutionem Reseruatorum, quantùm fieri potest, quando accedit ad ipsum, sic & Superior habens Iurisdictionem in Reseruata censetur velle illum absoluere iuxtà illam Clausulam *In quantùm possum, & tu indiges*, indiget verò Religiosus liberari ab omnibus reseruatis etiam oblitis, ergo iam liberatur, & consequenter Religiosus exprimens Reseruatum inculpabiliter oblitum Confessario inferiori remanet absolutus, ac si non esset Reseruatum. Cessat etiam Reseruatio, si Reseruata scienter prętermittat in Confessione apud Superiorem, ex necessitate tamen, & ex iusta causa, puta ad euitandum sibi, vel alteri graue damnum, secùs dicendum, si

absque

absque iusta causa, & dolosè taceret Reseruata. Sicuti & cessat Reseruatio, si Reseruata confiteatur quidem Superiori, sed ex defectu Doloris, Propositi, aut Integritatis Confessionem scienter inualidam facit, & ratio vtrobique est, tum quia in vtroque Casu Religiosus satisfecit Menti Reseruantis, & fini Reseruationis, comparendo coràm Superiore, reuelando sua peccata, obtinendo Absolutionem, & acceptando Pęnitentiam. Tum quia ablatio Reseruationis non dependet à Sacramentali peccatorum Absolutione. Tum quia licet Absolutio non valeat quoad Remissionem peccatorum, videtur tamen valere quoad Reseruationis ablationem, eò quòd iuxtà Iuristas: *Actus Agentium, si non valent eo modo, quo fiunt, valent eo modo, quo fieri possunt*, ita cum Sententia comuni Caietanus, Suarez, Palaus, Bossius, Mazzuchellus, Lugus disp. 20. num. 106., qui ait, quòd Pęnitens in tali Casu debeat monere Confessarium de Pęnitentia pro Reseruatis imposita à Superiore in prima Confessione nulla, vt iterum illam ipsi iniungat in Confessione valida, & sic fiat Sacramentalis, cùm talem Pęnitentiam exequi teneatur.

108. Adduntur *in Decreto Clementino* hæc Verba: *Tàm Superiores pro tempore existentes quàm Confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur*, quibus ex verbis redditur insubsistens, & impracticabilis Opinio contraria, quæ vigebat ante *Clementem VIII.* Tum quia quæ scit Confessarius in Confessione, non scit vt Homo, sed scit, vt Deus *ex cap. Si Sacerdos De Offic. Ordinar.*, vbi disponitur, non esse puniendos Reos à Prælato, dum ex Confessione Sacramentali sibi innotescunt eorum defectus, quia non scit eos vt Iudex, sed vt Deus, ergo nequit Confessarius ea scientia vti, vt Homo, & humano modo pro Foro externo, & ad externam gubernationem, neque enim ad exterius aliorum Regimen Christus Dominus instituit Confessionem, sed ad salutem Animarum, neque contra Pænitentes, sed in fauorem Pænitentium. Tum

quia

quia nimis iniuriosa Sacramento, & nimis onerosa, atque odiosa Pęnitentibus foret Confessio, si cum fiducia, & cum omnimoda libertate non possent Religiosi sua Confessario manifestare peccata, & mehercle Religiosi fierent proni ad ea occultanda, si intelligerent, quòd Superiores pro tempore existentes, & quòd Confessarij postea ad Superioritatis gradum promoti possent vti notitia Confessionis Sacramentalis ad exteriorem gubernationem, nam iustè timerent, ne ob Confessionem possent priuari suffragio, Officio, Honoribus, Commoditatibus, aut ne alia similia in sui verecundiam, confusionem, infamiam, grauamen, damnum, vel præiudicium pati possent, ad quæ euitanda consultiùs iudicarent, suas non aperire Culpas in Confessione, quod maximum foret inconueniens in Ecclesia Sancta Dei, quia Sacramenti dignitas, vis, & efficacia vilesceret, & ab eius frequentatione retraherentur Pęnitentes. Tum quia post Confessionem non licet Confessario Verbis corripere Pęnitentem, peccatum illi obijcere, Crimen auditum reuocare memoriæ Pænitentis, etiam consolandi gratia, ne pudore suffundatur, & ne Confessio reddatur odiosa, ergo nec factis, negando v. g. Suffragium, amouendo ab Officio ad nutum amouibili, &c. quia sic Pęnitens maiorem patietur verecundiam, & confusionem, magisque odiosa reddetur Confessio; quare Confessarij Religiosi in Visitatione suorum Superiorum, qui inquirere solent de bonitate talis, ac talis Religiosi, fortè promouendi ad Officium, aut Dignitatem, caueant, ne aliquid dicant, licet in generali de vita, & moribus dicti Religiosi, sed in hoc, & in similibus ita se gerant, ac si nihil in Confessione nouissent. Tum quia Confessarius in nullo Casu potest se aliter habere cum Pęnitente post Confessionem, quàm antè Confessionem, neque potest ex notitia Confessionis se iuuare aliquo modo, sed cuncta debet gerere, veluti si prorsùs ignoraret Conscientiam Pęnitentis, & non solùm in ijs, in quibus esset periculum proditionis Sigilli, sed etiam in his, in quibus esset confusio, & pudor Pęnitenti, quapropter *Clemens VIII.* indemnitatem, & incolumitatem Subditorum,

vt constat,

vt constat ex Proemio, concernens inquit: *Diligentissimè caueant*, per quam Clausulam nemo dubitat, quòd formale Obedientiæ Præceptum obligans ad mortale importetur, & hoc imponatur Superioribus actu existentibus, & Confessarijs, qui postea ad Superioritatis gradum promoti fuerunt, *ne notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur*, quam Sententiam Reuerendissimus P. Claudius Aquauiua Societatis Iesu Generalis *Anno Domini* 1590. præcepit, tenendam esse à Patribus suæ Societatis, prohibendo contrariam Doctrinam publicè, aut priuatim doceri, illiusque vsum; & hanc Ordinationem refert P. Viua in Appendic. ad 3. part. suæ Theologicæ Trutinæ §. 7.

109. At numquid sub Verbis *Decreti Clementini* comprehenduntur Episcopus, & Confessarij Sæculares, si notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur?

℞. Etiam ipsos comprehendi, adeò vt nulli prorsus Confessario licitum sit vti notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuit, quoad externas actiones exercendas, aut omittendas, quia talis vsus est intrinsecè malus, Iure naturali, & Diuino prohibitus, Sacramento Pęnitentiæ maximè iniuriosus, & cuilibet Pęnitenti valdè odiosus; Prohibitio autem ex Iure Ecclesiastico addita *per Decretum Clementinum* licèt specialiter afficiat Confessarios Regulares, eò quòd Regulares perpetuò cohabitant, & propter Conuictum perpetuum frequentior adest occasio vtendi huiusmodi notitia ad exteriorem gubernationem, attamen afficit etiam Episcopum, & Confessarios Sæculares, qui vtendo notitia Confessionis ad Regimen externum, iniuriam faciunt Sacramento, & retrahunt Pęnitentes à frequentanda Confessione. Nullus igitur Confessarius, etiam Episcopus, siue Sęcularis sit, siue Regularis, potest notitia Confessionis vti ad exteriorem gubernationem in ijs, in quibus Pęnitens confundi, verecundari, grauari, damnificari, præiudicari in honore, vita, & rebus, aut in aliquo alio minorari potest, sed taliter se debet habere Confessarius,

quiuis sit respectu Pænitentis, ac si nihil in Confessione sciret, *Diuo Bernardo loquente sic: Nihil minùs scis, quàm quòd vt Deus scis.*

110. Ad propositum nostrum spectat Thesis illa, quam deduci ad praxim à Ministris Sacramenti Pęnitentiæ *Sacra Congregatio Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis die* 18. *Nouembris* 1682. *prohibuit, & est huiusmodi: Scientia ex Confessione acquisita vti licet, modò fiat sine directa, aut indirecta reuelatione, & grauamine Pęnitentis, nisi aliud multò grauius ex non vsu sequatur, in cuius comparatione prius meritò contemnatur. Addita deinde explicatione, seu limitatione, quòd sit intelligenda de vsu Scientiæ ex Confessione acquisitæ cum grauamine Pęnitentis, seclusa quacumque reuelatione, atque in casu, quo multò grauius grauamen eiusdem Pęnitentis ex non vsu sequeretur.*

Huius Thesis prima pars, cùm sit verissima, iuxtà Pisanum in Append. ad Proposit. damnatas ab *Innocentio* XI. à num. 83., non prohibetur, sed prohibetur secunda pars incipiens *à ly Nisi aliud multò grauius*, & hoc longè priùs docuerat *Scotus in* 3. *dist.* 40. *qu. vn. his Verbis*: *Quòd difficilius est in Ecclesia, videtur esse Confessio: difficile enim videtur alicui, peccata sua priuata, soli Deo, & sibi nota, reuelare alicui Homini: sed ibi apposita sunt remedia, ita quòd propter reuelationem talem non oportet timere confusionem: obligatur enim Audiens ad Maximum Sigilli Secretum*, igitur ex Scoto nullatenus licet vti notitia Confessionis cum confusione, & grauamine Pęnitentis, etiam ad euitandum maius grauamen ipsi imminens, aliàs si liceret, Sigilli Secretum non esset *maximum*, & oporteret timere confusionem, estò minorem in comparatione ad maiorem, quod repugnat naturæ Confessionis omnem penitùs confusionem excludentis, & repugnat Sigilli Secreto includenti rationem *maximi*, ita quòd maius dari non possit ex Nostro P. Veruculo in doctis Decisionibus Casuum Clero Fauentino propositorum Pag. Mihi 195. num. 12.

Prohibet igitur *Sacra Congregatio* Episcopo, ex quo v. g. nouerit per Confessionem Sacramentalem, quòd Titius sit indi-

indignus, qui ſuſcipiat Sacros Ordines, Euchariſtiam, aut Beneficium Curatum, negare hæc Titio cum aliquali eius grauamine, quatenus maius grauamen Titio eueniret, ſi Epiſcopus non vtatur notitia Confeſſionis Sacramentalis, & illi conferat Sacros Ordines, Euchariſtiam, aut Beneficium Curatum. Prohibet Superiori, ex quo v. g. nouerit per Confeſſionem Sacramentalem, quòd Subditus petat facultatem egrediendi è Conuentu ad peccandum, facultatem illi denegare cum aliquali eiuſdem grauamine, prout maius grauamen ſubiret, ſi Superior non vtatur notitia Confeſſionis Sacramentalis. Prohibet Superiori, ex quo v. g. nouerit per Confeſſionem Sacramentalem, quòd Subditus non ſit Sacerdos, & adhuc Confeſſiones excipiat, & celebret, remouere illum ab Officio Confeſſarij, & impedire eum, ne celebret cum paruo ipſius grauamine, quatenus, cùm non ſit Sacerdos, maioris grauaminis periculo ſubijceretur, ſi Superior non vtatur ſcientia acquiſita in Confeſſione Sacramentali. Hæc, & alia ſimilia prohibet Sacra Congregatio, quia vſus notitiæ Confeſſionis Sacramentalis cum minimo etiam grauamine Pœnitentis odioſum, & oneroſum reddit Sacramentum, & retrahit Homines à Confeſſione, ideò Epiſcopus Ordines Sacros, Euchariſtiam, aut Beneficium Curatum non poteſt denegare Titio, quem ex ſola Confeſſione cognouit indignum, Superior Regularis facultatem egrediendi è Conuentu nequit denegare Subdito, quem ſcit ex ſola Confeſſione, quòd eam petit ad peccandum, ſicut nec poteſt impedire ab excipiendis Confeſſionibus, & à celebrando Subditum illum, quem cognoſcit ex ſola Confeſſione non habere poteſtatem Ordinis Sacerdotalis, nec poteſtatem Iuriſdictionis.

111. Neque valet, ſi dicas, quòd illud minimum grauamen, quod Pœnitens pateretur, ex quo Confeſſarius vtitur notitia Confeſſionis Sacramentalis, non ſit cenſendum grauamen, ſed potiùs leuamen in comparatione ad maximum grauamen, quod ex non Vſu notitiæ Confeſſionis Sacramentalis ſequi poteſt. Non, inquam, valet, quia quàmuis minimum grauamen in comparatione ad maximum ſit

in se, & absolutè leuamen, tamen non est sic in existimatione Hominum, qui pluris faciunt grauamen modicum sibi inuitis aliunde illatum, quàm grauamen maximum, quod spontè incurrunt ex suis actionibus, vnde rationabiliter conqueruntur de malo, quod sibi obuenit ratione Confessionis Sacramentalis, quia reuerà in se malum est, licet comparatiuè sit leuamen, & ideò *Sacra Congregatio prohibet*, ne in praxim deducatur, doceatur, aut propugnetur Doctrina illa de Vsu notitiæ Confessionis Sacramentalis cum grauamine etiam minimo Pęnitentis, sub prętextu, quòd sic impediatur grauamen maius, quod ex non Vsu talis notitiæ sequeretur.

Prohibet *Sacra Congregatio Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis*, quòd Confessarius, ex quo nouerit per Confessionem Sacramentalem, quòd v.g. Titius velit occidere Sempronium, & ad hoc omnia disponere, accuset statim Titium de alio Crimine apud Magistratum, vt interim trudatur in Carcerem, aut Exul esse cogatur, ne pęna Mortis, quam per Occisionem Sempronij potuisset incurrere, plectatur, ex Pisano supracit. num. 91., nam hoc modo Confessio redditur odiosa, & formidabilis, dum Titius cogitur ad sustinendum grauamen presens, & certum, vt futurum, & contingens ei præcludatur; immò si Titius de hoc grauamine esset certus, adhuc potius vellet illud spontè sufferre, quàm aliud multò leuius, quòd sibi inuitò accidit. Tum quia si Doctrina de Vsu licito notitię Confessionis Sacramentalis cum minori grauamine Pęnitentis esset permittenda, sequeretur etiam licitum esse talem vsum pro euitando malo communi, & Reipublicæ, quod omnes Doctores negant, sicut enim malum Titij contemnendum est respectu maioris mali eidem Titio imminentis, ita contemnendum videtur quodcumque eius malum respectu mali imminentis toti Communitati, cùm malum Totius sit præferendum malo Partis, hoc autem in pręsenti Casu est absurdissimum, ergo. Adde, quòd si cęteri Penitentes scirent, hoc licitè fieri à Confessario, auerterentur rationabiliter à Confessione grauiorum Criminum, quia semper timendi occasionem

habe-

haberent, ne non accusarentur de alio vero Crimine, vt à maiori pęna liberentur, quod, vt patet, est res periculis plenissima, & maximè detestanda.

112. Neque valet, si dicas, quòd Confessarius in Vsu notitiæ Confessionis Sacramentalis non reddat suspectum Pęnitentem, quòd illud grauamen originem habeat à Confessione. Non inquam, valet, eo quòd, vt Homines auertantur à Confessione, satis est, si sciant, extare Doctrinam hanc de licito Vsu notitiæ Confessionis Sacramentalis, periculosam, grauosamque Pęnitentibus, & nociuam honori, religionique Sacramenti, ac sciant, Confessarios posse talem sequi Doctrinam.

113. Sed numquid *probibitionem Sacræ Congregationis* adductam transgrediens peccat mortaliter?

℞. Quòd licet in dictæ Thesis Prohibitione non habeatur vlla Clausula, quæ sub Mortali obliget, nec Transgressoribus pęna aliqua determinata imponatur, sed *arbitrio Sacræ Congreg.* infligenda relinquatur, attamen cùm in nostro Casu materia sit grauissima, dicendum erit, quòd Transgressor huiusmodi Prohibitionis grauiter peccet, & sicuti diximus supra, quòd *Decretum Clementinum* sub mortali obliget Superiores pro tempore existentes, & Confessarios, qui postea ad Superioritatis gradum fuerunt promoti, ne Scientia Confessionis ad exteriorem gubernationem vtantur, eo quòd Confessio redderetur magis odiosa, & onerosa Pęnitentibus, ac fieret iniuria Religioni Sacramenti, ita à fortiori propter eadem motiua dicendum erit etiam, sub mortali obligare Prohibitionem vniuersalem dictæ Thesis factam *à Sacra Congregatione* Vniuersis Sacramenti Pęnitentiæ Ministris, ne ad praxim deducant, publicè, vel priuatim doceant, aut defendant Doctrinam illam de licito Vsu Scientiæ Confessionis Sacramentalis cum grauamine Pęnitentis, estò nulla sit directa, vel indirecta peccatorum reuelatio.

114 An autem Vsus Scientiæ Confessionis Sacramentalis licitus sit, quando non est certum, sed solùm probabile, quòd talis Vsus non inferat grauamen Pęnitenti?

℞. Quòd

℞. Quòd non, ſed vt licitus ſit, requiratur, quòd ſit moraliter certum, aut certè ſit probabiliſſimum, quòd ex huiuſmodi Vſu nullum inferatur grauamen Pęnitenti, aliàs facilè retraherentur Homines à ſyncera ſuorum Peccatorum manifeſtatione, ſola autem probabilitas, quòd ex tali Vſu non inferatur grauamen Pęnitenti, non eſt Sufficiens, vt licitus fiat ipſe Vſus, eò quòd docent Omnes ferè Doctores, quòd numquam licet ſequi Opinionem Probabilem, quando ex ea ſequeretur magnum periculum, vel damnum Proximi, ac Honoris Diuini, ſi poſſet euitari ſequendo Opinionem Probabiliorem, aut Tutiorem.

115. Sed numquid Scientia ex Confeſſione acquiſita vti licet, modò fiat ſine directa, aut indirecta reuelatione, & ſine grauamine Pęnitentis?

℞. Quòd ſic, & clarè conſtat tùm ex Verbis poſitis *in prima parte Theſis præfatæ*, tùm ex eo quòd ſaluatur omnimodè Sigillum, ſaluatur Indemnitas Pęnitentium, & ſaluatur debita reuerentia Sacramento, vnde poſſet Superior vti illa Scientia, vt fiat cautior, & prudentior in adhibenda cuſtodia, occultè viſitando Septa Monaſterij, non tamen aliquid exteriùs operando, vt mutando Claues, erigendo Murum, negando ſuffragium, amouendo ab Officio, etiam ad nutum amouibili, Subditum, denegando ipſi licentiam adeundi talem locum, vbi habet occaſionem peccandi, aut alia ſimilia faciendo, quæ habent vim occultę reprehenſionis, & inferunt grauamen Pęnitenti, quare ſic intelligendum eſt *Decretum Clementis VIII.*, quo prohibet Superioribus pro tempore exiſtentibus, & Confeſſarijs ad Prælaturam poſtea aſumptis, ne vtantur notitia habita ex Confeſſione ad exteriorem gubernationem, ne ſcilicet per Vſum notitiæ Confeſſionis minimum Subditi Pęnitentes reportent grauamen, & ne Confeſſio magis oneroſa, & odioſa fiat ipſis; ad rem verò noſtram facit notabile Documentum *Scoti in 4. diſt. 21. qu. 2. lit. N. ſcribentis ſic: Si dicas: non apponit remedium ad ſalutem Ouis ſuę. Reſpondeo: conſulat ſibi in Foro Pęnitentiæ meliori modo, quo poterit, vt illum locum dimittat; ſi noluerit, non attentet*

*eſſe*

*esse Deum, sed defectus occultos, sibi secundùm iustitiam incorrigibiles, Dei correctioni dimittat*, & sanctè *D. Thomas in 4. dist. 21. qu. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. inquit: non tenetur Prelatus adhibere Malo remedium, nisi eo modo, quo ad ipsum defertur.*

116. Num verò liceat Vsus Scientiæ comparatæ ex Confessione ad remouendam Pęnitenti Occasionem peccati, quando ex hoc non sequitur nec indirecta Criminis reuelatio, nec aliud in corpore, in honore, aut in bonis externis incommodum Pęnitenti, nisi hoc, quòd priuatur solatio, & delectatione proueniente ex actu peccaminoso?

℟. Quòd vtique liceat, si stemus narratis, eò quòd supponitur, nullum esse periculum detectionis criminis, & nullum incommodum, confusionem, aut pudorem obuenire Pęnitenti, neque enim euitatio ipsa occasionis peccandi secundùm se est grauamen Pęnitentis, sed leuamen. Casus igitur potest sic euenire: Ex Confessione Titij scit Confessarius, quænam sit Mulier Concubina, quæ est ipsi Titio proxima occasio peccandi, occurrit post quoddam tempus, quòd Vir Nobilis quærat ad sui famulatum Mulierem, Confessarius occasione discursus laudat Viro Nobili tamquam magis aptam eius seruitio præfatam Mulierem Concubinam Titij, vt propter hoc tollatur Titio proxima occasio peccandi, & suppono, quòd euitatio occasionis peccandi non habeat adnexum aliud honestum vtile, idest, quòd occasioni proximæ peccandi non sit adnexum Officium aliquod honorificum, vel aliquod aliud commodum particulare, aliàs illicitus esset huiusmodi Vsus, cum sępè sępiùs dixerimus, quòd vbi indirecta Criminis manifestatio sequitur, vel aliquod Pęnitentis incommodum, pudor, vel grauamen, non possit Confessarius vti ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuit, & hoc multò magis si sit Superior pro tempore existens, vel sit Confessarius, qui postea ad Superioritatis gradum fuerit promotus, & ea notitia ad exteriorem Gubernationem vtatur iuxtà prohibitionem *Clementis VIII.*

**117. At quid est Exterior illa gubernatio, ad quam prohibet**

*Clemens*

*Clemens VIII.* dirigi à Superioribus pro tempore existentibus, & à Confessarijs, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, Vsum Notitiæ Confessionis?

℞. Quòd hic per exteriorem Gubernationem intelligatur externum, & politicum Regimen Superiorum erga Subditos, circà quorum Personas propter Vsum Notitiæ Confessionis Superiores ipsi exercent actus punitiuos, qui facilè retrahunt Subditos à Confessione Sacramentali, ceduntque in damnum, & confusionem Pęnitentium, necnon irrogant iniuriam Religioni Sacramenti, & tunc per istos actus, qui dicuntur *primi generis*, redditur illicitus Vsus notitiæ Confessionis, ac *per Decretum Clementinum* omninò interdicitur Superioribus huiusmodi Vsus, vt si v.g. propter notitiam habitam in Confessione Superior paret insidias Subdito, vt illum capiat in simili Casu sibi confesso, vel per se, vel per alios; si apud Superiorem Maiorem procuret, vt amoueatur à Monasterio, vt priuetur Officio ex se amouibili, vt non assequatur talem dignitatem; si Superior neget egrediendi à Monasterio licentiam, quam priùs libenter ipsi Subdito præstabat; si Ordinationem faciat, vt non intret talem, vel talem Domum, in quam intrare solebat, ex qua Ordinatione faciliter oriri possit suspicio, si Superior acriter erga illum se habeat, vel non ità benignè eum respiciat, veluti faciebat priùs, vel si alia similia faciat circa Personam Subditi, motus per notitiam comparatam in Confessione. Si verò Superior propter Vsum notitiæ Confessionis aliquos actus exerceat, qui non sunt circà Personas Subditorum, sed secundùm Tamburinum in Meth. Confess. lib. 4. cap. 6. §. 2., & Mastrium in Theol. Mor. disp. 21. qu. 10. art. 2. dicuntur actus extrinseci Subditis Pęnitentibus, sicuti sunt v.g. Seruo non tradere Clauem Arcæ, Superiorem claudere Fores, vnde scit, Subditum nocte exire &c., aiunt præfati Doctores, quòd per istos actus, quos vocant *secundi generis*, cùm nihil in exteriore gubernatione contrà Personas singulares decernatur, nulla habeatur directa, aut indirecta Criminis reuelatio, nullum damnum, nullaque confusio Subditis Pænitentibus obueniat,

nec vlla

nec vlla irrogetur iniuria Sacramento, nequit fieri illicitus huiusmodi Vsus, nec prohibetur *per Decretum Clementinum*, hosce actus secundi generis exercere, sed permittitur, quatenus vel est in bonum proprium, vel ipsius Pęnitentis, vel Communitatis, vel alterius Innocentis, & vt Scandalum euitetur, ità tamen vt nec directè, nec indirectè reuelentur peccata, nec singularis Persona Subditi Pęnitentis, alioquin sciens ex vnius Complicis Confessione, se fore occidendum, non posset se Domi continere, etiamsi indè nulla sequeretur suspicio peccati confessi, & pro hac Sententia stant *D. Thomas hic qu. 11. art. 1. ad 3., D. Bonauentura dist. 22. part. 2. qu. 1., & Scotus Noster in 4. dist. 21. qu. 2. §. ad Argumenta.*

118. Dices: *Clemens VIII.* omninò generaliter prohibet, & interdicit Vsum notitiæ Confessionis Sacramentalis, vt constat ex illius verbis *in Decreto*, ergo gratis, & sine fundamento distinguimus actus primi generis, & secundi generis, dicendo, quòd Vsus notitiæ Confessionis circà primos sit vtique illicitus, at circà secundos sit licitus ad exteriorem gubernationem.

℟. Quòd *Clemens VIII.* dirigens suum *Decretum* ad eos, qui Superiores sunt, & deinceps erunt, solùm interdicat id, quod aliàs Iure Diuino interdictum erat, scilicet actus primi generis, non autem secundi generis, eo quòd actus secundi generis nullo modo pertinent ad Exteriorem gubernationem, nec exercentur circà Personam singularem, & certam Pęnitentis, hinc Vsum notitiæ Confessionis circà actus primi generis solummodò, & non circà actus secundi generis *Decretum Clementinum* prohibuit, & reddidit illicitum, vt optimè respondent Tamburinus cit., *Layman lib. 5. tract. 14. c. 14. num. 23. Palaus, Sanchez, & alij*, qui scripserunt *post dictum Decretum*, & ratio deducitur *ex Proemio ipsius Decreti*, cuius finis adæquatus est, vt Religiosi ex illo timore non retardentur à Confessione, ne in peius ruant, & ne exinde aliquod iniustum ipsis sequatur damnum, cessante autem hoc fine, & cessantibus his incommodis non apparet, quare Vsus hic debeat fieri illicitus Superioribus pro tem-

N pore

pore exiſtentibus, & Confeſſarijs, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerunt promoti. Hoc totum alijs exemplis illuſtrant Doctores: Poteſt Confeſſarius ſiue Sęcularis, ſiue Regularis ex Confeſſione Sacramentali alicuius Viri docti vti notitia pro ſe, vel pro alijs ad meliùs examinandam Conſcientiam ſuam, ad confitendum aliquod peccatum, quod tale non exiſtimabat ex ignorantia vincibili. Poteſt Confeſſarius moueri ex Confeſſione Pęnitentis ad orandum pro eo, petens à Deo remiſſionem, & emendam; ad conſulendum Doctiores in Re dubia, niſi tamen Pęnitens id expreſsè vetuerit; ad ſtudendum pro Caſibus ab eo propoſitis ad euitanda pericula, in quibus Pænitens ruinam ſpiritualem paſſus eſt. Poteſt Confeſſarius ex Confeſſione vnius in Confeſſione alterius aliquam facere interrogationem neceſſariam, vel vtilem Pænitenti, tali modo, vt alius non intelligat, vndè Confeſſor moueatur ad interrogandum, ſicuti notarunt Sylueſter Verb. Confeſſor 3. qu. 26., & Nauarr. cap. 8. num. 17. Poteſt Confeſſarius ex notitia Confeſſionis diligentiùs cuſtodire Rem propriam, & fieri cautior, & prudentior, in adhibenda cuſtodia. Poteſt Superior, qui contrà ſe audit querelas in Confeſſione propter nimium rigorem, vel propter auaritiam, ex huiuſmodi notitia ſe ad meliorem frugem reducere: Poteſt Superior ex notitia comparata per Confeſſionem attentiùs inuigilare, ſi priùs remiſſiùs ſe gerebat, vt ſuo muneri ſatisfaciat, & ſe emendare. Poteſt Superior ex Scientia Confeſſionis non eſſe adeò liberalis in danda licentia Subditis exeundi à Monaſterio, ſicuti priùs, vel non eſſe adeò benignus in dando libenter Socium gratum, ſed poteſt vnicuique aſſignare Socium pro exeundo, & poteſt facere aliquam aliam Ordinationem, aut Aduertentiam in communi, neceſſariam pro ſuæ Religionis conſeruatione, & poteſt alia ſimilia facere, quia in his omnibus nec Pænitenti, nec Sacramento fit iniuria, neque vllum ſequitur incommodum Pænitenti, neque indirecta timetur peccatorum Reuelatio, hinc præſumendum eſt, non fuiſſe intentionem *Clementis VIII.* prohibere huiuſmodi Vſum in ſuo Decreto ex Iunipero part. 1.

diſp.

dispu. sexta, quest. secunda, cap. 3. num. 5.

119. *Ad Actus secundi generis* reduci possunt multæ actiones, aut omissiones Confessarij, si ex aliquo prætextu indifferenti, nec ex se directè, aut indirectè manifestatiuo Pænitentis Confessarius vtatur notitia Confessionis, secùs dicendum foret, si nullum prætextum indifferentem reperire posset, quia tunc deberet Confessarius potiùs subire mortem, & ruinam permittere totius Mundi, quàm manifestare etiam indirectè Pænitentem, & quoad hoc Confessarios Regulam generalem docet *Scotus in* 4. *dist.* 21. *qu.* 2. *ad* 3. *scribens sic: Signum, quod de se est indifferens ad hoc, quod est, tale peccatum esse confessum, vel non confessum, licet aliquibus sit magis signum determinatum ex aliquo supposito, non est signum reuelatiuum Confessionis, nec per consequens simpliciter illicitum Confessori.* Si ergo sciam ex Confessione Sacramentali, quòd mihi volenti celebrare paratum fuerit venenum in Hostia, vel in Vino, possum ex aliquo prætextu indifferenti, non manifestatiuo Pænitentis omittere Celebrationem Missæ, vt si v.g. statim Ieiunium naturale frangam. Si ex Confessione Sacramentali sciam, mihi parari insidias ad mortem, potero non exire Domo, aut Conuentu, aliàs exiturus. Possum intrare in Syluam, vel Viam declinare ad euadendum meæ Mortis periculum, cùm sciam ex Confessione Sacramentali, me ad Syluam vocandum fore insidiosè. Possum mutare locum, & Domum, aliundè sumpta occasione, si sciam ex Confessione Sacramentali, hac nocte mihi grande Malum intendi in hoc loco. Possum, si sciam ex Confessione Sacramentali, aliquos conuenisse, vt diripiant hac nocte Cellam meam, vel mei Amici, totam noctem transigere ibi honestè ludendo, & iocando, hæc enim omnia, quæ facio, possunt prouenire ab alijs Causis, & actionibus indifferentibus, quas religiosa Sigilli custodia non vetat. Possum, si sciam ex Confessione Sacramentali, quòd meus Confessarius non sit Sacerdos, vel non sit approbatus, ei non ampliùs confiteri, nè inualidè confitear, quia omissio hæc ex Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 16. num. 5. reducitur ad actum secundi generis, nec

tenim vllum actum exerceo circà Personam singularem Pœnitentis, sed negatiuè me habeo, & licet ego omittam confiteri ipsi, cui tamquam Confessario consueueram aperire peccata mea, tamen nullo modo ostendo illius Delictum contrà De Lugo disp. 23. sect. 5. num. 105., cum variæ possint esse causæ permutandi Confessarium; nec propterea audiendus est De Lugo dicens, quòd si, omittendo confiteri illi, suspicarentur alij malum de illo Sacerdote putato, tunc deberem ad ipsum adhùc accedere, exterius simulando aperire ipsi peccata mea, ne eum prodam, & intereà alteri Confessario seriò confiteri, vnde alij Doctores saniùs dicunt, me non teneri ad hoc, sed posse licitè omittere confiteri eidem, eo quòd huiusmodi omissio non est vllo modo ostensiua Delicti, sicuti antea dixi, multò minùs debeo exteriùs simulare Confessionem, eò quòd simulatio illa formalis est intrinsecè mala, & est mendacium cum intentione fallendi videntes, quapropter nescio, quomodò Doctores admittentes cum de Lugo talem simulationem possint Doctrinæ cohærentiam saluare cum *hac Propositione ab Innocentio XI. sub num. 29. damnata: Vrgens metus mortis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi*. In his igitur Casibus, & in alijs similibus rectè se geret Confessarius, qui aliquam causam prætexit, quæ sit signum indifferens, nec vllo modo manifestatiuum Confessionis, dum sine iniuria Sacramenti, ac Pœnitentis vtitur Scientia Confessionis quærens sui, vel Proximi incolumitatem licito modo, ita Vuigandt, Gabriel, Maior, Syluester, Bonaccina, Coninch, Chamerot, Sporer part. 3. cap. 7. num. 863., vbi ait, contrariam Opinionem maximè quidem Sigillo fauentem, sed rigidam nimis esse, *& nescire, an ipsis suis Auctoribus in Casu contingenti practicandam*.

120. An verò *sub Decreto Clementino* veniant Confessiones Nouitiorum, & Monialium?

℞. Quòd sic, quandoquidem Religiosorum Nomine veniant tam Nouitij, quàm Moniales, ità communiter Doctores, ergo Magister Nouitiorum, cui à Suo Superiore commissa est facultas audiendi Confessiones eorum, nequit

vti Scien-

vti Scientia comparata ex Nouitiorum Confessionibus, vt iis posteà deneget Suffragium in Professione, eo quòd Scientia habita ex Confessione fuit habitu à Confessario vt Deus, non autem vt Homo, qualis postea erit in dando Suffragium Nouitijs; similiter Moniales veniunt Nomine Religiosorum, ideò neque cum illis potest Superior, aut Confessarius vti notitia Confessionis in earum Exteriori Gubernatione, propter prohibitionem *Decreti Clementini*, & hoc est verum, siue Subditi Pęnitentes absoluti fuerint, siue sine Absolutione fuerint dimissi, *eo quia peccata vt cadant sub sigillo, ex D. Thoma supracit. qu. 3. art. 1. & 2. sufficit, quod sint audita in Confessione Sacramentali*.

121. Sed num *sub Decreto Clementino* veniant non solùm peccata Subditorum, sed etiam defectus siue morales, siue naturales cogniti ex sola Confessione, de quibus valdè erubescerent, ne scilicet Confessarius vtatur Scientia Confessionis ad Exteriorem Gubernationem?

℞. Quòd sic, cùm Doctores comuniter doceant apud Cardin. De Lugo De Pęnit. disp. 23. num. 55., quòd defectus huiusmodi contineantur sub Sigillo, taliter quòd magis odiosa fieret Confessio per Reuelationem talium defectuum, quàm per aperitionem peccatorum, & mehercle retraherentur Subditi à Confessione Sacramentali, quòd est *contra finem Decreti* volentis Subditorum indemnitatem, & Sacramenti reuerentiam, neutra autem haberetur, si Confessarius vteretur Scientia huiusmodi defectuum ex Confessione acquisita ad Exteriorem Gubernationem.

122. Maxima verò cum aduertentia legendus est pijssimus, & doctissimus *Nauarrus in C. Sacerdos de Pęnit. D. 6. num. 147. ante Decretum Clementinum*, dum ait, eos, qui Suffragium non denegant in Electione illi, quem per solam Confessionem Sacramentalem cognouerunt malum, & indignum, incurrere in pęnam Suspensionis, quæ contra Eligentes indignum lata est in Iure *Cap. Cum in cunctis §. Fin. De Elect.*, vbi talis pęna Eligentibus scienter Indignum proponitur; *est, inquam, maxima cum aduertentia legendus*, cùm satis constet ex dictis, quòd vti hac notitia in Confes-

Confessione Sacramentali, comperata ad gubernandum, & ad res exteriores prudenter gerendum, vergit in maximum Sacramenti Pęnitentiæ detrimentum, & retrahit Religiosos Pænitentes à Confessionibus Auricularibus faciendis, intelligentes, quòd ex suis Confessionibus dant occasionem Confessarijs, vt ijs denegent Suffragium in Electionibus; Nauarrus verò Sacros Canones maximè zelans *debuisset considerare*, Summum Pontificem præfati Iuris Legislatorem, & sigilli Confessionis maximè zelatorem statuere non voluisse contrà Eligentes scienter Indignum notitia per solam Confessionem comparata, cùm ibi nihil speciale habeatur pertinens ad Sigillum, neque contrarium de summa eiusdem Pontificis Pietate erga Sacramentum Pænitentiæ credendum est, propterea non sunt condemnandi ad peccatum mortale, consequenter nec ad pęnam Suspensionis illi, qui scienter Indignum eligunt, si talem indignitatem ex sola Confessione Sacramentali perceperunt, neque enim ordo Charitatis patitur, vt propter bonum in temporalibus regimen, malum in Spiritualibus permittatur, neque hoc Sacramentum institutum fuit à Christo Domino, vt ex Scientia per ipsum acquisita Regimen Communitatis instituatur, sed vt Animabus contagione peccati maculatis virtute ipsius medeatur ex Rodriquez Tom. 2. qu. 53. art. 4., & Coriolano part. 1. sect. 1. art. 16.

123. Multò magis cauendum nobis est à falsis in hoc proposito Doctrinis Tanneri Tom. 4. disp. 6. qu. 9. dub. 6. num. 140., Leandri, & aliorum paucorum *post Decretum Clementinum*, qui docuere, posse Confessarium vti notitia peccatorum in Tribunali Pęnitentiæ habita, dummodò in bonum finem ipsa vtantur, *& primò*, si Confessarius nouit Pęnitentem proditorem, poterit monere Vigiles, vt diligenter custodiant Ciuitatem*; secundò*, si ex sola Confessione nouit, Famulum suum esse Furem, poterit eum dimittere; *tertiò*, si est Prædicator, poterit vehementiùs inuehi in grauia peccata, quæ audiuit in Confessione; *quartò*, si est Episcopus, poterit Dimissorias, Ordines, aut Beneficium negare illi, quem ex Confessione nouit Indignum;

*quintò*,

*quintò*, poterit negare occultum Suffragium Indigno; *sextò*, poterit monere aliquem, cui malum est paratum, vt tali loco, & tempore sibi caueat; *septimò*, Prælatus [ modò non sit Regularis ] poterit amouere aliquem ab Officio ad nutum amouibili, & non admittere ad Officium illum, qui putatur nociturus, & licentiam aliquam negare, ac similia facere ex notitia in sola Confessione Sacramentali acquisita. In his, & similibus Casibus iam constat, periculum esse proditionis Sigilli, & maximi pudoris, ac grauaminis Pęnitenti, propterea cauendum est à laxis Tanneri, & suorum Sequacium Doctrinis; potissima autem ratio, ob quam Sigillum Sacramentale tàm arctè obligat, ne notitia Confessionis ad Forum externum deducatur, est ista, ne scilicet tantum Sacramentum Pęnitentibus onerosum, ac odiosum reddatur, & profectò reddi adeò onerosum, & odiosum constat, si scirent Pęnitentes, posse ex suarum Confessionum notitia priuari suis officijs, vel ad Dignitates non promoueri &c. ex Fagundez in Præcepto 2. Ecclesiæ lib. *6.* cap. 2. num. 2.

124. Petes. An liceat Superioribus Regularibus taxare Pęnitentias quasdam graues à Confessario Deputato imponendas quibusdam Casibus etiam non Reseruatis?

℟. Quòd liceat, quàmuis enim *Clemens VIII. in suo Decreto* prohibeat Superioribus Regularium, ne suos obstringant Subditos ad sibi confitendum, nihilominus *in ipso Decreto* §. 5. *subdit sic*: *Licebit tamen Superioribus determinare Pęnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non Reseruatis, à Confessarijs imponendas, quæ Subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint*, & nota illa Verba *etiam non Reseruatis*, quæ Verba à fortiori denotant, Superioribus licere etiam Pænitentias graues determinare peccatis Reseruatis imponendas a Confessarijs, ad hoc vt Subditi ab huiusmodi peccatis committendis cohibeantur, ex Coriolano Sect. 1. art. 19. Tum quia Superior est Iudex Ordinarius in tali Causa, ergo potest liberè se remittere Conscientiæ Confessarij, nimirùm vel simpliciter committendo Facultatem absoluendi à Reseruatis, & non Reseruatis,

seruatis, vel dando talem Facultatem cum limitatione, præscribendo scilicet Modum, taxando pęnam ferendam, & aliunde hoc ad Pænitentis bonum expedire poteſt. Tum quia hoc oſtenditur ex antiqua Eccleſiæ Conſuetudine, olim enim erant Canones Pęnitent. in quibus graues peccatis grauibus imponebantur Pænitentiæ, quarum nonnulla Veſtigia ſunt apud Gratianum *in fine Decreti Cap. Latorem 33. qu. 2. cum ſimilibus*, ergo & licebit Superioribus Regularium, qui in Eccleſia poteſtatem habent, taxare in hoc Foro Confeſſarijs Pænitentias imponendas quibuſdam Caſibus etiam non Reſeruatis. Fateor tamen quòd in Vſu talis poteſtatis maxima prudentia, & moderatio eſt neceſſaria Superiori, nec debet ea regulariter vti, niſi quando non multùm confideret de prudentia Confeſſarij, cui hanc Cauſam committit, & in hoc Caſu cauere debet Superior, ne, taxando Pænitentiam imponendam, Sacramentum Pænitentiæ fiat onerosum Pęnitenti.

125. Sed numquid poterit Superior abſque ſpeciali notitia peccati iubere Confeſſario, vt quando peccatum tale, aut tale quis commiſerit, talem, aut talem Confeſſarius imponat Pęnitentiam?

℟. Quòd quidem poſſit per modum Conſilij Superior facere hoc, & licet poſſit etiam hoc facere per modum Legis, & Præcepti, non eſt tamen in Vſu, vt faciat, ideò ſine magna, & extraordinaria Cauſa non eſt faciendum, ait Suarez Tom. 4. ad 3. p. diſp. 30. Sect. 5. num. 3., & multò minùs committere debet Iuriſdictionem Confeſſario cum tanta dependentia ab hac Condicione, vt niſi imponatur talis Pęnitentia, & acceptetur, Abſolutio tunc ſit nulla, nam hoc nimis rigoroſum foret, ac periculis expoſitum, immò eſſet iniuſtum, cùm Confeſſarius Iudex ſuo arbitrio prorsùs priuaretur videns diſpoſitionem, & alias condiciones Pęnitentis, propter quas non expediret tantam imponere Pęnitentiam, propterea dicendum eſt, quòd Confeſſarius poſſit eam moderari, quando ſic expedire cognouerit., & Superior imprudentiſſimè ſe gereret committendo Iuriſdictionem cum tali condicione, quod niſi à Confeſſario impona-

imponatur talis Pęnitentia, & nisi acceptetur à Pænitente, absolutio sit nulla, sic enim relinqueret Confessarium cum periculo faciendi Sacramentum irritum, seu conferendi Absolutionem nullam ex defectu Potestatis, si deberet condicionem tali modo impositam seruare. Non est tamen negandum, quòd Superior per modum Consilij, seu directionis, aut ordinationis ad summum possit persuadere Confessario, vt tali modo se gerat cum tali Pęnitente, & talem, vel talem imponat ei Pænitentiam, remittendo se prudentis Confessarij Iudicio, si Pænitentis condicionibus, & temporis circumstantijs consideratis iudicauerit, id expedire, ex Coriolano supracit. & alijs Doctoribus.

126. Sed numquid Confessarius Inferior potest Pænitentiam, quam pro Reseruatis imposuit Superior in absoluendo Pænitentem, mutare in aliam?

℟. Quòd Confessarius inferior, iusta tamen concurrente Causa, possit, tum quia sicuti per Absolutionem Casuum Reseruatorum illa peccata desinunt esse Reseruata, ita desinit esse Reseruata Pænitentia pro illis imposita. Tum quia Confessarius Inferior, ex quo commutet Pænitentiam pro Reseruatis impositam à Superiore, non dicitur exercere Iurisdictionem in Superiorem, sed solùm in Pænitentem sibi Subiectum, nec habentem ampliùs Reseruata. Tum quia Superior præsumitur consentire in id, quòd Pænitentis saluti expedire censetur, si igitur iusta causa concurrat, vtpote Pænitentis vtilitas, vel necessitas, vel magna difficultas in adimplenda Pænitentia habita pro Reseruatis, non implicat, quòd Confessarius Inferior eam cōmutet in aliam, verùmtamen non debet esse nimis indulgens in minuenda, vel commutanda tali Pænitentia, ne scilicet Pænitentes inde ansam arripiant non implendi Pænitentias, ex Filiuccio, Homobono, Lugo, & alijs. Tum tandem quia quando quæritur, an Confessarius in Iubilæo possit ex iusta causa commutare materiam subrogatam, in quam *à Summo Pontifice* commutatum est Votum Reseruatum Castitatis, vel Religionis, vt si Pontifex commutasset votum Castitatis in Confessiones Menstruas, omnes ferè Doctores respon-

dent, posse, cur ergo non poterit Confessarius Inferior commutare in Confessione Sacramentali Pęnitentiam, quam Superior pro Reseruatis imposuit in absoluendo Pęnitentem?

127. Dices, quòd commutare Pænitentiam sit actus Iudicij, quem Confessarius non possit exercere, nisi cognita Causa, & nisi Pęnitens se accuset de iisdem Reseruatis, pro quibus Pænitentia est imponenda.

℞. Quòd vtique commutatio hæc sit actus Iudicij, sed ad talem actum exercendum sufficiat sola cognitio prioris pænitentiæ, necnon causæ, quam Pænitens adducit ad velle mutationem Pænitentiæ, an scilicet sit causa iusta, an verò ex pigritia, aut ex dolo fabricata, sic secundus Iudex, etiam non cognita Causa, potest moderari, vel commutare Sententiam datam à primo Iudice, & adhuc dicitur exercere actum Iudicij, & hæc nostra Opinio videtur esse Pietati valdè consentanea, quandoquidem nimis graue foret Pænitenti, si obligandus esset pro commutanda Pænitentia ad iterandas Confessiones præteritas, & ad denuò exponenda eadem peccata iam confessa, & ritè absoluta, probis etiam Confessarijs nimis molestum esset, si Confessiones adeò longas audire cogerentur, quapropter Opinio nostra est secura in praxi, & eam docent Bossius de Iubilæo Sect. 1. Casu 19. num. 23., Lugus disp. 25. num. 109., Fernandez, Leander, & præ alijs Diana, qui part. 1. tract. 1. num. 53. ait, Auctores Opinionis contrariæ illam in Cathedra, vel in Cella docuisse, sed in Confessionali nostram practicasse. Ex hoc inferas, quòd Confessarius Inferior possit etiam commutare Pęnitentiam præseruatiuam, quando iam cessauit eius necessitas, vt si quis habuit in Pęnitentiam à Superiore pro aliquo lapsu Carnis opere consummato, quòd non transeat per talem Viam, quia solebat sumere occasionem labendi in peccatum Carnis, si iam hæc occasio cessauit, poterit à Confessario Inferiori commutari, aut etiam tolli.

128. Quid si Pęnitens propria auctoritate pęnitentiã commutet etiam in Opus euidenter meliùs, aut si propria auctoritate substituat sibi alium, qui loco ipsius pęnitentiam impleat?

℞. Quòd

℞. Quòd quantùm ad primam partem Dubij Pænitens non possit, & Opinio opposita Portelli, & Viualdi opponitur communi Theologorum, ac Fidelium Sensui, immò temeritatis nota inuritur à Turriano, & ratio est, quia sicut nequit quis propria auctoritate Auditionem Missæ in die Festo præceptam ab Ecclesia, aut Ieiunium Quadragesimale commutare in Opus euidenter meliùs, ita à fortiori nec in Opus euidenter melius poterit Pænitens pęnitentiam à Confessario Iudice iniunctam, quæ est pars Integralis Sacramenti, propria auctoritate commutare. Nec valet puerilis paritas de Vouente, qui potest sibi commutare Votum in aliud Opus Deo euidenter gratiùs, nam obligatio in Voto sicut oritur ab ipsius Vouentis voluntate, qui solùm se obligat ad Opus illud, quatenus est Deo gratum, ita potest se obligare ad aliud Opus Deo euidenter gratiùs, & commutare Votum absque violatione eius, at verò Pænitens nequit propria auctoritate commutare Pænitentiam à Confessario iniunctam in Opus euidenter meliùs, quia obligatio Pęnitentis ad adimplendam pænitentiam sibi iniunctam non oritur à voluntate Pænitentis, sed à voluntate aliena, cui omnes Pænitentes tenentur se ipsos conformare, nec possunt aliud Opus estò præstantiùs subrogare, cùm Confessarius præcipiens non requirat Opus meliùs, sed ipsam rem dumtaxat præceptam, sicuti dixi de Auditione Missæ in Die Festo præcepta ab Ecclesia.

129. Quantùm ad secundam partem Dubij iam patet, quòd obligatur Pęnitens personaliter implere Pęnitentiam, & iam *ab Alexandro VII. condemnatum fuit oppositum in Thesi* 15. quæ est huiusmodi : *Pęnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pænitentiam adimpleat*, nota tamen *ex dicta Thesi* non condemnari, quando Pænitens non propria auctoritate, sed ex declaratione, & ex licentia Confessarij pænitentiam per alium curat impleri ex Leandro qu. 90., in quo Casu quando possit, vel non possit pęnitentia prodesse Pęnitenti ex Opere operato tàmquàm pars Sacramenti, legatis Giribaldum

tract. 7. c. 12. dub. 10. num. 90., interim finem impono primæ Parti meæ Mantissæ Moralis *ad Formam Decreti*, *quod Clemens Papa VIII. per quoscumque Regularium Superores, quicumque illi sint, observari mandauit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis Concilij, etiam Generalis, Decretis, nec non Consuetudinibus &c.* Singulæ istæ clausulæ positæ in Calce *Decreti Clementini* sunt prægnantissimæ, & sunt omninò attendendæ.

# FINIS.



INDEX

# INDEX

## RERVM NOTABILIVM, QVÆ IN PRIMA PARTE MANTISSÆ MORALIS, DE RESERVATIONE CASVVM REGVLARIVM IN COMMVNI CONTINENTVR.

# A



# C

# F



# G



# H



# I

# P

S



*Superio-*

*Vsus*

FINIS.

# Explicit Mantissæ Moralis
# PARS PRIMA
DE RESERVATIONE CASVVM REGVLARIVM IN COMMVNI.

Per P. Fr. Fabium Cemorinum de Foroliuio. Almæ Prouinciæ Obseruantis Bononiæ S. Theol. Lectorem Iubilatum.

MANTIS-

# MANTISSÆ MORALIS

## PARS SECVNDA

### De Casuum Regularium Reseruationibus in particulari.



CAsuum Regularium Reseruationes in Communi iuxtà exilitatem mearum Virium elucidaui in Parte Prima Meæ Mantissæ Moralis, modò, & hęc est Pars Secunda, de eorumdem Reseruationibus in particulari iuxtà ordinem, quo numerantur in Decreto Clementino, Tractatum instituo, Terminos in propria Significatione expono, boni Nominis Doctoribus adhęreo, Dubia cohærentia Materię pertractandæ resoluo, & Seriem Incidentium, ac non Incidentium in singulos ex Vndecim Casibus Reseruabilibus, maximo Studio contextam, obijcio Confessariorum, ac Pęnitentium Regularium Oculis, vt illi in suo Ministerio fiant promptiores, & isti in Scopulis Reseruationum euitandis reddantur cautiores. Pro Nostris Obseruantibus hoc vnum addo, quòd sępè sæpiùs prę Manibus habeant Statuta Generalia Ordinis, quæ Sambucana appellantur, pro cęteris verò Religiosis hoc vnum consulo, vt propriæ Religionis Ordinationes percurrant. Vt igitur facilè Regulares manuducam ad Casuum Reseruatorum in particulari intelligentiam, liceat tres dumtaxat Tabellas eorumdem *in Ordine Seraphico* hìc transcribere.

TABELLA

# TABELLA

## CASVVM RESERVATORVM

Apud *Patres Minores Conuentuales S. P. N. Francisci*, & in ordinatissimis *Constitutionibus Vrbanis* Pag. 203. sic distributorum.

### *MINISTRO GENERALI RESERVANTVR.*

1. Apostasia vera, & formalis à Religione, siue Habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extrà Septa Monasterij, seu Conuentus fiat Egressio.
2. Procuratio, Auxilium, seu Consilium ad Abortum faciendum post animatum Fœtum etiam non consequuto effectu.
3. Falsificatio Manus, aut Sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus.
4. Occisio, seu Vulneratio, & grauis Percussio Prælatorum.
5. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, siue aperitio Litterarum à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores.
6. Furtum de Rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit supra Summam Scutorum Triginta.

*Ministro Prouinciali* reseruantur.

1. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.
2. Nocturna, & furtiua è Monasterio, vel Conuentu Egressio, etiam non animo apostatandi facta.
3. Iuramentum Falsum in Iudicio Regulari, seu legitimo.
4. Furtum supra summam Scutorum decem de Rebus Monasterij, seu Conuentus.
5. Quæuis Percussio cum effusione Sanguinis cum Scandalo publico.

*Custodi* reseruantur.

1. Grauis Percussio Sacerdotum.

2. Furtum

2. Furtum infra summam Scutorum decem.
3. Proprietas in quatuor vltimis gradibus. Vide in Pag. 205. num. 7., 8., 9., 10.

*Guardiano* reseruantur.

1. Lapsus Carnis voluntarius opere consumatus.
2. Grauis Percussio cuiuslibet Fratris non Prælati, nec Sacerdotis.
3. Proprietas, & Furtum peccati Mortalis, quod ad valorem trium [vt vocant] Iuliorum ascendat.

# TABELLA

## CASVVM RESERVATORVM

Apud *Patres Nostros Reformatos*, *seu Strictioris Obseruantiæ* S. *P.* N. *Francisci*, & ex eorumdem Constitutionibus taxatorum.

1. VEneficij, Incantesmi, & Sortilegij.
2. Disubbidienza contumace, quando, fatta la terza monitione per vn giorno naturale, il Suddito perseuera nella disubbidienza.
3. Percussione graue d' vn altro Religioso, e Chierico Secolare.
4. Manifestatione di cose, che infamino la Religione, ò Frate particolare.
5. Peccato carnale voluntario compito.
6. Proprietà di peccato Mortale.
7. Furto di cose notabili, ò replicato.
8. Falsa accusa con infamia dell' accusato, ò dar Memoriale falso in qualche Tribunale.
9. Falso Testimonio in Giuditio.
10. Falsificatione di Mano, ò Sigillo de' Superiori, ò di Persona notabile, ò del Conuento.
11. Malitioso impedimento, ritardatione, & apertura di Let-

di Lettere de' Superiori à Sudditi, e de' Sudditi à Superiori.

12. Far Libelli Famosi, consigliare, ò indurre, che si faccino, quando si giunge à segno, che siano esposti, buttati, ò in qualsiuoglia modo publicati.

13. Procurare, agiutare, consigliare aborto animato, ancorche non sia seguito l' effetto.

# TABELLA

## CASVVM RESERVATORVM

Apud *Nos Fratres Minores de Obseruantia* S. P. N. *Francisci*, & *in Statutis Generalibus Sambucanis* Pag. 116. ita dispositorum.

1. NOmen *Dei*, *aut Domini Nostri Iesu Christi*, *aut Deiparæ Virginis Mariæ* blasphemantes.
2. Rebus Sacris abutentes.
3. Quidquam in Religionis detrimentum extrà Religionem patefacientes.
4. Discordias Patrum, vel depositiones Prælatorum manifestantes.
5. Calumniam in Iudicio cuiquam imponentes, vel ad id faciendum inducentes.
6. Falsò, ac scienter quempiam accusantes, & accusantem reuelantes.
7. Falsum Testimonium deponentes, vel deponendum procurantes, aut alium quomodolibet infamantes.
8. Iurati Veritatem negantes, & falsum affirmantes.
9. Ter debitè moniti obedire renuentes.
10. Consumatum Carnis peccatum quodcumque admittentes.
11. Denarios contra Regulam accipientes, tenentes, vel asseruantes.

12. Rei

12. Rei sacræ, vel notabilis Furtum perpetrantes.
13. Religionis Bona extrà Ordinem dono dantes.
14. Fratribus, vel Secularibus vendentes, aut quouis alio modo alienantes.
15. Generalis, vel Prouincialis, aut eorum Secretariorum Litteras, tùm Missas, tùm accipiendas, impedientes, frangentes, falsificantes, vel quomodolibet intercipientes.
16. Sigillum Ordinis, vel cuiusuis alterius Prælati, aut Personæ Notabilis falsificantes.
17. Libellum famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, proijcientes, vel publicantes.
18. Grauiter quempiam percutientes, aut contrà Prælatum machinantes.
19. Carnes, cùm Ecclesiæ Præcepto, vel Regulæ vetitum fuerit, comedentes, nisi scriptam facultatem ob necessitatem à Superiore antea impetrauerint.



# PRIMVS CASVS

Reſeruabilis à Superioribus Regularium, *Veneficia, Incantationes, Sortilegia.*



1. IEſu Chriſti inuocato Nomine, quod eſt ſuper omne Nomen, aggredimur Elucidationem primi Caſus ex Vndecim, quos *Clemens Papa VIII.* permittit Superioribus Regularium, vt ſibi reſeruare poſſint, prout Subditorum vtilitati prudenter in Domino cenſuerint expedire. Nulla ferè eſt hodie frequentior, & vtilior Tractatio, quàm quæ de Superſtitionibus ſuſcipitur, ob deluſas à Dæmonibus Mentes Hominum, qui, vt ſuis impiè ſatisfaciant deſiderijs, Demoniacæ ligant ſe Seruituti, & à Maieſtate Dei exulant, qui eſt Finis noſter, & perfecta Beatitudo. Quàm atrox ſit Superſtitionis Delictum, omnibus compertum eſt, eò quòd opponitur veræ Religioni, quæ eſt maxima inter Virtutes Morales *ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 81. *art.* 2., atrox quidem eſt in Perſona Laica, ſed maximè atrox in Perſona Religioſa, Deoque ſpecialiùs alligata, dum à ſuo Inſtituto deficiens, pactis conuentis, & data Syngrapha ſe Dæmoni emancipat, & ſuo Creatore relicto, Diaboli Patris Mendacij Suffragia quærit. Contrà tanti Sceleris atrocitatem omnia Iura clamant, etenim ex Diuina Lege Superſtitioſi Lapidibus obruuntur *Leuit.* 10., ſecundùm Sacros Canones fiunt Infames, Euchariſtia priuantur,

Gladio

Gladio Excommunicationis feriuntur, ac si sint Clerici, iubentur deponi, atque Beneficio priuari; Pęnis animaduertuntur acerbissimis à Supremo Tribunali Sanctæ Fidei, quando sunt suspecti de Hæresi, Reseruationibus ab Episcopis, vel à Prælatis Regularibus coercentur Subditi, nec quid omittitur ab vtroque Foro, vt tam horrendum Scelus deperdat Vires. Non ergo mirum, quòd *SS. D. N. Clemens Papa VIII.* ante omnes proponat hunc Casum Reseruabilem Superioribus Regularium, videlicet *Veneficia, Incantationes, Sortilegia*, vt si expediens iudicauerint pro Religionis Conseruatione, & pro Conscientiæ puritate, sibimet ipsis reseruent, & de facto hic primus Casus reseruatur *Superiori Prouinciali PP. Minorum Conuentualium, necnon Superioribus Maioribus Strictioris Obseru. S. P. N. Francisci, vt patet ex proprijs Tabellis num. 1.*

2. Priùsquàm autem præfata tria Verba Primi Casus Clementini elucidem, grauis occurrit difficultas, quæ de necessitate Materię pertractandæ est resoluenda. Extendunt omnes ferè Doctores [ Lezana, & Bordono exceptis ] dicta tria Verba ad cunctas, quotquot sunt, Superstitionum Species, ex identitate, vel maioritate rationis, quia cunctæ sunt eiusdem generis, idest cunctæ fiunt inuocato Dęmone, deinde quando agitur de Salute Animæ, & de euitando peccato, debet de vno Casu ad alterum fieri extensio etiam Iuris pęnalis, ex Iasone, qui alios citat, *in Authent. Quas Actiones num. 25. C. De Sacrosanctis Ecclesijs*, & potiùs dicitur Inclusio similium peccatorum, quàm Extensio, ex *Tit. Codicis*, qui inscribitur *De Malefic., & Mathem.* ita ex Nostris Bellochius, Coriolanus, Bassæus, Gesualdus, Portellus, Iuniperus, & ex Exteris Duardus, Grassius, Cabrinus, Quaranta, & alij plures, qui tractant de hoc primo Casu Clementino. Sua tamen non caret probabilitate Opinio P. Lezanæ tom. 3. Verb. Veneficia n. 11. & P. Bordoni Resol. 38. q. 39. 40., & Resol. 40. num. 1. volentium, quòd Veneficia, Incantationes, & Sortilegia, quæ *Clemens VIII.* permittit, posse reseruari à Superioribus Regularium, non possint extendi ad alios Casus etiam similes,

ſimiles, vel maiores, niſi illi exprimantur à Legislatore; cùm Reſeruatio Caſuum ſit odioſa, & pęnalis, vnde potiùs reſtringenda eſt, & non extendenda ad alias Superſtitionum Species, neque enim Lex plùs obligat, quàm Verbis exprimat iuxtà *D. Lucam cap.* 3. *Nihil ampliùs, quàm conſtitutum eſt Vobis, faciatis*. Attamen relicta pro nunc Opinione Lezanæ, & Bordoni in ſua maxima probabilitate, adhæreo Opinioni oppoſitæ, magis Communi, & magis Practicabili in Religionibus.

3. Aduertendum eſt primò, quòd nulla datur Superſtitio, aut ſpecies Superſtitionis, in qua non habeatur Dæmonis Inuocatio expreſſa, aut tacita, conſequenter vbi cum pacto expreſſo, aut tacito non ineatur Societas, & Amicitia cum Dæmone, quam *D. Auguſtinus lib. De Doctrin. Chriſtiana cap.* 13. *inquit, tamquam peſtiferam eſſe fugiendam*. Inuocatio Dæmonis expreſſa habetur, quando quis inuocat Dæmonis Auxilium cum expreſſa intentione, vt Dęmon ſe immiſceat in tali negotio, aſſequendi cauſa aliquid, ſiue poſteà verbis, ſiue factis expreſsè inuocet, adiuncto pacto, & tunc *Verbis* inuocat expreſsè Dæmonem, quando Verbis eum, vel obſecrat, vt modum doceat inueniendi Theſaurum, aut aliquem dicat euentum ſequuturum, vel quando Verbis imperat Dæmoni, vt tale quid faciat, vel doceat, ſiue poſteà Dæmon ſenſibiliter reſpondeat, ſiue non. Nęque dicas, cenſeri ridiculum inuocare Dęmonem expreſsè Verbis imperatiuis, quia inquit *Auguſtinus lib.* 10. *De Ciuitate Dei cap.* 11. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ Dæmonibus comparetur*. Nam, vt optimè reſpondet Carena, licet videatur ridiculum, attamen quia, quando Verbis imperatiuis Dęmones expreſsè inuocantur, tunc obediunt, vel obedire fingunt, vt decipiant Homines, ideò non eſt ridiculum ex parte Noſtri, teſtante Pegna, quòd ſecundùm hanc Doctrinam de expreſſa Dæmonum Inuocatione tùm Verbis Obſecratiuis, tùm Imperatiuis fuerit aliquando iudicatum in Sacro Inquiſitionis Tribunali. Et hìc nota, quòd Inuocatio expreſſa Dęmonum Verbis imperatiuis per Modum Adiurationis eſt licita, cùm Deus

hanc poteſtatem dederit Hominibus *Marci cap. vlt. In Nomine meo Dæmonia eijcient*, quare poſſunt Dæmones cogi imperando ijs tamquam Hominibus, vt exeant de Corporibus Hominum, vel Animalium, & non damnificent Bona noſtra, & id maximè per Actum exorcizandi prçſtant Sacerdotes, qui poteſtatem habent ſuper Dæmones iuxtà illud *Lucæ cap.* 10. *Domine, etiam Dæmonia ſubijciuntur Nobis in Nomine Tuo.* Tunc *Factis* quis inuocat expreſsè Dæmonem quando Dæmoni exhibet Cultum Lutriæ, offert Sacrificia, illi ſe deuouet, Obedientiam promittit, genua flectit, Laudes Dæmoniorum cantat, per Characteres, Signa, & ignota Nomina obſecrat, Caput aperit, pectus percutit, Altaria, vel Templa extruit, & alia facta nefaria, quæ manifeſtam ſapiunt Hæreſim, exequitur in Cultum Dæmoniorum.

4. Inuocatio Dæmonis Tacita habetur, quando quis non Verbis obſecrat, nec imperat, nec factis Dæmonem expreſsè inuocat, ſed quando quis talibus ſe implicat, in quibus Dæmon ſe immiſcet, & facit aliquas actiones, in quibus latet pactum cum ipſo Dæmone, vt ſi vtatur quibuſdam Signis Vanis, & inutilibus, aut Verbis, aut cauſis non habentibus talem Virtutem naturalem, neque ex inſtituto Diuino, neque ex Eccleſiaſtica diſpoſitione, ſed ſolùm ex Demoniaca.

5. Dixi ſupra *Adiuncto Pacto*, & per hoc pactum intelligitur promiſſio facta Dæmoni ab Homine, & facta Homini à Dæmone, qui multoties fingit promittendo, & ex hac promiſſione naſcitur obligatio non ſolùm ex parte Hominis, verùm etiam ex parte Dæmonis, ſaltem ficta. Pactum hoc aliud dicitur expreſſum, & aliud dicitur Tacitum; *Expreſſum* conſiſtit in hoc quòd quis expreſſis Verbis, vel factis ſe obligat ad obſequium præſtandum Dæmonibus, vt deinde Dæmones manifeſtent illi futurarum, vel occultarum rerum cognitionem, quas humana vi, & arte, ſecluſaque Dei reuelatione nequit certò ſcire & ſic Diuinitatis honorem aliquando tribuit Dæmonibus iuxtà *cap. Epiſcopi* 26. *qu.* 5. *Subuerſi ſunt, qui, relicto Deo Creatore*

*ſuo*,

*suo*, *Diaboli Suffragia quærunt*. Isti siquidem, & expresse inuocant Dęmonia, & Pactum expressum ineunt cum ipsis Infensissimis humanis Generis, & ipsius Dei Inimicis, ad aliquid agendum, vel sciendum, quod superat humanam vim, sed aliquando decipiuntur, aliquando ambiguis Responsis deluduntur. *Tacitum* consistit in hoc, quòd quis sine expressa Inuocatione Dęmonum se talibus implicat, in quibus Dęmones se immiscent, & aliquas facit actiones in quibus est pactum occultum cum ipsis Dęmonijs, licet hoc sit pręter intentionem Implicantis, vt quando vtitur Signis, Verbis, Rebus, Causis, & Medijs vanis, & inutilibus ad assequendum talem effectum, ad quem producendum Media illa sunt omnimodè improportionata tùm ex Virtute sua naturali, tùm ex Diuina, & Ecclesiastica dispositione, ergo quando producitur talis effectus, cùm cognoscantur illa Media tamquàm improportionata ad productionem eius, iam colligitur, quòd non nisi à Dęmone dicatur produci, quia scilicet tacitè inuocatus, & pacto tacito Demon obligatus fuit ad illum producendum, sic cùm quis, vt edoceatur Euentum futurum, Thesaurum occultum, Furem, aut Rem deperditam, tacitè inuocat Dęmonem, & dicit quemdam Versiculum Psalmi, ad cuius prolationem debeat moueri Anulus, vel volui Cribrum, quam enim Virtutem habent hęc Verba Psalmi, & talia Instrumenta, vt producatur talis effectus? profectò nullam habent, verùm sunt media omnimodè improportionata ad productionem illius, & de consequenti erit Opus Diaboli tacitè inuocati, Pactoque Tacito obligati.

6. Neque hìc excusatur, qui talibus Medijs vanis, & inutilibus vtitur dicendo, se non intendere auxilium Dæmonis, aut protestando, se nolle Pactum inire cum ipso in Vsu prædictorum, sed velle dumtaxat consequi effectum desideratum. Non, inquam, excusatur, eò quòd protestatio contraria facto non excusat, & factum in præsenti est contrarium protestationi, cùm Operans velit implicitè auxilium Dęmonis, & tacitè consentiat Pacto eius, quemadmodum dicitur protestari contra factum, qui protestatur

testatur, se nolle occidere Petrum, & interim propinat Petro Venenum, vel ipsum configit in Corde, ex Matthęuccio lib. 1. cap. 4. n. 11.

7. Nota tamen, quòd excusetur à Superstitione, qui vtitur talibus medijs vanis, & inutilibus, non ad experiendum effectum, sed ad ostendendam Vanitatem, & ad pactum Diabolicum conuincendum, sicuti refertur *de Eminentissimo Caietano*, qui videns nonnullos Filo suspendere super Vase Anulum, qui illius Latera determinatis ictibus pulsaret, prout contingebat prolatis certis quibusdam Verbis Psalmistæ, ipse Caietanus adhibuit eadem media, protestatus, quòd Verba illa Psalmi [ non vt instituta à Dæmone ad mouendum Anulum, sed ad Deum eorum Authorem dirigendo ] proferret, Anulus tunc non fuit motus: *Accepto namque Filo*, sunt Verba ipsius in summa Verb. Incantatio, *& Anulo, protestatus sum, quòd Versum illum Sacrum Deo Vero, cui à Psalmista dirigitur, dicebam, & non tamquam institutum ad mouendum Anulum, & sic dixi Versiculum illum, & Anulus non est motus, vt hinc cognoscant omnes, quòd tunc Diabolus mouet Anulum, quando Versus ille dicitur ei, vt ipse instituit*. Hæc Caietanus.

8. Crescit grauitas Superstitionis, si Homo Dæmone inuocato, & qualicumque pacto inito *abutatur Sacramentis, vel Sacramentalibus* contra Institutum Christi, & suæ Ecclesiæ, est enim contra naturam Sacramentorum, & Sacramentalium, quòd inseruiant ad finem Superstitionis, cùm Sacramenta ad finem sanctificandi Hominem, & Sacramentalia ad finem excitandi in Nobis pios Motus per Preces Ecclesiæ fuerint instituta, & qui vtitur ipsis ad patrandos effectus vanos, & superstitiosos, redditur valdè suspectus de Hæresi, quia nisi credidisset, Sacramenta, vel Sacramentalia habere Virtutem ponendi effectum vanum, & superstitiosum, illa non adhibuisset, si verò Errorem in Intellectu cum pertinacia habuerit, tunc in Casum Reseruatum in Bulla Cęnæ Domini incurrit. Maximum igitur Sacrilegium patraret, qui ad effectus vanos, & superstitiosos ponendos, inuocato Dęmone, & pacto inito cum

ipso, abuteretur Sacramentis, si v. g. quis baptizaret Magnętem, vel Imaginem, vel aliquid aliud, aut rebaptizaret Puerum, si Eucharistia, Hostia scilicet consecrata, vel pretiosissimo Christi Sanguine ad actum Superstitiosum abuteretur, vel abuteretur Sacramentalibus ad ponendos effectus vanos, & superstitiosos, ad quos non habent virtutem à se ipsis, nec à Deo, nec ab Ecclesia, si v. g. quis vteretur Oleo Sacro, Chrismate, Aqua Lustrali, Candelis benedictis, Vestibus sacris, Corporalibus, Reliquijs Sanctorum, Imaginibus Sacris, Agneis Cereis benedictis, Breuibus Collo appensis, Amuletis, Euangelijs, Verbis Sacræ Scripturę, & Psalmorum, Symbolo Apostolorum, pijs Orationibus, Precibus, Benedictionibus, signo Sanctæ Crucis, Inuocatione Sanctissimæ Trinitatis, Sanctissimi Nominis Iesu, vel Deiparæ Virginis Mariæ, Anulo Sponsali benedicto, ac omni alio, quod ratione Sanctitatis vel intrinsecę, vel extrinsecę aliquam Venerationem sibi vindicat à Fidelibus, & hoc est abuti Sacramentis, vel Sacramentalibus.

9. Sed in quo consistit Promissio, qua Homo, & Dęmon in Pacto expresso se inuicem obligant?

℞. Quòd in Pacto expresso, siue Pactum expressum cum Dęmone factum *sit Solemne*, si nempe Dæmon in forma visibili appareat multis stipatus Dæmonijs, coram quibus fit vtrimque Promissio cum obligatione adimplendi; siue pactum expressum *non sit Solemne*, si nempe fiat vel immediatè cum solo Dæmone Promissio, & Obligatio, vel fiat solùm mediatè, nempe per tertiam Personam, seu per Personam Maleficam tenentem locum Dæmonis, prout Homo volens inire Pactum, & promissionem facere, non audet ex terrore comparere coràm Dæmone, Homo promittit Dæmoni Animam suam, promittit se negare Deum, eiusque Sacramenta, præcipuè Eucharistiam, promittit, se Sanctis omnibus futurum esse Iniurium, & præcipuè Beatæ Mariæ Virgini, promittit, se auersaturum esse Signum Sanctæ Crucis, Resque omnes Cæremonijs, & Precibus Ecclesiæ consecratas, vt Aquam benedictam, promittit etiam, se Sacerdoti numquam integrè confessurum, præcipuè taciturum hoc Pactum. Dæmon

è contra

è contra promittit, se Votis eius per omnia satisfacturum ex Sprengier in Malleo Maleficarum part. 2. q. 2. cap. 2. & Alphonso de Castro lib. 1. de Punit. Hæret. cap. 14. 16.

10. Aduertendum est secundò, quòd *Superstitio est vana, & falsa Religio consistens vel in Cultu, qui est indebitus vero Deo, vel in Cultu, qui exhibetur Deo falsò*, nimirum Creaturæ loco Dei veri. Cultus qui est *indebitus vero Deo*, vel dicitur perniciosus, quando scilicet verus Deus malè honoratur per Sacrificia, & alios ritus Infidelium, per Imolationem Animalium, per Prædicationem falsorum Miraculorum, per Mixtionem obscænorum in Missa, aut in Horis Canonicis, per Circumcisionem, per Cæremonias, & Ritus Veteris Legis indicantes Christum venturum; vel dicitur Superfluus, quando scilicet Deus honoratur indiscreta Deuotione, v.g. mutando, addendo, relinquendo aliquid contra Rubricas, & Cæremonias ab Ecclesia institutas, aut ponendo Cultum, & Honorem in vanis Circumstantijs loci, temporis, numeri, coloris, vt si quis nollet audire Missam nisi in tali Altari, nisi à Sacerdote, qui vocetur Ioannes, nisi die Sabbati, nisi ante Ortum Solis, & non aliàs, nisi accendantur in Missa tres Candelæ, nisi istæ sint coloris viridis. Cultus, qui *exhibetur Deo falsò*, habetur, quando colitur Creatura, seu falsus Deus pro Deo Vero, & hæc sunt duo Superstitionum genera, quorum posteriùs quinque habet species, videlicet Idololatriam, Magiam, Diuinationem, Vanam Obseruantiam, & Maleficium, quas species explicabimus, ne vnam cum alia confundamus.

11. *Idololatria*, quæ est grauissimum peccatum, & cùm sit intrinsecè mala, nequit excusari propter euadenda Tormenta, aut propter Mortem ipsam euitandam, definitur: *Cultus soli Deo Vero debitus, quem Homo tribuit Idolo, seu Creaturæ*. Qui hoc facit, vel cum errore, vel sine errore in Intellectu facit, si cum errore in Intellectu, patrat grauissimum peccatum non solùm contra Religionem, sed etiam contra Fidem, est Hæreticus, & Excommunicatus in Bulla Cœnæ Domini, credens in Creatura esse Diuinitatem,

 in cuius

in cuius gratia mereatur Creatura talem Cultum; si sine Errore in Intellectu, patrat grauissimum peccatum solùm contrà Religionem, nec est Hæreticus, nec Excommunicatus in Bulla Cęnæ Domini, saltem in Foro interno, quandoquidem credens, nullam esse Diuinitatem in Creatura, huic nihilominus Cultum Diuinum defert ob aliquam peculiarem rationem, seu speratam vtilitatem.

12. At numquid adorans Diabolum apparentem in forma Crucifixi, putansue, esse Christum, peccat peccato grauissimo Idololatriæ?

℟. Quòd non, neque enim dari potest peccatum nisi voluntarium, nec tunc talis Cultus, & Adoratio refertur ab Diabolum ibi sub illa forma latentem, sed refertur ad Christum pro Hominum Redemptione affixum Cruci, & hic Cultus non solùm ex intentione Adorantis, sed etiam ex natura rei est actus licitus, & non est Idololatria formalis, sed solùm materialis, cùm Diabolus non adoretur formaliter, nisi tamen taliter Adorans habuisset Opinionem probabilem, quòd ille non esset verè Christus Dominus, sed Diabolus, quia tunc vel debebat probare, an verè esset Christus Dominus; vel saltem conditionatè illum adorare ex Alberghino cap. 18. sect. 1. num. 7.

13. *Magia*, quæ est secunda species Superstitionis, *est facultas quædam operandi Mira, & insolita, Ope Dæmonis, per Signa ab eo instituta*, & dicitur ly *Mira*, ideſt extraordinaria, habentia causam ignotam, non autem Miraculosa, solus quippe Deus potest vera Miracula facere, vnde si non excedant Virtutem Dæmonis, possunt ab eo fieri, sic permittente Deo, *ex Diuo Augustino lib.* 18. *De Ciuit. Dei cap.* 18.: *Certissimè enim tenendum est, solum Deum posse omnia facere, quæ voluerit, nec Dæmones aliquid operari secundùm naturæ suæ potentiam, nisi Deus permiserit; si verò excedant potentiam, & virtutem Dæmonum, tunc isti vel mentiuntur, vel decipiunt illudendo Sensus humanos*, sic Augustinus, ostendendo videlicet aliqua Opera in apparentia solùm stupenda, vt faciendo apparere Mortuos Viuos, Serpentes Amasiam, faciendo apparere Hominem Lupum,

& alia

& alia similia, & hæc Magia est illicita, superstitiosa, & dæmoniaca. Alia verò est Magia, quæ dicitur naturalis, & *est facultas quædam operandi Mira, & insolita, seclusa Ope Dęmonis, per causas naturales, habentes Virtutem sibi insitam à Natura, occultam tamen, sicuti faciunt Lusores Alearum, Iaculatorum per dexteritatem Manuum, Oris, & aliorum Membrorum, dum per suam dexteritatem apparere faciunt mirabilia*, vnde Magia Naturalis de se non est illicita, neque est prohibita in Iure, eò quòd in sola cognitione, & industria naturali fundatur, nec tamen est laudabilis, nec multùm addiscenda, eò quòd docet multas, variasque Curiositates, in quibus Diabolus se faciliter immiscet ad decipiendos Homines, vt pedetentim inducat ad Magiam Superstitiosam. Continet verò Magia Superstitiosa in se pactum tacitum, vel expressum cum Dæmone, & sępiùs est coniunctum cum Hæresi, vt si Magus cum errore in Intellectu, & pertinaciter credat, quòd Dęmon possit patrare Miracula, aut possit Virtute propria, citrà permissionem Dei, aliquid facere, vt obseruat Toletus lib. 4. cap. 14. num. 11., & tunc Magus est Hæreticus, atque Excommunicatus, secùs dicendum est, si Magus talem errorem in Intellectu cum pertinacia non habeat, cùm tunc Magus saltem in Foro interno non incurrat in Excommunicationem Bullæ Cænæ Domini, grauissimè tamen peccet, ac in Foro Externo præsumatur Excommunicatus.

14. Quomodò cognosci potest, quòd aliquis mirus, & insolitus effectus sit à Dæmone, seu pertineat ad Magiam Superstitiosam?

℞. Quòd tribus modis cognosci possit, & *primò*, si adhibeantur *tamquam necessarij* certi quidam Ritus, aut Circumstantiæ de se inutiles ad talem effectum, sicuti quòd debeat fieri in tali hora, respiciendo ad Solem, vtendo certo numero Crucium, vel Orationum, certa Corporis positura, Verbis, aut Characteribus ignotis, & alijs similibus, ex quibus clarè deducitur, apponi à Diabolo vt signum Pacti initi; *secundò* ex Condicione operationis, vt si decipiatur Visus adstantium, si transformetur Homo in Lupum,

Lupum, si Operatio ad rem maximè distantem se extendat, si breuissimo tempore multa fiant Milliaria, si v. g. Foroliuij pungatur Imago Cerea Titij existentis in Indijs, & in Indijs afficiatur acutissimis Doloribus, hæc enim omnia non nisi à Dæmone fieri constat; *tertiò* ex Condicione, siue magnitudine effectus sperati in se, vt si Statua loquatur, si quid Inanime moueatur, si rapido Fluuio sistatur Cursus, & alia huiusmodi Opera magna fiant, quæ omnem Virtutem, & industriam humanam excedunt, & tunc signum est, quòd tales effectus Miri, & insoliti non sint ab aliquo alio Agente naturali, sed à solo Dæmone, consequenter pertineant ad Magiam superstitiosam. Huiusmodi autem effectus complures sunt, possunt tamen reduci ad tria genera, & *primò*, si fiant circà Elementa, *secundò*, si fiant circà alia Corpora præsertim Hominum, aut Animalium, *tertiò*, si fiant circà Animas, vel Spiritus, & de his omnibus agit Trullench in Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 11. num. 8.

15. Quid si producatur aliquis effectus Mirus & insolitus, de quo dubium est, an à Dæmone, vel à Virtute occulta Agentium naturalium proueniat?

℞. Quòd iudicandum sit cum probabiliori Sententia, talem effectum non esse Superstitiosum, sed potiùs prouenire à Causa naturali, cùm infinitæ sint Virtutes Agentium naturalium, quæ nos prorsùs latent, proinde in dubio melior est Condicio Naturæ, quæ ex sepè contingentibus præsumenda est potens, & multùm mirabilis in suis operationibus; neque potest placere illa Aliquorum Regula volentium, quòd quotiescumque effectus nascitur ab aliqua causa, quę non cognoscatur habere vires ad eum producendum, tunc iudicandum sit potiùs, quòd ille effectus sit Superstitiosus; non inquam placere potest talis Regula, quoniam multa sunt in naturalibus, quorum Vim non cognoscimus, nec tamen Superstitiosa dicimus, sic nobis ignota est Vis Magnætis ad trahendum Ferrum, Nos latet, quomodò Acus Nautica Magnæte attracta ad Stellam Polarem se se conuertat, & tamen à Virtute naturali, Nobis incognita, hæc fiunt.

fiunt. Quòd si constaret, effectum aliquem excedere Vires causæ Naturalis, & omnimodam improportionem esse inter causam, & talem effectum, tunc vtique Superstitionis damnandus foret, nisi fortè Circumstantiæ, putà maxima Sanctitas Operantis, vel alia vrgentissima iudicia suaderent, talem effectum à Deo, vel à bono Angelo prouenire, ex Sanchez in Summ. lib 2. cap. 40. num. 44.

16. At quomodò dicitur, in Magia Superstitiosa Dęmonem operari per Signa à se instituta?

℞. Quòd Dæmon in Magia Superstitiosa, vt Mira, & Insolita operetur, vtatur Signis Moralibus, quibus ex pacto allicitur Dæmon, vt faciat, quę Magus petit, & sic effectus Magię Superstitiosę non habetur ab Homine, nec à Signis, sed ab ipso Dęmone, in Magia autem naturali contrarium euenit, in qua nec auxilium Dęmonis, nec pactum intercedunt, neque Operans vtitur Signis, sed Causis naturalibus ad ponendos effectus Miros, & insolitos iuxtà *Augustinum lib. 8. de Ciuit. Dei cap.* 19. Similiter per Signa distinguitur Magia Superstitiosa *ab Incantatione Dæmoniaca*, hæc enim est *facultas quædam operandi mira, & insolita, Ope Dæmonis, per sola Verba.*

17. Quot verò Modis Dæmon operetur in Magia Superstitiosa?

℞. Quòd quatuor modis in Magicis suis actibus se gærat Dæmon, & *primò*, si Sensibus obijciat Corpora vera, quę aliunde asportauit; *secundò*, si repręsentet Phantasticas tantùm Corporis similitudines; *tertiò*, si Sensibus externis illudat, & tunc Homo credat videre, quod non videt, cùm remaneat deceptus; *quartò*, si illudat Sensibus internis, & alteret Imaginatiuam, ita Salelles Reg. 119. num. 170.

18. *Incantatio* Superstitiosa, sicut supra diximus, distinguitur à Magia Diabolica, & definitur: *Facultas quædam operandi Mira, & insolita, Ope Dæmonis inuocata, & pacto, quoduis sit, inito cum eo, per Verba solùm, siue prophana sint, siue Sacra, quibus Verbis Sacris superstitiosa quædam immiscentur ex D. Thoma 2. 2. q. 97. art. 4. & iuxta Augustinum lib. 2. de Natura Dæmonum* Incantatores dicuntur,

cuntur, qui Verbis solùm peragunt Artem, & hoc Verbum *Incanto* iuxta Calepinum significat solis Verbis, aut etiam Rebus adiunctis aliquid supra Naturam moliri.

19. Quot verò modis cognosci potest, quòd pro Incantatione immisceatur Verbis Sacris quid Superstitiosum?

℟. Quòd quidem pluribus modis possit cognosci, & *primò*, si adhibeantur Dictiones, vel Orationes nihil significantes; *secundò*, si Dictiones significent quidem, sed nihil ad propositum; *tertiò*, si addantur certæ figuræ, Circuli, Characteres, Imagines, Sigilla, Ligaturæ, Vnctiones; *quartò*, si addantur Nomina ignota præsertim Angelorum, sicuti notauit *Chrysostomus super Matthæum Homilia* 43. Multò magis, si sint Nomina nota Malorum Angelorum, puta Deus Acheron, quod est Nomen Beelzebub Principis Dæmoniorum *ex* 4. *Regum cap.* 1., quod Nomen ab Incantatoribus, teste Paulo Grillando De Sortilegijs qu. 3. n. 23., & qu. 11. num. 24. solet frequenter misceri Sacris Nominibus; *quintò*, si adhibeantur quædam Preces, quibus admixtæ sunt falsitates, vt quòd Christus habuerit Vxorem, quòd habuerit Spasmum, vel Febres, quia illarum effectus non possunt expectari à Deo, cùm Deus non sit Testis falsitatis ex D. Thoma supracit.; *sextò*, si adiungantur Verba Apocripha, vel incerta, vnde inquit *Caietanus in Summula: Mirum est, quòd huiusmodi incerta habeant à Deo Virtutem, & certa non; deinde mirum est, quòd Deus Sanctis Viris, quibus credit secreta Sapientiæ suæ, & virtutem Potentiæ suæ in Miraculis, & Sacramentis, quibus etiam promisit notitiam omnis veritatis, secretas has Sacrorum Virtutes negauerit, & Vetulis, ac Personis qualibuscumque hæc communicauerit*; *septimò*, si apponantur quædam Circumstantiæ nihil ad rem pertinentes, vt si dicatur, oportere talia Verba scripta esse manu sinistra, vel in Charta Caprina, vel scripta esse per Virginem, vel tali Die, & Hora, hæc enim nihil faciunt ad Virtutem Verborum, deinde nihil ad Dei Cultum, vel rectam rationem spectant; *octauò*, si ex Verbis Sacris recitatis, puta Versiculo alicuius Psalmi promittatur aliquis effectus Vanus, vt quòd Anulus

Anulus in Filo mouebitur, & saltabit, quia manifestum est, quòd Deus non operatur ad huiusmodi vana, sed potiùs Dæmon, qui gaudet honorari Verbis, & Rebus Sacris; *nonò*, si Verbis Sacris clara Voce recitandis addantur quædam alia ad Aurem tacitè suggerenda, puta Hominis ægroti, vel Bruti, quòd in Incantationibus frequentissimum est, & sępiùs practicatur.

20. Sed numquid licitum est hodie Sacerdotibus per Verba Sacra benedicere Homines Infirmos, Equos, Boues, & alia Bruta similia ad recuperandam Sanitatem?

℞. Vtique licitum esse, & post tempora Apostolorum Fideles, præsertim Pij, & Docti Sacerdotes adhibuerunt Orationes, & Exorcismos ad Sanitatem Hominum, & Animalium quorumcumque sine Superstitione, progressu temporis postea Sacerdotes, procurante Dæmone, multa vana, & illicita adiecerunt Orationibus, & Exorcismis, & vtinam hodie non sint huiusmodi Sacerdotes Indocti, & Superstitiosi, qui Verbis Superstitiosis, & Incantationibus vtuntur ad sanitatem Hominum, & Animalium, præsertim cùm subinde valdè difficile sit Superstitiosa Verba à non Superstitiosis, & Incantationes ab Orationibus, & Exorcismis legitimis distinguere. Pęnas contra hos Incantatores statuerunt Sacri Canones, nimirùm quòd debeant excommunicari 29. *qu.* 5. *Can. Augurijs*, *Can. Si quis Clericus*, & *Can. Episcopi*, & si sint Ecclesiastici, debeant deponi ab Officio, & Beneficio, & detrudi in Monasterium ad agendam perpetuam Pęnitentiam 26. *qu.* 5. *Can. Si quis Episcopus*, & hoc intelligas, si admoniri nolint desistere *Can. quicumque*, cùm Sacerdotes Idiotæ, qui ex ignorantia quòd sit ibi tacita Dæmonis Inuocatio, & bona Fide arbitrantes, se dare operam Rei licitæ, excusentur, priùsquàm Moniti fuerint, non tamen excusantur, qui ignoranter fecerunt, qui tamen si sciuissent, adhuc fecissent, quia in talibus Ignorantia non est causa peccati ex Caietano Verb. Incantatio.

21. *Diuinatio*, quæ est tertia species Superstitionis, quoad Nomen est quasi Diuinitatis Imitatio, cùm proprium solius

Dei ſit ſcire Res futuras, & internas affectiones, atque occultas Hominum actiones: *Annunciate, quæ ventura ſunt, & dicemus, quia Dij eſtis Vos*, *Iſaiæ* 41. *Tu ſolus noſti Corda Hominum*, 2. *Paralipom.* 6., quoad rem definitur: *Rerum occultarum cognitio, aut futurarum prænunciatio, quæ ſciri nequeunt humana vi, & arte, ſed ſolùm inuocato Dæmone, & pacto, ſiue expreſſo, ſiue tacito inito cum ipſo innoteſcunt iuxta D. Thomam* 2. 2. *qu.* 95. *art.* 1. Diuinationis verò Species, ſeu Modi, quibus Dæmon ſolet reſpondere, & edocere, ſunt plures iuxtà diuerſitatem rerum, quæ ad diuinandum aſſumuntur, vnde Diuinationis Modi, in quibus habetur expreſſa Inuocatio Dæmonis ad cognoſcenda ſecreta occulta, aut futura, communiter aſſignantur nouem, nimirùm per fictas, & apparentes Imagines, & dicitur *Præſtigium*; per Somnia cauſata à Dæmone, & dicitur *Diuinatio per Somnia*; per Apparitionem, & Locutionem Mortuorum, & eſt *Necromantia*; per Homines arreptitios, ſeu abſtractos à Senſibus, & Viuos, ac dicitur *Pythonia*; per figuras terreas, & eſt *Geomantia*; per figuras aqueas, & dicitur *Idromantia*; per figuras aereas, & nominatur *Aeromantia*; per Ignem, & eſt *Piromantia*; per Viſcera Animalium, & vocatur *Aruſpicium*. Modi verò Diuinationis principales, per quos Tacita habetur Dæmonis Inuocatio, enumerantur ſex, nimirùm per Inſpectionem Aſtrorum, & dicitur *Aſtrologia*, de qua agemus infra. Per Garritum Auium, per Voces Animalium, per Sternutationes Hominum, tamquam per cauſas futurorum Euentuum, & vocatur *Augurium*; per Volatum Auium, per Derelictionem Nidi, per reſpuitionem Cibi, tamquam per manifeſtationem rei certò futuræ, & appellatur *Auſpicium*; per verba ab aliquo Homine Caſu, & cum alia intentione prolata, tamquam prænunciatiua futurorum, & nominatur *Omen*; per Inſpectionem in lineamentis Manuum, tamquam per prædictionem Rei certò eventuræ, & dicitur *Chyromantia*; per Iactionem Sortium, quæ dicuntur Diuinatoriæ Rerum occultarum, aut futurarum, & vocatur propriè *Sortilegium*, de quo inferius, & nota quòd in Diuinatione,

vbi

vbi tacita solùm habetur Dæmonis Inuocatio, interdum ignorantia excuset à Mortali, secùs in Diuinatione, vbi expressa Dæmonis Inuocatio habetur, ob familiaritatem cum Hoste Salutis nostræ.

22. Sed numquid omnes præfati Modi Diuinationis diuersificantur Specie inter se?

℞. Quòd vtique in genere naturæ sint inter se specie diuersi, sed non in genere Moris, vnde quouis modo fiat Diuinatio, eadem semper habetur deformitas, & eadem oppositio cum recta ratione, quemadmodum dicimus, non differre Specie Furta Auri, Argenti, Vestis, Equi, & aliarum Rerum pretio æstimabilium. Addit Victoria De Confess. num. 176. in Fine, quòd Diuinatio cum pacto Expresso, & Diuinatio cum pacto tacito nec differunt specie in genere Moris, sed differunt solùm sicuti completum, & incompletum intra eamdem speciem, eo modo quo Professio expressa differt à tacita, sic *Taciti, & Expressi par est ratio L. De quibus in fine ff. De Legibus, & L. Cum quibus ff. Si certum petatur*; non ergo necesse erit explicare in Confessione, an Diuinatio facta fuerit cum Pacto expresso, vel tacito, in Sententia præsertim Volente, quòd non Circumstantiæ aggrauantes, sed solùm mutantes speciem peccatorum sint necessariò exprimendæ. Hoc dictum sit, nisi fortè cum expressa Dæmonis Inuocatione fuerit coniuncta Hæresis, Idololatria, vel alia Circumstantia necessariò exprimenda, & quia hoc vt plurimum accidere solet, videtur, tunc explicandum esse in Confessione, quòd Diuinatio facta fuerit cum Pacto expresso iuxtà Leandrum tract. 9. De Vitijs Religioni oppositis disp. 2. qu. 13., & Antonium à Spiritu Sancto tract. 4. in Decal. disp. 2. num. 64., & plures alios Doctores.

23. Qualis autem in primo modo inuocandi Dæmonem tacitè sit Astrologia, quę sub Diuinatione Superstitiosa referuatur?

℞. Quòd *Astrologia est Diuinatio, quæ fit per Situm, & Motum Astrorum*, & hæc alia est Naturalis, alia est Iudiciaria. *Naturalis* est illa quæ ex Situ, Motu, & Dispo-

ſitione Aſtrorum prædicit effectus naturales, qui à Cauſis neceſſarijs proueniunt, vt ſunt Ecclipſes, Pluuiæ, Grandines, Venti, Siccitates, & huiuſmodi, quæ abſque Dæmonis auxilio, ſed ſuapte natura fiunt à Virtute cęleſti, vel quando ex puncto Natiuitatis alicuius Pueri, ſi nihil affirmet neceſſariò euenturum, nec libero arbitrio vllam imponat neceſſitatem, ſolùm coniectat eius inclinationes, & temperamenta, nam Aſtra directè agunt in Corpora humana per *D. Thomam contrà Gentes cap.* 54., & 85. *Iudiciaria* eſt illa, quæ ex Situ, Motu, & Diſpoſitione Aſtrorum prædicit Euentus, qui à Cauſis liberis procedunt, tamquam certò futuros, vt ſi quis per Signa cęleſtia velit certò ſcire, quo tempore ſit moriturus, quam Dignitatem ſit habiturus, quam Vxorem ſit ducturus, & alia quæ ſunt in Manu Dei, Signa ſiquidem illa cęleſtia ſunt Signa Rerum, ſed non Cauſæ, & licet inclinent naturam humanam, non tamen coarctant, nec neceſſitant Hominis libertatem, nam nec Complexio Hominis, nec Cęlum, nec vlla Creatura cogit Voluntatem, & multis Cauſis Contingentia impediri poſſunt ex *D. Thoma* 2. 2. *qu.* 27. *art.* 6. Vel quando Res occultas præſentes, aut præteritas ex Aſtris inueſtigat, vt Furtum occultum, Homicidium clàm commiſſum, Theſaurum, Virginitatem, & huiuſmodi Hominibus incognita, nam hæc per Aſtra certò ſciri non poſſunt, ergo per auxilium Dæmonis ſciuntur. Aſtrologia Naturalis, non eſt Mala, non prohibita, non Superſtitioſa, non Reſeruata, ſed bona, & permiſſa, & præſertim quia vſus ipſius multùm conducit Agriculturæ, Medicinæ, & Nauigationi, dum præuidentur Ecclypſes, Pluuiæ, Grandines, Venti, Siccitates, quæ non ab Auxilio Dæmonis, ſed à Cęlorum Virtute naturaliter cauſantur *ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 95. *art.* 5. Aſtrologia Iudiciaria eſt Mala, prohibita Diuino, Canonico, ac Ciuili Iure, eſt Superſtitioſa, & Chriſtianæ Reipublicæ eſt ſummoperè noxia, ideò eſt euitanda.

24. Hæc Aſtrologia Iudiciaria alia dicitur *Electionis*, quæ ſcilicet ex Aſtris prædicit pericula cuique impendentia, quidue debeat quiſque facere, vt ea declinet; alia dicitur

*Reno-*

*Reuolutionis*, quæ ſcilicet ex Aſtris præmonſtrat Rerum viciſſitudines, vt Bella, Pecem, Mortem Principum, Aeris ſalubritatem, Annonas, & vtraque per ſe loquendo, quàmuis non mortiferæ Superſtitionis, damnatur tamen ab omnibus Doctoribus maximę temeritatis; alia dicitur *Natiuitatis*, quæ ſcilicet ex Situ, & Figura Cęli tempore Natiuitatis efformata, & in duodecim Domos diſtributa prædicit Res futuras à libero arbitrio dependentes, vt Hominum Mores, Euentus Vitę, Opes, Amicos, Dignitates, Conditiones Nuptiarum, Carceres, Tempus, & genus Mortis; item ex Aſtris Res præſentes, aut pręteritas occultas inueſtigat, & hæc eſt illa Aſtrologia, quæ ſub Diuinatione Superſtitioſa reſeruatur in primo Caſu Clementino, & Motu proprio damnatur *à Sixto V.*, *& ab Vrbano VIII.*

25. Opere pretium eſt igitur addere modò Mentem tum *Sixti V.*, *tum Vrbani VIII. in ſuis Conſtitutionibus* contrà Aſtrologos Iudiciarios, qui ex Aſtris faciunt Iudicia, vel Natiuitates Hominum circa futuros Effectus contingentes, à voluntate humana dependentes: *Sixtus ergo V. in Bulla edita die 9. Ianuarij 1586. Incipient. Cęli, & Terræ Creator* damnauit omnes Exercentes Aſtrologiam Iudiciariam, & quælibet Diuinationum genera circa Natiuitates Hominum, & audentes (etiamſi proteſtentur, ſe non certò affirmare) dicere, aliquid euenturum ex Rebus ab humana voluntate pendentibus. Et hoc delictum ad Inquiſitores Sacræ Fidei ſpectat cognoſcendum, & puniendum. Excipit tamen Pontifex Vſum Aſtrologiæ circà Agriculturam, Rem Medicam, & Nauigationem. Bullam Sixtinam innouauit, & confirmauit *Vrbanus VIII. per aliam Bullam editam die 10. Aprilis 1631. Incipient. Inſcrutabilis Iudiciorum Dei*, in qua decernit, incurrere Excommunicationem latæ Sententiæ, ac pęnas lęſę Maieſtatis, ac vltimi Supplicij, & Priuationis Beneficiorum, Dignitatum, ac Officiorum, necnon Inhabilitatis perpetuæ eos, qui conſuluerint Aſtrologos, aut Vaticinatores ſuper Statu Reipublicæ Chriſtianæ, ſeu Sedis Apoſtolicæ, aut de Vita, & Morte Romani Pontificis,

eius

eius Consanguineorum, vsque ad tertium Gradum inclusiuè; & eos, qui eas prędictiones adhuc sibi oblatas receperint, aut scienter retinuerint, seu alicui ostenderint, vel eis quomodolibet vsi fuerint. Nec possunt Superiores Regulares circa suos Subditos de hoc Delicto cognoscere, sicut nec de vllo alio pertinente ad Sacrum Inquisitionis Tribunal. In Indice etiam Librorum prohibitorum edito in Concilio Tridentino, & Auctoritate *Clementis VIII.* reformato, *Regula 9. sic praecipitur: Episcopi diligenter prouideant, ne Astrologiæ Iudiciariæ Libri, Tractatus, Indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, Successibus, fortuitisque Casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent.*

26. Præfatus Bullas vnà cum alijs ad Sanctum Officium pertinentibus *Sacra Congregatio Inquisitionis ex Decreto Vrbani VIII. die 24. Aprilis 1633.* præcipit Superioribus Religionum sub pęna priuationis Officij, Vocisque Actiuę, & Passiuæ ipso facto incurrenda, alijsque pęnis arbitrio *Suæ Sanctitatis* infligendis, vt curent legi semel saltem in Anno in Publica Mensa Feria sexta *post Octauam Assumptionis B. M. Virginis*, eadem verò *Sacra Congregatio annuente Vrbano* extendit postea tempus legendi ipsasmet Bullas per totum residuum Mensis Augusti, & hanc Gratiam omnibus Regularibus suffragari voluit.

27. Verùm, quid si ob ignorantiam inculpabilem, ob obliuionem, aut inaduertentiam, siue inconsiderantiam Superioris in aliquo Conuentu non legantur suo tempore prędictæ *Bullæ Sanctæ Officij*?

℞. Excusari quidem à pęnis supra allatis huiusmodi Superiorem, etiam in Foro externo, nisi tamen constaret, ipsum fuisse admonitum à suis Subditis, vt curaret legi, & Superior ipse legi noluisset, quia tunc diceretur Temerarius, spernens eam Monitionem verbo, & facto, ac denunciandus foret Sanctissimo Tribunali. Tenentur ergo ex Iustitia sub graui culpa Subditi suum Superiorem Localem obliuiosum monere, vt curet legi easdem Bull. ex eò quòd Prælatus, & Subdi-

& Subditi, inquit Peyrinus, debent eodem Iure censeri, Prælatus autem ratione Iustitiæ tenetur adiuuare Subditos, quantùm potest, sic & Subditi Prælatum, vnde si Subditi scienter omittant monere Prælatum suum obliuiosum, vt faciat legi præfatas Bullas suo tempore, mortaliter peccant propter graue damnum, quòd ex malitiosa sua omissione inferunt suo Prælato, ob cuius inconsiderationem, & incogitantiam non fuerunt lectæ. Inquisitores autem Sancti Officij, vt vidi in hac Materia practicatum fuisse contrà quemdam Superiorem Localem, cautè procedunt, vt veritatem studeant expiscari *in Defensionem Sanctæ Fidei*.

28. Sed quomodò fit, quòd sępe Astrologi prædicunt Euentus futuros, & certò diuinant Matrimonia, Filios, Dignitates, Mortem, & huiusmodi?

℟. Quòd Astrologi sic prædicentes, & interdùm certò diuinantes damnentur tamquam verè Superstitiosi, & paciscentes cum Dæmone *ex Cap. illud 26. qu. 2.*, & exemplum adducit Carena part. 2. De Sortilegis Tit. 12. n. 117. de quodam Astrologo, qui Mortem prædixit Henrici IV., in Hispana Inquisitione punito, vnde tales Astrologi prætendunt inducere Homines ad credendum, quòd in Astris sit Virtus ad hosce effectus causandos, & ad cogendum liberum arbitrium, etiamsi nulla sit inter Astra, & tales euentus connexio, vt doctissimè scribit *Sanctus Thomas 2. 2. q. 95. art. 5. Corpora cęlestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrij; possunt tamen ad hoc dispositiuè inclinare, inquantùm disponunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitiuas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus. Quia tamen vires sensitiuæ obediunt rationi, nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur, sed contrà inclinationem Cęlestium Corporum homo potest per rationem operari, nam Sapiens dominabitur Astris*.

29. Quapropter Astrologus Iudiciarius in Confessione Sacramentali priùsquàm absoluatur, est inquirendus, an contrà Fidem peccauerit credens, quòd Homo, qui natus est sub tali Astro, cogatur ad benè operandum, & natus

sub alio

ſub alio Aſtro, ad malè operandum, & hoc modo eſt Hæreticus formaliter, & remittendus ad Reuerendiſſimos Inquiſitores pro Abſolutione, quia negat liberum Arbitrium; ſi autem non habuerit Errorem in Intellectu, debet Confeſſarius ante Abſolutionem ipſi Aſtrologo ſuadere, vt Libros de Aſtrologia deferat Inquiſitoribus, & ſe ſponte præſentet ipſis, quia ſi nullius ſit præuentus Indicijs, gaudebit beneficio ſponte Comparentium, ſi autem fuerit iam præuentus, gaudebit ſaltem beneficio Comparentium non Citatorum, nec Vocatorum, vt ita alleuietur pęna.

30. Quid ſi Aſtrologus ſub dubio ſolùm, & probabiliter, non autem certò euenturos prædicat effectus à libero Hominum arbitrio pendentes?

℞. Damnari mortiferæ Superſtitionis, & puniendum eſſe pęnis Bullæ Sixtinæ, cum prohibeatur per illa Verba *Sixti V. Etiamſi id non certò affirmare aſſerant, & proteſtentur*, & hoc fortè, vt notauit Diana, *ad tegendas fraudes, & euitandas pęnas ſtatutas*. Tum quia maiori, quàm par eſt firmitate euentus, qui à libera Hominum voluntate dependent, Aſtrologus vult prædicere, quùm dicit, ſe ſub ſolo dubio prædicturum, tunc enim dicitur tacitè vſus fuiſſe Dæmonis diſciplina ex Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 33., qua propter ſiue certò, ſiue ſub dubio futura pendentia à libero arbitrio prænunciet, ſi cùm pertinacia Sententiam, quam à Summis Pontificibus non ignorat damnatam fuiſſe, defendat, erit denunciandus Sacro Inquiſitionis Tribunali, neque eſt neceſſaria fraterna Correctio, vt emendetur, ſicuti patet *ex Conſtitutione Alexandri VII. Incipient. Licet aliàs, vbi præcipitur, quòd nulla præmiſſa Correctione denunciandi ſint, etiam de Hæreſi leuiter ſuſpecti*, quòd verò Aſtrologi Iudiciarij ſint ſuſpecti de Hereſi, conſtat ex pacto implicito, quod inierunt cum Dæmone.

31. An autem ex Aſtrorum influxu, & ſimul ex Hominis indole, ingenio, & moribus poſſit quis Euentus futuros eius coniecturare?

℞. Poſſe ſine omni culpa, nam Aſtra ſimul, & Indoles Hominis poſſunt habere vim inclinandi voluntatem huma-

nam ad

nam ad certum Statum, quòd aliquis v. g. futurus sit Miles, Religiosus, Episcopus, non tamen possunt habere vim cogendi, & necessitatem imponendi; tum quia sicuti potest Pater facilè coniecturare ex Moribus Filij, quid de ipsomet Filio euenturum sit, cur ex Astrorum influxu, & simul ex Hominis Indole non poterit quis de illo coniecturare talem, & talem Euentum futurum? tum quia huiusmodi coniecturas non prohibet Bulla Sixtina, sed prohibet certò, immò & sub dubio, ac probabiliter prædicere futuros Euentus, futuraque contingentia à libera Hominis voluntate dependentia, hæc enim cognitio viribus Naturę haberi non potest iuxta *D. Thomam cit. art.* 5., ideò referenda est ad disciplinam Malignorum Spirituum, & ad occultam eorum Societatem iuxta Sylvestrum Verb. Superstitio num. *6.*, & quòd dicitur de futuris contingentibus, Successibus, fortuitisque Casibus, aut Actionibus ex humana voluntate dependentibus, dicitur quoque de præteritis, & præsentibus occultis, cùm neque hæc ex Astris certò cognosci possint absque pacto tacito cũ Dæmone, quod est Superstitiosum ex Megal. Verb. Astrologia num. *9.*, vnde prohibetur expressè *in Cap. Ex tuarum de Sortileg.* Hoc multò magis dicitur de Mysterijs Gratiæ, & de ijs, quæ dependent à sola liberrima Dei voluntate, vt sunt Prædestinatio, & Damnatio.

32. Numquid ille, cui ex Astrorum influxu simul & ex eius grata Indole, Nobilitate, Ingenio, & bonis Moribus prædicitur ab Astrologo, quòd v. g. futurus sit Episcopus, poterit sine peccato regi in suis actionibus à tali cognitione, vt si ideò pergat Romam cum Spe expectandi Episcopatum?

℞. Cum Tamburino in Decal. lib. 2. cap. 6. num. 20., quòd hic non esset condemnandus saltem de Mortali adeundo Romam, si illùc adeat sub aliqua Spe expectandi Episcopatum, secùs si adeat cum credulitate infallibili, quòd Episcopatum obtinebit; similiter si Astrologus alteri prædixisset, hoc Anno ipsum periclitaturum in aquis, hic potest sine culpa Mortali abstinere hoc Anno à Nauigatione

ob timorem submersionis conceptum, & non quia infallibile credat Infortunium ab Astrologo coniecturaliter prædictum, & ex hoc patet, quomodò possit quis regi in suis actionibus à tali cognitione.

33. At numquid ex Astris, quæ vim magnam habent influendi in Corpora, possit certò prædici nascentis Pueri inclinatio, v. g. ad Iram, ad Mansuetudinem, ad Studia?

℟. Posse solùm coniecturari, eò quòd Astra influunt in Corpora sublunaria, sed certò, aut cum nimia probabilitate prædici non posse sine maxima temeritate, quod suadetur ratione, *primò*, quia Pueri inclinationes magis dependent ex temperamento Parentum, & Alimentis eorum, quàm ex Astris; *secundò*, quia impossibile est in Astris exactè notare eorum aspectus in puncto Natiuitatis; *tertiò*, quia ad hæc prædicenda magis attendendum est punctum Animationis, vel Conceptionis, (& hoc est penè impossibile), quàm punctum Natiuitatis, cùm enim vis Astrorum profunda terræ penetret, etiam maximè penetrabit Vterum Maternum, & suos imprimet effectus, quando Fœtus est tenerrimus, sed hoc punctum est scitu impossibile; *quartò*, quia experientia constat, quòd Filij Gemelli ex eodem Ventre simul editi diuersas sæpissimè habent inclinationes, temperamenta, mores, & euentus, & hoc demonstrant Scripturæ *in Iacob*, *&* *Esau*; hinc concludit Lessius de Iustitia lib. 2. cap. 43, dub. 6. n. 35., quòd sit mera amentia ex Astrorum aspectu tempore Natiuitatis velle prædicta certò iudicare.

34. *Sortilegium* propriè definitur: *Diuinatio facta per Iactum Sortium, vt earum Euentu considerato aliquid occultum innotescat*. Triplex est Sortilegium, videlicet Diuisorium, Consultorium, & Diuinatorium. Diuisorium est illud, quo ex euentu Sortium innotescit, quid vnicuique tribuendum sit, siue illud sit res possessa, siue honor, siue præmium, siue pœna, siue munus, & inseruit ad Lites componendas cum consensu Litigantium, ad eas dirimendas, etiam inter Hæredes, Legatarios, & alios, ad diuidendam rem aliquam inter plures, & ad distribuenda Officia

Sæcularia, & hoc Sortilegium Diuisorium est licitum *Prouerb.* 18. *Contradictiones comprimit Sors, & inter Potentes quoque diiudicat*, nec in Iure est prohibitum, at cauendum est, ne electio fiat contrà Iustitiam Distributiuam, sicuti contingeret, si Sortes mittantur inter Dignos, & indignos, quia posset esse maximum præiudicium Reipublicæ, & Boni Communis, dum Sortes caderent super Indignos, vnde debent mitti inter eos solùm, qui sunt tali Officio æqualiter digni *ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 95. *a.* 8., & in Sortibus tantùm Casus fortuitus est expectandus. Non tamen est licitum Sortilegium Diuisorium, seu mittere Sortes ad Dignitates, Officia, & Beneficia Ecclesiastica conferenda, cùm Electio Ecclesiastica per Sortes ab *Honorio III. scribente ad Capitulum Lucanum Cap. Ecclesia Vestra De Sortileg. sic prohibeatur: Sortis Vsum in Electionibus* (intelligas Ecclesiasticis) *perpetua prohibitione, damnantes, & Cap. Non Exemplo* 26. *q.* 1., cùm Electiones Ecclesiasticæ fieri debeant Inspiratione Spiritus Sancti, & non cum Iactu Sortium, aliàs non solùm illicitæ, sed etiam irritæ, & nullæ sunt *ex Cap. quia propter De Elect.*

35. Neque obstat Exemplum Sancti Matthiæ, qui ab Apostolis Sorte fuit electus ad Apostolatum, sicuti habetur *Act.* 1. *Cecidit Sors super Matthiam*. Non inquam, obstat, quia nomine *Sortis* veniunt suffragia Apostolorum, vt constat ex Textu Græco, vbi ita habetur: *Dederunt ei suffragia*, & sic per suffragia Omnium Apostolorum fuit electus S. Matthias ad Apostolatum, quam Electionem confirmauit Deus signo visibili de Cęlo misso, Caput D. Matthiæ attingente, vt proinde dixerit *D. Lucas: Cecidit Sors super Matthiam*, sicuti ex Lorino latè tradit Facundez lib. 1. cap. 40. num. 11. Interdum etiam Sortilegium Diuisorium potest esse illicitum, & Superstitiosum, quando scilicet Euentus Sortium non expectatur à solo Deo, sed earum directioni præest Diabolus, pacto expresso, vel tacito inito inter Diabolum, & Mittentem Sortes.

36. Sortilegium *Consultorium* est illud, *quo Diuina Voluntas exquiritur, vt sciatur aliquid in aliquo negocio in-*

*certo*, & hoc raró licitum eſt, quia Voluntas Diuina non Sortibus, ſed Eccleſiæ precibus, Sanctorum Doctrina, Piorumque conſilio eſt indaganda, maximè quia adeſt periculum, ne Dæmon Sortibus ſe immiſceat ad decipiendos Homines, & ſic poteſt eſſe illicitum, & Superſtitioſum, multò magis ſi interueniat Dæmonis Inuocatio, & Sortium Euentus non à Deo, ſed à Dæmone expectetur. Poteſt tamen aliquando hoc Sortilegium eſſe licitum, ſi neceſſitas, ac honeſtas id ſuadeat, aptiorque modus capiendi conſilium non appareat, & Sortes mittantur cum debita reuerentia, vt docet Leſſius lib. 2. cap. 43. dub. 9. n. 58.

Sortilegium *Diuinatorium eſt illud, quo inquiritur per quaſdam Superſtitiones Sortium, aut Figurarum cognitio futurorum contingentium, aut occultorum, & ſecretorum, Ope Dæmonis inuocata*, vnde hoc Sortilegium eſt illicitum, peccaminoſum, & ſuperſtitioſum, & Sortes, ac Figuræ illæ ſunt quid vanum, & inutile ad acquirendum huiuſmodi cognitionem, nullamque de ſe habent connexionem cum futuris, & occultis, neque iſta demonſtrare poſſunt, niſi ex alterius directione, non quidem Dei, qui hiſce Vanis, & Inutilibus non ſe immiſcet, nec vmquam promiſit, ſe huiuſmodi Sortes temperaturum, ergo ex directione Dæmonis tacitè inuocati futura, & occulta demonſtrabunt, & quidem pluribus modis vanis, adminiculo Sortis Superſtitioſæ, vt v. g. ſi ſic, vel aliter Chartæ, vel Taxilli cadant, proſper, vel malus effectus conſideretur; vel quùm diuerſa nomina mittuntur in Vrnam, vt cuius nomen priùs extractum ſit, Reus culpæ in tali delicto iudicetur; vel ſi Liber aperiatur, & læta primò legantur, ſit Omen bonum, ſecùs ſi legantur triſtia.

37. In his autem Sortibus diuinatorijs, doctè notat P. Suarez Tom. 1. De Relig. lib. 2. cap. 12. n. 29., quòd vel concurrit ſola notitia ſpeculatiua, v. g. quis fecerit Furtum, ibi ſiſtendo, & tunc eſt solùm Sortilegium Superſtitioſum, vel concurrit etiam notitia modo practico facta, vt ſcilicet puniatur Delinquens occultus, & tunc ſi fiat, vltra Sortilegium Superſtitioſum, in quod incurritur, com-

mittitur

mittitur etiam peccatum Iniustitiæ, cum obligatione restituendi Famam, & damnum iniustè illatum, prout infamatur Proximus, vel Innocens, si Sortes super ipsum cadant, vel infamatur Proximus Nocens occultus, cùm publicetur, vel puniatur Delicto non probato, & ex hinc multa damna oriuntur.

38. Aduertendum verò est secundùm Sententiam communissimam, per illud Verbum *Sortilegia*, positum in primo Casu Clementino, comprehendi non solùm omnem Vsum diuinandi per Sortes, qualescumque sint, siue Diuisoriæ, siue Consultoriæ, siue Diuinatoriæ, quarum directioni præest Diabolus inuocatus, sed etiam comprehendi omnem Vsum diuinandi per quodlibet Medium impertinens ad habendam cognitionem futurorum, aut occultorum Auxilio Dæmonis, nimirùm per Præstigium, per Somnia, per Astra, per Terram, Ignem, Aquam, & cætera, in quibus habetur expressa, vel tacita Diaboli Inuocatio, & de his supra loquuti sumus, adeò vt sub Reseruatione denotata per hoc verbum *Sortilegia* cadant omnes, qui Diuinationis Scientiam profitentur, aut quarumcumque Scripturarum inspectione futura promittunt, habito Pacto cum Diabolo, & in Iure appellantur *Sortilegi* C. 1. 16. *q.* 1., C. *Aliquanti*, C. *Sortes* 26. *q.* 5., C. *Episcopi* 12. 26. *q.* 5., & C. *Nec mirum* 14. 26. *q.* 5., ita penè omnes Doctores, qui tractant de hoc primo Casu, & Nos in præsenti negocio intendimus eos sequi, & quidem magis rationabiliter, quia plures hodie Diuinationes fiunt absque Sortibus expressis, quàm cum expressione Sortium, proinde necesse est tali Vitio obuiare, & tunc obuiamus, si dicamus, quòd sub illo Verbo *Sortilegia* intelligantur non solùm Diuinationes per Sortes, quibus præest Dæmon, sed etiam omnes Diuinationes factæ per quodlibet Medium impertinens ad habendam cognitionem futurorum, aut occultorum, inuocato Dæmone.

39. *Vana Obseruantia*, quæ est quarta Species Superstitionis, differt à Diuinatione, quòd Diuinatio Medijs improportionatis sistat tota in Rerum futurarum, aut occul-

tarum manifestatione, & Vana obseruantia medijs improportionatis tendat ad aliquem effectum externum obtinendum, seu euitandum, sic Diuinatio tollit Honorem Diuinum, affectando cognitionem Deo propriam, Vana autem Obseruantia tollit Honorem Diuinum, expectando à Creatura, quòd à solo Deo expectare debet, quare fit, vt Vana Obseruantia totam habeat Malitiam, quatenus pertinet ad Superstitionem, quam habet Diuinatio, & eodem modo, ac eadem ratione sit prohibita, & reseruata, sicuti est Diuinatio. Definitur sic: *Superstitio, in qua tacitè inuocatur Dæmon, cùm in ea assumantur quædam Media Vana, & inutilia, nec à Deo instituta, nec ex sua natura vim habentia ad talem, vel talem effectum obtinendum, aut euitandum*, sicuti quando quis medijs vanis, & inutilibus contenderet acquirere Bona temporalia, vt Scientiam, Beneuolentiam, Amicitiam, Sanitatem, Diuitias; aut quando intenderet Verbis alligare Dæmonem, eumque includere in Vase, in Anulo; aut quando mitteret Chirographum Animalibus noxijs, vel cum ijs litem moueret, vt illa expellat; aut quando proferret Verba, ac si haberent ex se vim producendi aliquem effectum, & in ipsis solis speret effectum à Dæmone, quamuis præmittat protestationem non ineundi pactum cum eo, quia, vt aliàs dixi, talis protestatio, cùm sit contraria facto, & approbetur in Opere, non excusat à Superstitione, aut quando quis luderet, & ad euitandam malam Fortunam surgat, vel mutet locum, credens certò, ob id se malam Fortunam abiecturum, sic Bonaccina Tom. 2. disp. 3. q. 5. punct. 4. num. 3. Huius autem Vanæ obseruantiæ quatuor ex Mazzuchello disp. 2. cap. 10. q. 5. n. 70., & Diff. 4. n. 87. sunt species, nimirùm Ars Notoria, Obseruantia Sanitatum, Obseruantia futurorum Euentuum, & Obseruantia Reliquiarum.

40. *Ars Notoria*, quæ est prima species Vanæ Obseruantiæ, definitur: *Superstitio, qua quis per Ieiunia, Orationes, Figurarum Inspectiones, Verborum Ignotorum Prolationes, & alia Media Vana, & Inutilia, necnon improportionata, tamquam efficacia credit, se absque labore Scientiam acquisiturum*

*furum ad modum Scientiarum infusarum*, qua propter tacitum cum Dæmone habet commercium, vt Scientias infundat, quas infundere est proprium solius Dei, & non Dæmonis; sic accidit Anabaptistis ieiunantibus secundùm Regulam istius Artis, qui sumpto Bolo eorum fictæ Eucharistiæ totam ferè Scripturam recitant, de omnibus Scientijs disputant, Diabolus quippe mediante illo execrando Cibo, quem sumunt, Os illorum ingreditur, illorum lingua recitat Scripturam, disputat de Scientijs, & taliter occupat illorum Intellectum, ac dementat, vt existiment omnia scire, cùm tamen verè, & realiter nihil sciant, vt patet, quoniam dum Sectam Anabaptisticam abiurant, & conuertuntur ad Fidem, Diaboloque renunciant, statim omninò ignorantes, indocti, & obliuiosi remanent Bibliorum, & Scientiarum, sicuti priùs. Contra Cultores huiusce Diabolicæ Artis, veluti suspectos de Hæresi possunt procedere D.D. Inquisitores.

41. Verùm, an licitum sit vti scientia Ope Dæmonis acquisita?

℞. Communiter affirmatiuè, dummodò eius conseruatio, & vsus non dependeat à Virtute Dæmonis, quia talis vsus est de se bonus, & peccatum, quo Scientia parta fuit, & acquisita, pertransijt mediante Pęnitentia, & Renunciatione Dæmoni, vnde eodem fundamento munitus Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 41. n. 2. resoluit, quòd qui ratione obsequij Diabolo præstiti nonnulla Bona acquisiuit, illis vti potest tuta Conscientia, quoties non constat, ea Bona fuisse à Diabolo per furtum acquisita.

42. *Obseruantia Sanitatum*, quæ est secunda Species Vanæ Obseruantiæ, definitur: *Superstitio, qua quis Media quædam vana, & inutilia assumit ad Sanitatem obtinendam*; vt quando quis quædam adhibet Signa, quasdam Orationes, Preces, Benedictiones, certum numerum Crucium, Verba Sacra, Cęremonias, vel etiam Res naturales, quibus aliqua vana adiungit tamquam necessaria ad sananda v. g. Vulnera, ad tollendos, aut saltem mitigandos dolores Corporis, aut Capitis, aut Dentium, ad sistendum Sanguinis

guinis fluxum è Venis, ad curandos Morbos Hominum, vel Animalium, ad se præstandum immunem contra læsionem Hostium, vel Casus fortuitos, & similia; vel quando quis in quibusdam Benedictionibus adhibet Crines Animalium, aut, sicuti solent facere Mulierculę, Cingulum, vel Indusium metitur, vt iudicium sumat, quis Sanctorum honorandus pro consequenda Sanitate; vel quando quis virtutem ponit in eo, dum Herbas colligit pro Medicina componenda, vt id fiat ante Solis Ortum, vel antequàm loquatur, vel die Veneris, vel in Festo S. Ioannis, nam huiusmodi Circumstantię sunt impertinentes ad rationem Medicinę. Quòd autem Medicus potiùs colligat Herbas in Mense Maio, vel Aprili, quam Augusto, & hyeme, id non est Superstitionis, sed Medicinæ, quia ratio naturalis dictat quibusdam Anni temporibus virtutem in herbis esse potentiorem, & efficaciorem. Huiusmodi ergo Superstitiones ex suo genere sunt Mortales, nisi imperfectio actus, inaduertentia, aut ignorantia inuincibilis (quæ cessat, si post monitionem à Parocho, vel ab alijs non desistat) & bona fides excuset, etenim credens quis, infallibiliter hos effectus virtute talium Rerum, & Verborum, quæ applicantur ad sanandum, effici, est Superstitiosus, & tacitum habet pactum cum Demone, cùm vtatur Medijs vanis, inutilibus, nullam de se Vim habentibus, nec à Deo, vel ab Ecclesia præordinatis ad tales effectus causandos, consequenter à Demone ex aliquo pacto prouenire censendum est. Secùs dicendum, si Orationes, Preces, Benedictiones, & Verba Sacra piè, religiosè, & modo licito quis adhibeat ad postulandam, & impetrandam Sanitatem à Deo, spem, & fiduciam totam reponens non in Verbis, sed in Deo, nam tunc nihil malè continent, ex Tamburino in Decal. lib. 2. cap. 6. n. 45.

43. Sed quid dicendum de quibusdam Familijs, & Personis sanantibus quædam Morborum genera?

℞. Quòd non sint damnandæ alicuius Superstitionis, si Morbos curent absque aliqua Vana Circumstantia, & inquiunt Doctores, quòd hæc sit Gratia gratis data, quæ Hominibus peccatoribus etiam solet concedi, certum enim

est,

est, adesse in Ecclesia Donum Curationis, quod Deus indulget quibus vult, quomodo vult, & quando vult *ex Apostolo 1. Corinth. 7., & 12.* & Deum ob Bonum Reipublicæ potuisse Donum hoc ligare quibusdam Familijs, & Personis, quare de facto vsu recepta est Curatio Strumarum, & Scrophilarum per tactum factum à Christianissimis Franciæ Regibus, qui hæc proferunt Verba: *Io ti tocco, e Dio ti sana*, & hanc Gratiam gratis datam sanandi Strumas, immò & Morbum Comitialem, habuere quondam Reges Angliæ, sed postquàm facti sunt Hæretici, & ab Ecclesia Catholica discessere, deperdiderunt, sic Deo volente, vt refert Bozius De Signis Ecclesiæ Tom. 2. lib. 21. Signo 92. Vsu recepta est Curatio à Sciatica per Gratiam à Deo gratis datam cuidam Familiæ propè Fulgineum; virtute, vt aiunt, à Sancto Petro concessa, & ad tempora Nostra vsque traducta. Vsu recepta est Curatio à Morsibus Viperarum, quam Gratiam à Deo gratis datam habet Alberonæ in Apulia quædam Familia, cui, aiunt, concessam fuisse per D. Paulum. Virtutem certi Morbi sanatiuam tribuunt aliquî Filio septimo Masculo, si inter ipsos septem Fratres non mediet aliqua Fæmina, & aiunt, esse Gratiam gratis datam. De quibusdam alijs refertur, quòd à Deo liberaliter Donum habuerint, vt tactu, sermone, aspectu, halitu, sudore, & saliua sanarent à certis Morbis, à Morsibus rabidi Canis, à Serpentum Venenis, & ab alijs infirmitatibus. Idem resoluendum censeo de Empsalmistis, qui per Empsalmos pios, videlicet per quosdam Versus Psalmorum, seu per alias Orationes sanant Infirmos, & curant Vulneratos, nullo adhibito signo Superstitioso, sed solùm Petias lineas benedicendo, & Aquam Elementarem. Idem de Salutatoribus in Hispania, qui suo halitu, vel contactu Morbis incurabilibus medentur, sanguinem detinent, Canes rabidos interficiunt, quia istæ sunt Gratiæ gratis datæ, vnde præfati non sunt Superstitionis damnandi, nisi aliquid, quod Superstitionem sapiat, admisceant.

44. Notat tamen Bonaccina Tom. 2. disp. 3. q. 4. n. 20., quòd tales Personæ diligenter sint examinandæ ab Ordinarijs,

narijs, priùsquàm hoc munus exercere permittantur, num scilicet hæc faciant remedijs naturalibus, nùm ex Gratia data gratis, num ex pacto inito cum Diabolo; debent & Confessarij esse cauti in absoluendis similibus Personis, nec enim sufficit, quòd ab Ecclesia tolerentur, quia aliquando pleraque tolerantur, vt Lupanaria., quæ licitè fieri non possunt, ita Martinus Delrio lib. 4. cap. 3. q. 8. An autem damnandi sint Superstitionis illi, qui curant Vulnera in loco etiam distanti, dum adhibent Medicamentum, quod vocant Sympaticum, dicam in fine num. 62.

45. *Obseruantia Futurorum Euentuum*, quæ est tertia Species Vanæ Obseruantiæ, definitur: *Superstitio, qua quis ex quarumdam Rerùm impertinentium Vi aliquid sibi prosperum, vel aduersum euenturum firmiter credit*, vt si quis Domo egrediens, statim lapidem offendit, & timens, Iter infaustum fore, reuertitur Domum; vel si alicui egresso Domo fiat obuia in Via Virgo, & credit, Diem illum futurum Sterilem, si verò obuia fiat Meretrix, existimat futurum esse fęcundum, & prosperum; vel si fortuitò occurrit alicui Aethiops, Canis, Vulpes, aut Cadauer, & aduersùm quidpiam sibi euenturum credit; vel si quis postquàm euigilauit, sternutauit, & tunc iterum ad dormiendum reuertitur, vt euitet Omen; vel si Diem Martis, vel Mercurij, vel alium diem in Hebdomada certò teneat sibi infaustum, contrà id, quod scribit *D. Paulus ad Galatas* 4: *Dies obseruatis, & Tempora, & Menses, & Annos, timeo Vos, ne frustra laborauerim in Vobis*, qua propter Superstitionem sonat Opinio Campanellæ in Astrologia Iudiciaria De Diebus Faustis, & Infaustis, si quidem nec Dies, nec talis Dies vllam habet connexionem, vel influxum in Operationes, quæ dependent à libero Arbitrio, & ab Humana prudentia, cùm sint ex sua natura futura contingentia, quorum notitia soli Deo est reseruata, quia solus Deus est omnisciens, & futurorum præscius, consequenter est vana, & superstitiosa Obseruantia. Vel si quis numerum tredecenarium Accubentium in Mensa credat indubitatà fide infaustum, & quòd vnus eorum morietur illo Anno, similiter

si Sal,

si Sal, Vinum, aut Oleum cadat super mensam, aut si numerum parem in sumendis Pillulis quis certò teneat noxium, quæ omnia tamen dicas, carere Superstione mortali, si quadam incositate, leuitate, & vano timore credantur fausta, vel infausta, quia Superstitio solùm est Mortalis, quando ex quarumdam Rerum impertinentium Vi infallibiliter euenturus creditur effectus prosper, vel aduersus. Multi etiam sunt Modi superstitiosi in Obseruantia futurorum euentuum, de quibus loquitur *D. Augustinus lib. 2. De Doctr. Christ. Cap.* 20., ad quos reducitur experientia Fili Horarij, de qua in fine num. 64.

46. *Obseruantia Reliquiarum*, quæ est quarta species Vanæ Obseruantiæ, definitur: *Superstitio, qua quis gestans secum Reliquias, Amuleta, Breuia, Euangelium, Orationes firmiter credit, quòd ex Vi quorumdam Signorum vanorum, circumstantiarum inutilium assequuturus sit finem expectatum*, vt quando quis Collo appensum gestat Euangelium, sed scriptum in Charta, vt dicitur, Virginea, vel Oriente Sole, vel ab Homine ieiuno, & incorrupto, aut à Virgine, & non aliter; vel quando quis Reliquias defert intra Vas triangulare, quadrangulare, aut Sphericum, aut cum tali Chorda appensas, & non alio modo; vel quando quis defert Orationes tali Charactere, tali Atramento scriptas, tali modo complicatas, tot Crucibus, aut ignotis Characteribus efformatas, & non alio modo, quandoquidem si infallibiliter credat, quòd ex Vi horum vanorum, & inutilium Signorum erit omninò securus ab omnibus Inuasionibus Inimicorum, quòd subitaneam Mortem declinabit, quòd non morietur in Bello, quòd non morietur in peccato, quòd Fortunam bonam consequetur, tunc peccabit peccato Superstitionis, iuxtà illud *Psalm.* 38. *Odisti Obseruantes vanitates superuacuè, ego autem in Domino speraui*; secus dicendum, si Reliquias, Euangelium, Orationes, Breuia, aut alia secum deferat, non expectans hos effectus tamquam certò, & infallibiliter euenturos, sed reiectis Signis vanis, & inutilibus, confidat Sanctorum Meritis, & illorum Precibus speret futurum, vt à Malis præseruetur,

 & hoc

& hoc pium, vtile, & licitum est ex Lessio lib. 2. cap. 43. dub. 10. n. 63. Monendus tamen est ex Toleto lib. 4. cap. 16. num. 3. Vers. Quarta est, ne illis solis fidat, qui talia gestat, quasi sufficiant sine alio bono Opere, ac vitæ rectitudine ad Vitam æternam consequendam.

47. Sed quomodò in adhibendis, vel ad Collum gestandis Reliquijs, Amuletis, Breuibus, Euangelijs, Orationibus possit euitari Superstitio?

℞. Quòd, vt euitetur Culpa Superstitionis, sint attendenda Verba *Angelici Doctoris 2. 2. q. 96. art. 4., & huiusmodi sunt: Primò quidem cauendum est, quid sit, quòd profertur, vel scribitur, quia si est aliquid ad Inuocationes Dæmonum pertinens, manifestè est Superstitiosum, & illicitum. Similiter etiam videtur esse cauendum, si contineat ignota Nomina, ne sub illis aliquid illicitum lateat. Est etiam cauendum, ne aliquid falsitatis contineat, quia sic eius effectus non posset expectari à Deo, qui non est Testis falsitatis. Deinde cauendum est, ne cum Verbis Sacris contineantur aliqua Vana, puta aliqui Characteres inscripti, præter Signum Crucis. Aut si Spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in quacumque huiusmodi vanitate, quæ ad Diuinam reuerentiam non pertineat, quia hoc iudicaretur Superstitiosum*. Hæc sunt Verba *D. Thomæ*, quæ sunt clara.

48. Ad Obseruantiam Reliquiarum illicitam, & Superstitiosam reducitur Vsus vanarum, & inutilium Ceremoniarum in Cultu Diuino, tamquam si forent necessariæ, vt v.g. si quis certum Missarum numerum diebus continuis, & non interruptis, tali horâ, & cum tot Candelis talis coloris, longitudinis, & magnitudinis velit celebrare, & non aliter, ita vt Circumstantijs huiusmodi deficientibus credat, quòd Missæ, & Preces non sortiantur effectum; quàmuis ergo certus numerus Missarum, sicuti sunt triginta Missæ S. Gregorij, sit verè piùs, veluti & pius est certus numerus Candelarum in alicuius Mysterij memoriam, v. g. si nouem Missæ dicantur, & nouem Candelæ adhibeantur in Memoriam nouem Mensium, quibus Christus fuit in Vtero

B. M. Vir-

*B. M. Virginis ;* duodecim in honorem duodecim Apostolorum ; vndecim in honorem vndecim mille Virginum , attamen vanum , & superstitiosum est credere , quòd tali numero aucto , vel diminuto , vel interrupto , Missæ , & aliæ Preces suo frustrentur effectu , sintque omninò inefficaces , & hoc damnatur *à Concilio Tridentino Sess. 22. in Decreto De Obseruand. , & Euitand. in Missæ Celebrat.* his verbis. *Quarumdam verò Missarum , & Candelarum certum numerum , qui magis à Superstitioso Cultu , quàm à vera Religione inuentus est , omninò ab Ecclesia Episcopi remoueant* Hæc Tridentinum.

49. Sed numquid Missæ triginta S. Gregorij , quæ scilicet triginta diebus continuis celebrari debent , erunt damnandæ Superstitionis ?

℞. Quòd non , nisi fortè admisceantur aliquæ Circumstantiæ Vanæ , & hoc ordinauit S. *Gregorius Papa* , vt habetur *lib. 4. Dial. Cap. 55. Pretioso Abbati* pro Anima Iusti Monachi , illis Verbis : *Vade ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium , stude , vt nullus omninò prætermittatur dies , quo pro Absolutione illius Hostia salutaris non offeratur* , & ex hoc S. Gregorij præcepto ortum habuit , vt Fidelium Deuotio similes Missas , similiq; modo celebrandas sæpè curaret , vnde Tamburinus lib. 2. cap. 6. §. 7. aduertit , has Missas non esse prohibitas , sed solùm quasdam alias pro Viuis , & Defunctis , quæ falsò imputantur D. Gregorio .

50. Quid si occurrat Festum , vel Duplex , an Celebrans , ne interrumpat dictas Missas , possit celebrare Missam de Requiem ?

℞. Quòd non possit , sed satis erit , si Missam Currentem pro Defuncto applicet , & hoc constat ex *Decretis Alexandri VII. die 5. Augusti 1662. , & Clementis IX. die 23. Septembris 1669. , vnde D. Gregorius per illa Verba Vade offerre pro eo Sacrificium* non dicit Sacrificium De Defunctis , & sic non est necesse quòd celebrans recitet Missam De Requiem , sed solùm quòd Missam Currentem in Festo , vel in Duplici applicet pro Defuncto . Neque

obstat

obstat dicere, quòd dictæ Missæ *S. Gregorij* discontinuarentur saltem in Triduo Hebdomadæ Maioris. Non, inquam, obstat, quia non dicerentur in illo Triduo discontinuari, cùm ex pia Consuetudine Ecclesiæ tres illi dies non sint dies Missarum. Immò addit Rodriquez Tom. 2. q. 43. art. 10., huiusmodi Continuationem non adeò obligare, quin ob decentiam, Honestatem, & Reuerentiam Sacramenti aliquando prætermitti non possit. An verò triginta Missæ S. Gregorij debeant omnes ab vno, & eodem Sacerdote celebrari? Dicas, quòd non, vt colligitur ex Verbis ipsius D. Gregorij, qui non dicit Offer, seu Offer per Te, sed *Offerre stude*.

51. *Maleficium*, quod est quinta species Superstitionis, definitur: *Superstitio qua quis alteri nocet Ope, & Potestate Dæmonis, cum quo pactum init*, & differt à Magia propriè dicta, quòd Magia intendit ad ostentationem facere mira, & insolita, Maleficium verò tendit ad noxam alijs inferendam. Maleficium diuiditur in Amatorium, & in Veneficum; *Amatorium* est, quo Malefici Ope Dæmonis vtuntur ad Amorem carnalem inflammandum in aliquo, vel ad extinguendum, hinc pudicæ Filiæ ad impudica incitantur, immò veriùs, & sępiùs in furorem rapiuntur; hinc etiam nascuntur inter Coniuges Odia intestina, Diuortia, & infinita alia mala. Circa hoc monet Toletus cit., quòd Dęmon nullam possit necessitatem inferre voluntati humanæ, sed eam tantummodò possit allicere vel immutando phantasiam, & Imaginationem, ac Rem amatam exhibendo apparenter tamquam amabiliorem, vel Carnis appetitum inflammando, & excitando, quibus non obstantibus voluntas semper remanet libera, & potest Homo, si velit, Gratiæ Diuinæ auxilio adiutus, omnes eiusmodi illecebras abijcere, qua propter Maleficio affecti non excusantur à peccato, quàmuis dicant, se inuitos trahi ad Amorem, vel ad Odium, cùm solùm alliciantur, & tententur, non verò cogantur.

52. Maleficium Amatorium solet duobus modis fieri, vno modo intrà Corpus, alio modo extrà Corpus. *Intrà Corpus* fit Male-

fit Maleficium Amatorium per Esum, & Potum, & appellatur græcè Phyltrum, latinè Poculum Amatorium, & hoc vt plurimùm solet vehementer valetudinem debilitare, Furorem causare, & de statu Mentis deijcere, quia eius Ingredientia solent esse admodum periculosa, sicuti sunt Fluores Menstrui, Sperma, Cerebrum Felis, vel Asini Pulli, Vterus Hyenæ, Virga Lupi remota, Ossa Rubetæ, Scinsi, & præ cæteris Hippomanes, quod, iuxta Martinum Delrio lib. 3. Disquis. Mag. q. 3. sect. 2., est Pellicula, quæ reuellitur à Fronte Pulli Equini recens editi, cuius Odor Equas in furorem redigit, & hæc cum alijs mixta per Esum, vel Potum sumpta, estò quamdam habeant Vim naturalem ad accendendam flammam Concupiscentiæ, quando eduntur, vel potantur, non tamen habent Vim naturalem inflammandi Concupiscentiam Amoris, vel Odij erga hanc, vel illam Personam in particulari, consequenter habent hanc Vim à Dæmone se se ingerente, & tentante. In præfato Phyltro (& hoc est maximum Sacrilegium) Malefici sæpè addunt Hostiam Consecratam, interdum Hostiam non Consecratam, sed Notis, Litterisque sanguineis circumscriptam, Oleum Sanctum, Aquam Baptismalem, Thus benedictum, aut alia Sacra. *Extra Corpus* fit Veneficium Amatorium, quando, vt ait Paulus Grillandus De Sortileg. q. 3. num. 23., sub certa quadam forma Verba composita Clamydi suuntur, vel in Lecto absconduntur ipsius Maleficandi, aut in aliquo loco subterraneo fouea facta, aut sub Limine Hostij, per quod destruendus sit Transiturus, & hæc non à se, sed à Dæmonis Ope habente Vim excitandi ad Amorem, vel ad Odium.

53. *Maleficium Veneficum* est, quo Malefici Ope Dæmonis vtuntur ad nocendum alteri per occultam Veneni Applicationem vel in Bonis Corporis, inducendo videlicet Morbos, Dolores, & Infirmitates insanabiles, Mortem, Sterilitatem, & impotentiam ad Copulam carnalem, Suffocationes Infantium, & Exsunctiones Sanguinis eorum; vel in Bonis Fortunæ, vt destruendo Agros, Vineas, Segetes, Arbores, Ædificia, Armenta, & huiusmodi per

Pluuias,

Pluuias, Grandines, Tempestates, Tonitrua, Ventos, & per alias Destructionis causas excitatas à Dæmone, sic permittente Deo. Sua autem solent Venefici, Arte Dæmonis instructi, conficere Venena per Mixturas quasdam multiformium Venenorum ex Herbarum Folijs, festucis, aut radicibus, Animalibus, Piscibus, aut Reptilibus Venenosis, Lapidibus, & Metallis, quorum meminit Grillandus supracit., & dicta Venena applicare solent vel *per introsumptionem* reducendo ad pulueres, vel ad liquores, qui in Cibum, vel Potum propinati Morbum, aut Mortem inferunt; vel *per applicationem extrinsecam*, idest per Inunctionem Dormientium Vnguentis venenatis; vel *per applicationem solorum Verborum*, quibus ex pacto concurrit Dęmon, & damna infert. Dixi *ex pacto concurrit Dæmon*, cùm certum sit, quòd eiusmodi verbis non causent ex se talia mala per *D. Thomam* 2. 2. *q.* 96. *art.* 1., applicatio verò verbalis in Veneficijs solet à Veneficis fieri eo modo, quo supra dixi cum Grillando. Alijs etiam modis, videlicet insufflando, tangendo, inspiciendo, alloquendo fiunt Veneficia ex pacto Dæmonis, non solùm in perniciem Hominum, sed cunctarum etiam rerum, quæ sub Cęlo sunt ex Sprenger Part. 2. q. 1. cap. 11.

54. Sed numquid licitum erit petere à Malefico, vt Maleficium soluat?

℞. Quòd vel petitur à Malefico, vt soluat Maleficium per aliud Maleficium, vel sine nouo Maleficio; *primum non potest licitè peti*, quia est intrinsecè Malum, & nullo fine, nullaque ratione honestari potest, cùm interueniret tacita, vel expressa Dæmonis Inuocatio, non obstante quòd Maleficus esset ad soluendum paratus. Nec obstat dicere, licitum esse ex causa petere ad Vsuram ab Vsurario parato dare, similiter licitum esse exigere Iuramentum ab eo, qui paratus est iurare per falsos Deos, cur licitum non erit in nostro casu? Non, inquam obstat; neque est paritas, eò quòd licitè quis potest petere Mutuum ab alio, quod de se bonum est, licet alius peccet non mutuando nisi cùm Vsura, cùm possit, si velit, dare Mutuum

sine

sine Vsura; similiter quis licitè potest exigere Iuramentum ab alio, quòd de se bonum est, licet alius malitia sua peccet iurando per falsos Deos, & possit sine peccato, si velit, iurare per veracissimi Numinis testimonium, vnde neutrum est intrinsecè malum, at dissoluere Maleficium per aliud Maleficium est intrinsecè Malum, & in nullo casu licitum, ergo nec licitum erit ad id inducere Maleficum, non obstante, quòd is esset ad dissoluendum paratus. Multò minùs poterit occidi Maleficus, si is nolit dissoluere Maleficium per aliud Maleficium, tum quia nemo potest priuata auctoritate alium occidere, neque occisio Malefici est Medium ad dissoluendum Maleficium, sed recurrendum est ad Iudicem, vt Maleficum cogat ad dissoluendum Maleficium licito modo; tùm quia cogere Maleficum, vt Maleficium dissoluat per aliud nouum Maleficium, est intrinsecè Malum, cùm cogeretur Maleficus ad inuocandum Dæmonem tacitè, vel expressè, hinc iuxta *D. Paulum ad Romanos 1. Qui talia agunt, digni sunt Morte, nō solùm qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt, & ex eodem D. Paulo e Non sunt facienda Mala, vt eueniant Bona*. Notant verò communiter Doctores, contra Maleficia licitum esse vti remedijs ex Medicina petitis, Exorcismis, & Sacramentis Ecclesiæ, Orationibus, & Inuocationibus Sanctorum, ac etiam ex destructione Signorum, per quæ Dæmon nocet, absque alio tamen Maleficio, vt inquit Mastrius disp. 11. qu. 2. art. 2. n. 32.

55. *Secundum* licitè peti potest, quia petitur à Malefico Res de se bona, quam sine peccato potest Maleficus præstare, si velit, idest sine Inuocatione tacita, vel expressa Dæmonis, quòd si nolit dissoluere Maleficium nisi inuocato Dæmone, hoc sibi ipsi imputet, & non Petenti, quia Petens nec inducit; nec cogit Maleficum, nec cooperatur nouo Maleficio, sed solùm dicitur permittere peccatum eo fine, vt amoueat à se, vel ab alijs vexationem, eo modo, quo volunt Doctores, quòd licitum sit mihi necessitatem habenti petere Mutuum ab Vsurario, quàmuis sciam, quòd ille sit illicitè exacturus Vsuras, cùm po-

fuerit Mutuum licito modo, sine Vsuris, & sine peccato dare.

56. Verùm erit ne licitum tollere, aut comburere Signa Maleficiorum, v. g. Ligaturas, Nodos, Inuolucra Plumarum, Volumina Capillorum, & huiusmodi alia, vbi inuenta fuerint, eo fine, vt ijs sublatis, & combustis Diabolus cesset nocere, & salus obtineatur Maleficiati?

℟. Esse licitum vnicuique hoc facere, eò quòd per talem destructionem non confirmatur Pactum, nec Commercium cum Dæmone, neque aliud nouum initur, sicuti nec vllus honor exhibetur Diabolo, sed potiùs contemnitur per oblationem, aut combustionem Signorum, neque hìc interuenit actio Diabolica, sed Humana facta eo fine, vt talibus Signis ablatis, & combustis Diabolus cesset nocere, & Maleficiatus obtineat Sanitatem. Hoc confirmatur sic ex *Scoto in 4. dist. 34., vbi habet hæc Verba: Trufatica est illa Quæstio, an liceat tollere Maleficium intentione curandi Maleficium, non enim solùm licet, sed est meritorium destruere opera Diaboli, nec in hoc est aliqua infidelitas, quia Destruens non acquiescit operibus malignis, sed credit, Dæmonem posse, & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis signi imponet finem tali vexationi*. Sic Scotus.

57. At licitum ne erit etiam Signum contrarium apponere, quo posito destruatur Pactum priùs, & Dæmon desinat nocere?

℟. Esse licitum, & hoc sic explicat *Fagundez cap. 43. n. 6. Quandiu è terra hæc Olla non extrahatur, & loco illius aliquid ponatur, v. g. Lapis, Tegula, aut locus ille Aquæ Benedictæ Aspergine non abluatur, non cessabit Maleficium, nec recuperabitur Sanitas*, licitum Tibi est Ollam eruere, & loco illius Lapidem, vel Tegulam ponere, & Aqua Benedicta locum aspergere, si facias hoc non animo colendi Dæmonem, sed animo contemnendi illum, destruendi pactum, & tollendi Signum, quo adstrictus erat ad nocendum, & hoc est ex se bonum, & licitum, ita Palaus disp. 1. punct. 11. n. 80., Antonius à Spiritu Sancto, Suarez, Lessius, & alij.

58. Aduer-

58. Aduertendum est, quòd non reseruetur hic Superstitio, quando effectus expectatus à Superstitione non sequitur, sic Paludanus apud Syluestrum Verb. Casus q. 5., Mazzucchellus disp. 2. cap. 10. diff. 3. n. 125., 126., Capeauilla Casu 7. cap. 21. q. 2., & alij, ratio autem est, quia Reseruatio intelligitur de actu exteriori illo, quem sequitur effectus, vt v. g. Si Homicidium sit Casus Reseruatus, non solùm non dicitur incurrere in Reseruationem ille, qui Mente deliberata vult occidere, quia nullus est exterior effectus, sed nec dicitur incurrere, qui Homicidium mente conceptum Signo exteriori manifestat, dicens se alium occisurum, immò, & si facto verberet, modò occisio non sequatur, ergo similiter si non sequatur effectus expectatus à Superstitione, non habebitur Reseruatio. Verùm si in Superstitione habeatur Abusus Sacramentorum, vel Sacramentalium, sicuti vt plurimùm contingit, tunc etiamsi à Superstitione effectus expectatus non habeatur, adhuc incurritur Reseruatio, non ratione Superstitionis pręcisè, sed ratione Abusus commissi in Superstitione, qui Abusus est verè perfectus, & consumatus, vnde Reseruatio tunc secundùm omnes Doctores, & secundùm communem praxim Episcoporum non afficit Superstitionem, sed Abusum Sacramentorum, vel Sacramentalium ad finem Superstitionis. Similiter si absque abusu Sacramentorum, vel Sacramentalium effectus à Superstitione expectatus sequatur, tunc incurritur Reseruatio iuxtà omnes Doctores; verùm tamen est, quòd omnis species Superstitionis ferè semper habet coniunctam prolationem Versiculorum Psalterij, Verborum Sacrorum, & Abusum Sacramentorum, vel Sacramentalium, de quibus iam Sermonem habuimus in num. 8., & tunc Superstitio dicitur qualificata. Hæc benè notentur, & cautè obseruentur, vt deindè cognoscantur sine errore Incidentes, & non Incidentes in Reseruationem primi Casus Clementini, quorum plures mox enumerabimus.

In Reſeruationem incidunt

*Veneficiorum*, *Incantationum*, *Sortilegiorum*.

59. RElígioſus, qui Idololatriam committit, & Dęmoni Cultum exhibet Diuinitatis ob aliquam ſpecialem rationem, vel ſperatam vtilitatem, vocando illum Deum, aut Sanctum, offerendo ei Sacrificia, Thus adolendo, Genua flectendo, Preces dirigendo, & alia nefária faciendo in Honorem Dæmonis, immò etiam ob Metum Mortis, in quo caſu tamen non ligatur Excommunicatione, quidquid ſit in Foro externo, eſt autem Idololatria intrinſecè mala.

Religioſus, qui in Characteribus, Anulis, Sigillis, & Imaginibus, quæ certis ſuffumigationibus, & Incantationibus dedicatæ, aut Characteribus, & Figuris peregrinis, ſeu barbaris Nominibus inſculptæ, effectus admirabiles, & naturæ vim ſuperantes producere creduntur, cùm totam Vim habeant à Dæmone, ſiquidem Figuræ, & Characteres nihil ſua Vi conferre poſſunt.

Religioſus, qui Anulum defert, in quo incognitæ quædam Litterę conſpiciuntur, vt eum deferens liberetur à Morte improuiſa, nam talis Anulus non eſt cauſa naturaliter productiua liberationis ab improuiſa Morte, ſicuti nec ſunt cauſa naturalis illæ Litteræ incognitæ, quæ conſpiciuntur in Anulo, ergo habent tantùm rationem Signi, non Diuini, quia nec ſunt Sacramenta, nec Sacramentalia, igitur habent rationem Signi inſtituti in pactum à Dęmone, ſeu alicuius Superſtitioſi. Docet hoc Delrius, diſp. Magic. lib. 1. q. 1., vbi quærit, an Vis Characterum, Anulorum, Sigillorum, aut Imaginum ſit, qualem Magi contendunt, & reſpondet negatiuè, quia Deus nullam Vim effectiuam indidit Nominibus, ergo Nomina, aut Verba ſculpta in Anulo Vim effectiuam ad Mortem improuiſam auertendam

dam habere non possunt, nisi ex Dæmonis Arte, aut Pacto.

Religiosus, qui Ope Dæmonis, cum quo Pactum init, transformat Hominem in Lupum, & alia similia facit in apparentia, decipiendo Visum adstantium, aut breui tempore multa Milliaria facit, aut in maxima distantia operatur, aut pungens Ceream Imaginem Titij Romæ, acutissimis afficit doloribus Personam ipsius Titij existentis in hac Ciuitate Foroliuij; aut facit, quòd Statua loquatur, & respondeat; aut quòd rapidus Fluuius sistatur à suo Cursu; aut facit alia mira, & extraordinaria, quæ omnem superant naturalem Virtutem, & industriam humanam, consequenter sunt à Dæmone Auctore principali per Magiam Superstitiosam.

Religiosus, qui indutus Paramentis nigri coloris Missas Defunctorum celebrat pro Viuis, vt citiùs moriantur; aut qui ad curanda Vulnera, Ferrum, quo alter læsus est, in porcinum Vnguen infigit; aut qui loco circumligandi Vulneris, Arboris Ramum, aut Scamni pedem perligat, vt sequatur curatio, Ope Dæmonis inuocata, Verbisque Sacris recitatis; aut qui Imaginem alicuius Sancti proijcit in Flumen, vt pluuat, inito Pacto cum Dæmone, & Verba Sacræ Scripturæ recitans, nam talis actus est Magiæ Superstitiosæ damnandus, nisi ex simplicitate, vel ignorantia fiat, iuxtà Nauarrum in Man. cap. 11. n. 38.

Religiosus, qui solis Verbis siue sacris, siue prophanis quid Superstitiosum immiscendo, mira, & insolita, Ope Dæmonis operatur, reddens v. g. aliquem insensatum, stolidum, immobilem, dementatum, obliuiosum, infirmum, & hæc habentur per Superstitiosam Incantationem.

Religiosus, qui Ope Dæmonis inuocata Dictiones, aut Orationes nihil significantes, vel nihil ad propositum importantes adhibet, vt portentosos producat effectus v. g. Sanitatem, Curationem Vulnerum, ad quos illæ Dictiones, & Orationes non habent Virtutem naturalem, sed à solo Dæmone habere dicendæ sunt.

Religiosus, qui, pacto inito cum Dæmone, Orationes adhibet,

adhibet, Nomina ignota Angelorum, aut Nomina cognita Angelorum Malorum, aut falsa quædam, aut apochripha, seu incerta continentes, quæ non à Deo instituta fuere ad causandos desideratos effectus, cùm Deus in hisce vanis, & falsis non se immisceat, ergo à solo Dæmone tales effectus prouenient.

Religiosus, qui vtitur Verbis Sacris, sed cum aliqua Circumstantia impertinenti, aut inutili, tamquam si foret necessaria, scriptis, videlicet Manu Sinistra, in Charta Caprina, per Virginem, tali Die, tali hora, nam hæc nihil faciunt ad Virtutem Verborum, vt possint extraordinarios causare effectus, deinde nihil ad Dei Cultum, vel rectam rationem spectant, ergo tales effectus miri, & extraordinarij à Dæmone producentur.

Religiosus, qui Versiculo alicuius Psalmi recitato, Ope Dæmonis inuocata, facit, quòd Anulus in Filo moueatur, aut saltet, certum enim est, quòd Deus non operetur ad huiusmodi Vana, sed Dæmon potiùs, qui gaudet honorari Verbis Sacris.

Religiosus, qui Verbis Sacris clara Voce recitandis addit quædam alia, sed tacita Voce, ad aures alicuius Hominis ægrotantis, aut alicuius Animalis infirmi submurmurat, vt det ijs Sanitatem, & hoc sæpè sępiùs practicatur in Incantationibus.

Religiosus, qui ad Infirmitates curandas facit Incantationes, vt si Verba, & Orationes recitet, ac aliquid applicet, quòd nullam habet virtutem ad sanandum, veluti Cingulo metiri, Vimen scindere, Arborem aperire, Vrinam super certam Herbam emittere, Ope Dæmonis inuocata.

Religiosus, qui ad sanandos Homines, vel alia Animalia ægrota adhibet Orationes non approbatas, quas edoctus fuit ab alio, & credebat legitimas, sed quia admonitus fuit à Confessario, quòd non essent legitimæ, adhuc noluit desistere, ideò coniungitur de pacto tacito cum Dæmone.

Religiosus, qui, Ope Dæmonis inuocata, vtitur Orationibus,

tionibus, & Verbis sacris, vt Serpentes, Lupos, & alia Animalia Prouinciæ nociua incantet, ac domet, & ne ampliùs nocere valeant, *ex D. Thoma 2. 2. q. 96. art. 4. ad 2.*, qui monet, Orationes, quæ fiunt circà Serpentes, esse magis de Superstitione suspectas, quàm sint illæ, quę fiunt circà cætera Animalia, quia Serpens fuit Dæmonis Instrumentum ad Hominem decipiendum.

Religiosus, qui, Dæmone expresfè inuocato, vult Medio præstigioso Res occultas, aut futuras contingentes diuinare, propterea Dæmon per fictas, & apparentes Figuras perstringit Religiosi Oculos, & facit, quòd Res existens non appareat, vel aliter, quàm Res existit, appareat, & sic occulta, & futura reuelat. Hæc Diuinatio dicitur Præstigium.

Religiosus, qui, Dæmone expresfè inuocato in Vigilia, expectat ab ipso responsum in Somno, vtrum, v.g. Thesaurum inueniet, vtrum talem Dignitatem obtinebit in Religione, sicuti petijt, nec enim præsentia, aut præterita occulta, nec futura contingentia à libera Hominum voluntate dependentia possunt certò cognosci, nec Somnia ex natura sua possunt ea edocere, *ex D. Thoma 2. 2. q. 55. art. 6.* Hæc est Diuinatio per Somnia.

Religiosus, qui, Dæmone expresfè inuocato, adhibitoque Sanguine, quibusdam Precationibus, descriptis Circulis, Figuris Litterarum, ac Notis Characterum contendit per Mortuorum apparitionem, & locutionem, occultorum, & futurorum cognitionem acquirere, nam Dæmon alicuius Mortui Corpus ingreditur, & in eo loquitur, ita vt Viuus appareat; vel quia, Sensus nostros illudendo, facit apparere Cadauer, vel Hominem, cùm verè non sit, ex Delrio Disp. Mag. lib. 2. qu. 26. Sect. 7., nec enim Dæmon potest suscitare Mortuos, cùm hoc soli Omnipotentię Diuinę reseruetur. Hęc est Necromantia.

Religiosus, qui, Dęmone expresfè inuocato, quęrit per Homines viuos, & Arreptitios, qui dicuntur Pythones, cognoscere ea, quę naturaliter scire non potest, vnde Dęmon Religioso respondet per ipsos. Vocatur Pythonia.

Religiosus, qui, Dæmone expresse inuocato, vt sciat, quæ naturaliter scire non potest, edocetur per Medium Terreum, seu per Signa, & Puncta quædam apparentia in Corporibus Terrestribus, vt in Ligno, Ferro, Lapide, Statua, Metallo. Dicitur Geomantia.

Religiosus, qui, Dęmone expressè inuocato, vt occulta cognoscat, edocetur per Figuras apparentes in Aquis, vt quando per Vasculum Aqua plenum manifestantur à Dæmone Res Furto ablatæ, vel etiam ipsi Fures occulti. Appellatur Hydromantia.

Religiosus, qui, Dæmone expressè inuocato, volens aliqua occulta, & futura cognoscere, per Figuras Aereas, seu per Signa apparentia in Aere edocetur, quasdam enim aereas Figuras assumit Dęmon, & sic edocet. Vocatur hęc Diuinatio Aeromantia.

Religiosus, qui, Dęmone expressè inuocato, cognitionem occultorum, aut futurorum vult acquirere per Ignes, vt si Lignum viride coniectum in Ignem, ad lęuam, aut ad dexteram, ad Ortum, aut ad Occasum, ad Meridiem, aut ad Septentrionem crepitet, & scintillas emittat, vnde ex huiusmodi obseruatione Religiosus eorum, quę latent, cognitionem acquirit. Dicitur Pyromantia.

Religiosus, qui, Dęmone expressè inuocato, vult occulta, vel futura cognoscere per inspectionem Signorum apparentium in Intestinis, ac Visceribus Animalium, quę Dęmoni sacrificantur. Nominatur Aruspicium, & in assignatis nouem Modis ad finem diuinandi occulta, aut futura Dęmon expressè inuocatur, & colitur, quare si in his adhibendis sit error in Intellectu cum pertinacia, & credatur, quòd per Media huiusmodi impertinentia possit solo auxilio Dęmonis acquiri cognitio infallibilis occultorum, aut futurorum, tunc incurritur Excommunicatio in Bulla Cenę Domini, & committitur Hęresis.

Religiosus, qui, Dęmone tacitè inuocato, Res præsentes, aut pręteritas occultas, puta Homicidium, Furtum, Thesaurum, Virginitatem inuestigat per Astra, neque enim naturaliter ex Astris hęc sciri possunt; & etiamsi Res, quę

per

per Astra inuestigantur, sint parui Momenti, quia vbi Opes Dæmonis inuocatur, paruitas materiæ non excusat à Mortali. Dicitur Astrologia; & constat ex *Cap. Tuarum de Sortileg.*

Religiosus, qui, Dæmone tacitè inuocato, per Inspectionem Astrorum prætendit certò diuinare ea, quę à sola Dei voluntate dependent, puta certò cognoscere Prædestinationem, Salutem, aut Damnationem alicuius; aut Euentus futuros (& hæc est Astrologia Iudiciaria) à libera Hominum voluntate dependentes vult certò predicere, nec enim in Astris est connexio necessaria cum futuris contingentibus liberis, ita vt ex ipsis possint futura certò, & infallibiliter pręnunciari, consequenter non nisi Dęmonis auxilio.

Religiosus, qui, Dæmone tacitè inuocato, futura à libero Hominum arbitrio pendentia, non certò, sed solùm sub dubio predicit, & Superstitionis mortalis damnandus est, necnon Pęnis in Bulla *Sixti V.* contentis plectendus, sic colligitur ex Verbis *ipsius Sixti: Etiamsi id non certò affirmare asserant, & protestentur*, & hoc fortè secundùm aduertentiam Dianæ: *Ad tegendas fraudes, & euitandas pęnas statutas*; tum quia quando dicit, se sub dubio prędicturum, tunc dicitur tacitè vsus fuisse Disciplina Dæmonis ex Sanchez lib. 2. cap. 38. n. 33.

Religiosus, qui, Dæmone tacitè inuocato, facit ex Astris Iudicia, & Natiuitates Hominum; prænuncians certò ea, quæ cuilibet toto tempore Vitæ suę contingent, vt quòd tali Morbo, tali Anno, Mense, Die peribit, tale contrahet Matrimonium, cùm pulchra, vel deformi, cum nobili, vel plebęia, tales habebit amicitias, vel inimicitias, promouebitur ad talem dignitatem, & alia similia, quæ ex Inspectione Astrorum sciri non possunt, sed pendent à libera Hominum voluntate.

Religiosus, qui, Dęmone tacitè inuocato, prætendit ex Lineamentis Manuum prænunciare certò, & infallibiliter Res futuras contingentes, videlicet pericula Vitæ, condiciones Nuptiarum, bonam, vel aduersam Fortunam. Appel-

latur Chyromantia, quæ iuxtà *D. Thomam qu. 95.* fit vt plurimùm per Regulas Aſtrologiæ, & damnatur *à Sixto V. in Motu proprio* contrà Aſtrologos, & in Indice Librorũ prohibitorum prohibentur omnes Libri, qui ipſammet Chyromantiam docent.

Religioſus, qui, Dęmone tacitè inuocato, ex Garritu Auium, Vocibus Animalium, Sternutationibus Hominum, & ex alijs ſimilibus vult diuinare Euentus futuros, vt ex Latratu Canum prænunciare infallibiliter quid infauſtum; ex Pica clamitante apud Domum prædicere certò Mortem alicuius, hæc etenim, cùm caſualiter eueniant, non poſſunt ex ſe ſine auxilio Dæmonis præſignificare Futura contingentia, quia nulla eſt connexio naturalis inter cauſam, & effectum. Dicitur Augurium.

Religioſus, qui Dæmone tacitè inuocato, ex Volatu Auium, ex Derelictione Nidi, ex Reſpuitione Cibi certam deſumit præcognitionem Futurorum, ſic Romani Fęlicem in Bellis exitum ſibi pollicebantur, ſi admoti Pulli Cibum ſumpſiſſent, aduerſum verò, ſi reſpuiſſent. Appellatur Auſpicium.

Religioſus, qui, Dæmone tacitè inuocato, contendit Verba, quæ quis certa intentione protulit, alia intentione retorquere ad futurum, quòd vult certò cognoſcere proſperum, vel aduerſum, vt quòd Miles dixit Socio: Siſtamus; Dux deduxit, Exercitum non mouere. Dicitur Omen.

Religioſus, qui, Dęmone tacitè inuocato, per Iactum Sortium vult alicuius Euentus futuri, vel alicuius occulti cognitionem conſequi, ſiue poſtea Iactus Sortium fiat in Taxillorum emiſſione, ſiue in aliquarum Chartularum deſcriptione, ſiue in Signis reſultantibus in Plumbo liquefacto, aut Cera liquefacta in Aquam proiecta, ſiue ex conſideratione Feſtucę, quam quis elegit ex duabus ęqualibus, vel inęqualibus oblatis, ſiue ex quibuſdam Schedulis ſcriptis, vel non ſcriptis, in occulto poſitis, ſiue ex conſideratione eius, quòd Aperienti Librum primò occurrit, & omnibus his modis Religioſus incurrit in Sortilegium propriè

propriè dictum. Hæc Diuinatio dicitur Sortilegium.

Religiosus, qui, Dæmone tacitè inuocato, diuersa Nomina collocat in Vrna, vt cognitionem assequatur illius Personæ, quę apud se tenet Furtum, quoniam certò credit, quòd ille, cuius Nomen educitur de ipsa Vrna, sit verè Fur, & Furtum teneat apud se, etenim Vanæ, & inutiles sunt istæ Sortes ad cognoscendum occultum, quòd soli Deo est notum, vel Angelis Bonis, non malis, ideò si tale occultum medijs naturalibus inquiratur, præsumitur, Via Dæmonis indagari, consequenter Dæmone tacitè inuocato, cùm Media illa sint ex se improportionata, vana, & inutilia ad cognoscendum occultum.

Religiosus, qui, Ope Dæmonis inuocata, omnem Diuinationem, quocumque modo impertinenti ad certam cognitionem occultorum, aut futurorum fiat, superstitiosè facit, & hoc est Sortilegium iuxtà Opinionem magis Communem, quæ vult, quòd quando agitur de Salute Animarum, & de euitando peccato, possit etiam in pęnalibus fieri extensio, quæ secundùm Iasonem dicitur potiùs similium peccatorum inclusio, vnde qui Diuinationis scientiam profitetur, est Sortilegus, & sub illo tertio Termino *Sortilegia* posito in primo Casu Clementino includitur omnis Diuinatio.

Religiosus, qui Artem Notoriam exercet ad Scientias subitò, & sine labore acquirendas per quædam Ieiunia, Orationes, & Eleemosinas, Figurarum quarumdam Inspectiones, Verborum ignotorum prolationes, & per alia Vana, & inefficacia, quæ non sunt Signa diuinitùs instituta ad Scientias comparandas, ergo pertinent ad quædam pacta Significationum cum Diabolo inita, cui Religiosus tribuit posse infundere Habitus Scientiarum, *quod solius Dei esse docet Augustinus lib.* 10. *De Ciuit. Dei Cap.* 9.

Religiosus, qui studendo, industriam, & laborem apponendo, ac faciendo, quod in se est ad Scientiam comparandam, vtitur simul vanis Obseruantijs, quibus sperat vel Vim memoriæ acquirere, vel facultatem, & acumen Ingenij, vel Organa Sensuum meliùs disposita, vel similia,

quæ virtute naturali fieri nequeunt, virtute autem Dæmonis, taliumque Obseruantiarum fieri aliquo modo valent Dæmone inuocato, ita Martinus Delrio lib. 2. q. 27. Disquisitionum Magicarum.

Religiosus, qui renuncians pacto Dæmonis incumbit Arti Notoriæ, & protestatur, se nolle, vt Dæmon concurrat, etenim Religiosus vtitur Medijs Vanis, Inutilibus, & Inefficacibus, quæ, vt talia sunt, virtutem habere non possunt nisi interuentu Dæmonis, ideò dicitur velle Pactum Tacitum, ex Suarez Tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 9. n. 19. Tum quia Protestatio non excusat, quando adest dubium, quòd Dæmon subsit talibus Obseruantijs, nec Pactum dissoluitur ex Vi talis Protestationis, vt notauit Torreblanc. lib. 11. de Iure Spirit. cap. 9. n. 1.

Religiosus, qui vana, inutilia, & inefficacia Media assumit ad Sanitatem dandam alteri, sic v. g. qui Cingulum, aut Indusium metitur addens certas, & determinatas Preces, vt Iudicium sumat, quis Sanctorum honorandus pro consequenda Sanitate, & hic Casus spectat ad Superstitiosam Obseruantiam Sanitatum.

Religiosus, qui Filum Canapinum assumit, quòd Puella Virgo neuerat, eoque vtitur circà Infirmum submurmuratis certis aliquibus Orationibus. Aut qui ad Sanandum ab Ictеritia, cum Filo de Lisso Staturam, & Brachia extensa Ægroti ter metitur, additis Circumstantijs Vanis, & inutilibus, necnon adiunctis certis Precationibus. Aut qui tribuit certum numerum Fructuum Infirmo, vt comedat, & sanetur à Febri Tertiana, vel Quartana, certa Verba Sacra adhibenda. Aut qui, vt sanet à Morbo Caduco, insufflat clam ad Aures Hominis tali Morbo arrepti hæc pia verba: *O Creatura Dei memento Creatoris tui*, & quia Obseruatio illa proferendi dicta Verba clam, & non palam est vana, ideò est Superstitiosa, & cum pacto Dæmonis tacito. Similiter si ad Aures Equi dolore Intestinorum vexati clam insuflet certa verba pia, vt Equm ad Sanitatem reuocet. Aut qui ad sanandum Equm in Pede, sicuti faciunt Fabri Ferrarij, impares cuiusdam Herbæ Particulas

Panno

Panno nouo inuoluit, & Collo Equi appendit, addendo aliquas certas Precationes. Aut qui ad Dolorem Laterum, vel Dentium, ſicuti faciunt Mulierculæ, depellendum, adhibet Atramentum, vel alium rem naturalem cum certo numero Crucium, vel Orationum, itaut ſi plures, vel pauciores ſint, non tollatur Dolor, & hoc ſignum eſt, quòd effectus non pendet à Cauſa naturali, ſed à Dæmone per exhibitionem Signi ab Eo inſtituti. Similiter qui certis, determinatiſque Crucibus ſignat Moneta Argentea Eriſipellim, & ſtatim ſanat: item qui precibus, & Pſalmis, additis Verbenæ, aliarumque Herbarum Suffumigijs quoſdam Morbos ſanare profitetur. Similiter, qui quædam Verba Sacra adhibendo, metitur Infirmum Filo, effodit Terram, quam pede calcauerat, vt ſanet à Morbo, qui vulgo dicitur Pedica Tagliata, Anima Caduta. Hæc omnia, conſtat, eſſe vana, Superſtitioſa, & Reſeruata in pręſenti Caſu, in quo Reſeruatur Obſeruantia Sanitatum, quæ Modis ferè infinitis committi poteſt.

Religioſus, qui ex quarumdam Rerum impertinentium Vi aliquid ſibi proſperum, vel aduerſum euenturum firmiter credit, aut qui Diem aliquem fauſtum in Hebdomada, & alium Diem infauſtum ſibi futurum eſſe, certò credit in aliqua ſua operatione, & hoc ſpectat ad Superſtitioſam Obſeruantiam Futurorum Euentuum.

Religioſus, qui aliquas Reliquias, Amuleta, Breuia, Euangelia, Scripturas Sacras, aut Orationes geſtat Collo appenſas, ſed ex Vi quorumdam Signorum Vanorum, & Circumſtantiarum inutilium, quæ Superſtitionem ſapiunt, firmiter credit, ſe aſſequuturum finem, ſcilicet, quòd Fortunam bonam conſequetur, quòd non peribit Morte Subitanea, quòd non morietur in peccato, & alia ſimilia ex dictis antea, & hoc ſpectat ad Superſtitioſam Obſeruantiam Reliquiarum.

Religioſus, qui certò credit, Miſſas non prodeſſe Animabus Defunctorum, niſi legantur ſeptem, cum ſeptem Candelis, certæ longitudinis, certi Coloris, & ſeptem Eleemoſinis, quaſi quòd dictus numerus ſeptenarius

tius solùm prosit in Suffragium.

Religiosus, qui Maleficijs vtitur, licet non à se ipso fabricatis, ad Morbos, ad Infirmitates, ad Homicidia, ad Infanticidia, ad Mortes Animalium, & ad alia noxia causanda, ad Agros, ad Vineas, ad Arbores, ad Segetes, ad Domos damnificandas, concutiendo *Elementa*, procurando Tempestates, Grandines, Fulgura, Tonitrua, Ventos, Pactum iniens cum Diabolo, & recitans quędam Verba Sacra.

Religiosus, qui recitatis Verbis Sacris, aduertenter se immiscet Maleficijs Ope Dæmonis, quocumque fine etiam bono, & quacunque causa id agat, eò quòd Maleficia suapte natura sunt mala ob Inuocationem, & Societatem cum Dæmone, consequenter in nullo casu possunt fieri licita, cùm *non sint facienda Mala, vt eueniant bona ex D. Paulo*.

Religiosus, qui à se ipso fabricauit Maleficium Ope Dæmonis, & prolatis quibusdam Orationibus, licet non sit vsus Maleficio, siquidem licet Maleficium non habuerit effectum, attamen quia est Abusus in Verbis Sacris, hoc sufficit, vt dicatur Reseruatum, sicut notauimus supra.

Religiosus, qui positiuè cooperatur Malefico per Manus ipsius veluti per Instrumentum, etenim Rem moraliter æstimando censetur conficere Maleficium, & sicuti in Excommunicationem incurrit non solùm qui legit Librum Hęretici, sed etiam qui ab alio audit, seu per alium legit huiusmodi Librum, sic in Reseruationem incidit non solùm qui Maleficium facit, sed etiam qui per alterius Ministerium facit Maleficium ex Bassæo Verb. Casus Reseruatus num. 40. §. 1. Vers. Per Sortilegia contra Mazzucchell. disp. 2. cap. 10. q. 8. num. 133.

Religiosus, qui Maleficium Amatorium siue intra Corpus, siue extra Corpus alteriùs applicat, vel Veneficium, reducendo Venena ad Pulueres, aut ad liquores, conficit per Introsumptionem, qui in Cibum, aut potum propinati Morbum, aut Mortem causant Personæ propinantis, vel

vel per applicationem extrinsecam, scilicet Vnguentis venenatis inungendo Personam veneficandam, vel sola Verba applicando, vel insufflando, tangendo, inspiciendo, alloquendo, vt Pacto Dæmonis concurrente multa noxia causet in perniciem Hominum, & cunctarum etiam Rerum, quæ sub Cęlo sunt.

Religiosus, qui recitatis quibusdam Precibus Philtrum, seu Poculum Amatorium Ope Dæmonis compositum ex fętidis Mixturis, quæ Virtutem habent irritandi Semen, & calefaciendi Corpus, propinat Mulieri, vt ab ea ametur amore inordinato, & ad hoc concurrit Dæmon alliciendo Voluntatem, numquam autem cogendo, admixtis in Philtro Reliquijs Sanctorum, Candela Benedicta, Oleo Baptismatis, extremæ Vnctionis, aut alijs huiusmodi Sacris, & Sacramentalibus; vnde si crediderit, Liberum Arbitrium sic cogi posse ad Amorem, esset putandus verè Hæreticus, nisi per ignorantiam excusaretur cum Homobono part. 2. cap. 2. Versic. sed quomodò.

Religiosus, qui (& est horrendum dictu) Hostiam Consecratam in puluerem redigit, & partem sumit ipse in Cibum, ac aliam partem tradit sumendam Mulieri, quam cupit ad turpem Amorem allicere, & hoc Maleficium Ope Dæmonis conficit, additis quibusdam Precibus. Idem dicatur, si Sacratissimum Christi Sanguinem det Mulieri admixtum in Poculo Amatorio, vt ad Amorem obscænum prouocet eam, interueniente Pacto, siue expresso, siue tacito cùm Dæmone.

Religiosus, qui Dæmone inuocato vtitur Hostia etiam non consecrata, super qua Missę fuerunt celebratæ, ad causandum impurum Amorem, & dat alteri, nam in Hostia non consecrata reperitur etiam Crux Christi, quæ est adoranda Adoratione Latriæ respectiua, & præsumitur, quòd Diabolus hoc fecerit in contemptum Sacrificij Missę. Tum quia qui vtitur Hostia non consecrata, & super ea celebrat Missas, tunc intendit, quòd Missæ addant Virtutem Hostiæ, & nisi crederet, Missas addere Virtutem tali Hostiæ, Missas super ea dici non curasset ex Scaccia

lib. 1.

lib. 1. cap. 12. num. 34. Versic. Quinimmò vlteriùs.

Religiosus, qui Maleficium altero Maleficio destruit, quàmuis illud ipse non confecerit, vt si Maleficium ingruentis Grandinis dissoluat figendo Clauum ferreum in Arbore cum quadam Sacrorum Verborum Prolatione, nam tacitè saltem inuocatur Dęmon, sicuti legitur etiam, fecisse Maritum quemdam à Dęmone edoctum, vt mingeret intra Anulum Matrimonialem Benedictum, qui est quid Sacramentale, eo fine vt non potens coire cum sua Vxore fieret potens inito Pacto cum Dæmone, & hoc modo Maleficium nouo Maleficio dissolueret.

In Reseruationem non incidunt

*Veneficiorum, Incantationum, Sortilegiorum.*

60. Religiosus, qui vi præcisa Idololatriam perpetrat, vt si v. g. Manibus, & Pedibus, quis pertractus Maumethum extrinsecus adoret propria omninò renitente voluntate, cùm explorati Iuris sit Metum, & Vim inter se maximè differre, violentum enim dicitur illud, quod fit ab extrinseco nullam conferente Vim passo, neque etiam eo cooperante, ex D. Thoma 1. 2. qu. 6. art. 5.

Religiosus, qui per Magiam naturalem, cognitis Secretis Virtutibus Rerum Naturalium, illasque commiscendo, producit effectus naturales quidem, sed vulgò incognitos, quia ignorantur communiter Rerum illarum particulares Virtutes, nam Magia Naturalis, quàmuis sępè accedat ad Magiam Demoniacam, non tamen damnatur Superstitionis.

Religiosus, qui aliquem mirum, & extraordinarium effectum operatur, de quo ęquale dubium est, an proueniat à causa naturali, an à Dęmone, multa enim sunt Secreta Naturæ, quæ Doctissimorum Virorum quandoque ingenia subterfugiunt; tum quia Dubium interpretandum est

est in mitiorem partem, tum quia Casus dubius non est Reseruatus iuxtà communem Sententiam.

Religiosus, qui ad Homines sanandos, vel alia Animalia ægrota adhibuit Incantationes, quas accepit à Maioribus, credens, se recitare Orationes legitimas, & approbatas, nec monitus fuit, vt desisteret.

Religiosus, qui Incantationes, ex Libris Magicis didicit, & sępiùs recitauit, sed illis nihil effecit, quàmuis grauiter peccet addiscendo, & recitando, ac grauiter puniendus sit.

Religiosus, qui Incantationibus inutilibus admiscet quædam Medicamenta naturalia, quæ virtute sua naturali Hominibus, vel Animalibus ægrotis sensim Sanitatem restituunt, & Sanitas non ex Vi Verborum, sed naturalium Medicamentorum subsequitur, quàmuis in Foro externo præsumatur Incantator, & veluti talis puniatur.

Religiosus, qui (vt de se ipso refert Eminentissimus Caietanus in Summula Verb. Incantatio) facta protestatione, nullum sibi esse negocium cum Dæmone, imposuit Filo Anulum, & recitauit Versiculum illius Psalmi solitum recitari ab Incantatoribus, vt Anulus moueatur, & saltet, sed Anulus non est motus, neque saltauit, quod denotat, illum Versiculum Psalmi non habere à se Virtutem mouendi Anulum, sed talem Virtutem habere solùm ex Pacto cum Diabolo, iuxta dicta num. 7.

Religiosus, qui ex Astris prædicit effectus, qui à Causis necessarijs proueniunt, vt sunt Ecclypses, Niues, Pluuiæ, Grandines, Siccitates, Venti, Morbi, & hæc spectant ad Astrologiam Naturalem, quæ satis conducit Agriculturæ, Medicinæ, Nauigationi. Aut qui ex puncto Natiuitatis alicuius Pueri coniectat illius temperamenta, ingenium, indolem, mores, & naturales propensiones, quia *ex D. Thoma: Astra directè agunt in Corpora*. Aut qui Astrologia Iudiciaria primi, vel secundi generis, videlicet Electionis, vel Reuolutionis vtitur, quia vtraque à Viris doctissimis damnatur non mortalis Superstitionis, sed solùm maximæ temeritatis, siquidem cognitio accepta ab Astris circa Res contingentes, est incertissima.

Religiofus, qui notat tempora, vel dies, quibus maior, vel minor influxus Cęlorum reperitur, feu quæ aptiora v.g. funt ad certas Herbas Medicinales colligendas, atque ad fcindenda ligna, vel ad euitandam Rerum corruptionem; nam hæc non excedit Vires Naturæ.

Religiofus, qui ex Manuum Lineamentis non certò, fed coniecturaliter folùmmodò fert Iudicium ingenij, inclinationis animi, bonæ, vel prauę valetudinis in aliquo. Aut qui ex fola curiofitate, & animo ridendi Chyromanticos confulit, nullamque eorum Diuinationibus præftat Fidem.

Religiofus, qui animo vano, nec verè fuperftitiofo, iocosè tantùm, & non feriò operam dat inquifitioni occultorum ex aliquibus vanis fignis, vt fi quæreret Smaragdum in Cerebro Gallinę, probè fciens, fe non inuenturum, tunc enim videtur effe tñ. culpa Venialis, imò nulla foret culpa, fi talis iocus ita opportunè, & decenter inftitueretur, vt ad Eutrapeliæ Virtutem pertineat ex Reginaldo lib. 17. cap. 17. num. 170.

Religiofus, qui occultorum, aut futurorum cognitionem quærit, non à Dęmone, fed à naturalibus Medijs, qualis per ea naturaliter poteft haberi, vt fi ex certis Auium Cantibus, aut Animalium motibus prænuncientur aliqua euentura, fic Cornicula Pluuiam fępè prædicit citò futuram, & Vefpertiliones longè à Domibus volantes indicant euenturam de proximo Serenitatem.

Religiofus, qui vtitur Virtute rei naturalis, quæ per Artem Notoriam cognita fuit, dummodò eius conferuatio, & vfus non dependeat à Dæmone, & ratio eft, quia talis vfus de fe eft bonus.

Religiofus, qui certò credit, quibufdam Orationibus, Pfalmis, Breuibus, Amuletis, Crucibus, & fimilibus ineffe Virtutem præferuandi à Malis, fed non vtitur ijs Superftitiosè, Referuatio enim eft contra Operantes, non contra Opinantes.

Religiofus, qui Reliquias, Agnus Dei Benedictos, Breuia, Amuleta, Orationes Sacras, & alia Sacramentalia geftat

gestat sine Superstitionis Vsu, sine vanis Signis, & inutilibus Circumstantijs, sed solùm ad Dei Sanctorumque honorem, in quo casu notat Toletus citatus lib. 4. cap. 16. n. 2. Versic. Quarta est, *monendum esse Religiosum, qui talia gestat, ne istis solis fidat, quasi sufficiant sine alio bono Opere ad Vitam æternam consequendam.*

Religiosus, qui certum Missarum numerum cum certo numero Candelarum, & certa hora celebrat, faciens hæc in Memoriam alicuius Mysterij, seu in honorem alicuius Sancti, modò non ita Fidem ponat in eo numero, vt non sit licitum illum augere, aut minuere, secùs si credat, non prodesse in maiori, vel minori numero.

Religiosus, qui, Ope Dæmonis inuocata, Maleficium attentauit, sed non compleuit, etenim Littera Reseruationis exigit semper Actum completum, & consumatum, nisi aliter exprimat Legislator. Aut qui firmum habuit propositum vtendi Maleficijs, sed non est vsus, eo quòd Reseruatio semper est intelligenda de Actibus externis cum effectu.

Religiosus, qui alterum docuit modum vtendi Maleficijs, secluso Maleficiorum Vsu, eò quòd aliud est docere, aliud est practicè exercere Maleficia, est tamen denunciandus Sacro Tribunali Inquisitionis. Aut qui dicit Maleficia, sed non est vsus Maleficijs, cùm Reseruatio non afficiat cognitionem vtendi Maleficijs, sed actualem vsum Maleficiorum.

Religiosus, qui tantùm permittit, consentit; consulit, inducit, aut mandat alteri, vt Maleficium componat, & adhibeat, eò quòd non verè, & propriè, sed fictè solùm, & interpretatiuè dicitur facere Maleficium, grauissimè tamen peccat, & Reseruatio afficit solùm verè facientes, dummodò aliter Lex non exprimat, nam pęnæ potiùs sunt restringendæ.

Religiosus, qui, Ope Dæmonis inuocata, Maleficium fecit, & applicauit alteri, sed sine nocumento, vnde cùm nullus effectus sequutus fuerit, non est abnoxius Reseruationi, licet grauissimè peccauerit, ex Paludano, Chapeauilla,

uilla, Mazzucchello, & alijs, quos Nos sequimur; secùs dicendum, si vsus fuerit in Maleficio Sacramentis, aut Sacramentalibus, sicuti iam antea notauimus num. 58.

Religiosus, qui Maleficiorum Signa, puta Capillos, Plumas, Ligaturas, nodos, & alia similia signa Fęderis Dęmoniaci posita à Maleficis tollit, aut comburit eo fine, vt Diabolus cesset nocere, quia sic nec nouum Pactum initur cum Dæmone, nec honor illi exhibetur, sed omninò contemnitur, & cum *Scoto supracit. Dissoluens Opera Diaboli meritoriè agit*.

Religiosus, qui licitis modis Maleficium dissoluit, puta Exorcismis approbatis, Aspersione Aquæ Benedictæ, Sanctorum Precibus, Delatione Reliquiarum, aut Agnorum cereorum benedictorum cum Fide, & fiducia Diuini Tutaminis, vera Pęnitentia, deuota Eucharistiæ perceptione, Inuocatione Sanctissimi Nominis Iesu, Beatæ Mariæ Virginis, aut Exercitio in Operibus pietatis christianæ, *quia pertimescit Satanas Piorum Vigilias, Orationes, & Ieiunia, docuit Sanctus Antonius Abbas*.

Religiosus, qui absque Dæmonis Auxilio Venena facit habentia virtutem suapte natura nocendi Hominibus, & Animalibus, iisque inferendi Morbos, Dolores, Infirmitates insanabiles, aut Mortem, quia hoc non est Veneficium Superstitiosum.

Religiosus, qui Ingredientia ad componendum Philtrum Amatorium colligit, vt Maleficus componat Maleficium, nec enim nondum intelligitur Maleficium factum, nec vtitur ipso, licet Materiam præparet, grauissimè verò peccat præparans Materiam ad tale Philtrum, seu Poculum Amatorium componendum, per quod ad Amorem, vel ad Odium quis prouocatur, vnde & hic Religiosus (idem dicitur de Consulente,) qui præparauit, multò magis, qui Philtrum effecit, obligatur ad omnia damna temporalia, quæ per Philtrum illata fuere, nec extinguitur talis obligatio, quàmuis puniatur, quia per hanc pęnam satisfacit solùm Iustitiæ Legali, sed non Parti lęsę, seu Iustitiæ Commutatiuę, ita omnes Doctores.

61. Numquid

61. Numquid Magus, & Astrologus tenentur restituere pecuniam, quam reportauerunt ab alio, si nec ille, nec iste iuxtà Pactum conuentum apposuit Operam suam pro effectu desiderato ponendo?

℞. Quòd vterque teneatur restituere in facta Hypothesi. Pecuniam accepit v. g. Magus, ad hoc vt ex Pacto conuento apponeret Operam suam, & Virtute Dæmonis liberaret à Tormento Torturæ Carceratum, sed non apposuit. Pecuniam accepit Astrologus, ad hoc vt ex Pacto conuento apponeret Operam suam, & diuinaret, quem effectum habebit v. g. Matrimonium contrahendum, sed non apposuit, & tunc, & ille, & iste, non adimplendo petitum, tenentur restituere pecuniam acceptam; contrarium dicas, si vterque Operam suam, quàmuis turpem, & illicitam, apposuit, siue postea sequatur effectus, siue non, quia tunc vterque faceret id, quod sui Muneris est, & non deciperet. Dixi autem *siue non sequatur effectus*, quia si conuenerunt cum obligatione, vt effectus sequatur, & hic non sequatur, tunc equidem vterque tenebitur restituere ratione Contractus Innominati, Do, vt facias, celebrati, qui affert obligationem exequendi id, quod cadit sub Contractu, aut restituendi Pecuniam acceptam, si non exequatur id, quod per Contractum intendit obtinere ille, qui pecuniam dedit. Restat ergo, quòd Magus, & Astrologus, si Operam suam non apposuerint iuxtà pactum conuentum, teneantur pecuniam acceptam restituere, ita Nauarra lib. 2. de Restit. cap. 2. p. 1. dub. 7., Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 38. n. 96., Salas, & alij, iuxtà illud: *Datum ob causam, causa non subsequuta, retineri non potest L. 1. ff. De Condit. ob Causam*, sic qui aliquid pretio æstimabile ad turpem actum ex pacto donauit Puellæ, hoc culpa Puellæ non sequuto, tenetur Puella in Foro Conscientiæ restituere apud Layman lib. 3. de Iust. Tract. 4. §. 3. Cap. 4.

62. Dubitabis, an Modus ille curandi Vulnus in loco etiam distanti per Medicamentum, quod vocant Sympaticum, reuera sit Superstitiosus, & cadat sub Reseruatione?

℞. Vtique esse Superstitiosum, secundùm Sententiam Probabiliorem, & magis communem, dum quis ad curandum Vulnus Personæ existentis in loco distanti vtitur Puluere Sympatico, quo medetur, vel Gladium sanguinolentum Vulnerantis, vel Petijas lineas Sanguine Vulnerati madefactas; quòd verò modus iste curandi vulnus sit Superstitiosus, constat, eò quòd effectus Curationis non potest prouenire à Causa creata, quæ naturaliter iuxtà veram Philosophiam nequit operari in tanta distantia, quæ sit extra Sphęram suę actiuitatis, immò nec potest agere intra Sphęram suæ actiuitatis, si illa per alia obiecta densa sit interrupta, sicuti Magnęs numquam attrahet Ferrum, si interponatur Paries, at Sphera actiuitatis Pulueris Sympatici interrumpitur per multa obiecta interposita, vt per multos Parietes, vbi clausę detinentur Petiæ linеę, quibus remedium applicatur, ergo effectus Curationis, cùm à Causa naturali creata esse non possit, stat, quòd sit à Diabolo. Neque dicas, virtute Sympatica Sanguinis transfundi efficaciam Medicamenti, quia sic etiam dicendum esset, quòd posset transfundi Virtus Veneni, & Mors inferri Vulnerato, cùm non sit maior ratio, quare Sanguinis Sympatia transfundat efficaciam Medicamenti, & non Virtutem Veneni, ita Homobonus De Casibus Reseru. part. 2. cap. 2. De Obseruantia Sanitatum, qui aliquos adducit dicentes, non adhuc esse decisum., quòd iste Modus curandi sit Superstitiosus.

63. Qua propter non sunt audiendi Ludouicus Bertrandus Loth, & Ioannes Petrus de Crescentijs in Præsidio Romano lib. 1. num. 113., qui volunt, renunciato priùs Pacto Expresso, vel Tacito cum Dæmone licitum esse vti præfato Medicamento, quia vel probabile, vel saltem dubium est, an effectus Curationis proueniat à Causa naturali, an verò excedat Vires Causę naturalis, vnde diximus & Nos num. 15., quòd in similibus Casibus censendum sit, effectum prouenire à Causa naturali, cùm pęnè infinitę sint Agentium naturalium Virtutes, quæ Nos latent, & Dubia in mitiorem partem interpretari conuenit, ex Sanchez

lib. 2.

lib. 2. Cap. 40. num. 44., ergo licebit vti tali Medicamento Sympatico absque vllo Vitio Superstitionis. Non, inquam, audiendi sunt, cùm omninò recedant à vera Philosophia, & certum sit, quòd interrupta Sphæra actiuitatis non possit Agens naturale suum producere effectum, vt dixi de Magnete, & Ferro, si interponatur Paries, ergo etiam certò hoc tenendum est de tali Medicamento Sympatico, consequenter si effectus curationis subsequatur, non erit quid naturale, sed erit quid Superstitiosum, & ex Pacto tacito cum Dæmone, propterea ab hoc Medicamento Sympatico prorsùs abstinendum est, prout talis ratio medendi non est naturalis, sed diabolica, & in præsenti *Casu Clementino* est Reseruata. Addit Diana part. 4. tract. 8. resol. 122. in Fine, quòd Episcopi, & Inquisitores curare debent, vt supradicta Medicamenta, quæ dicuntur Sympatica, à suis Diœcesibus eliminentur, & Carena De Sortil. tit. 12. §. 4. n. 29. concludit sic: *Medentes Medicamentis Sympaticis debent denunciari Sancto Officio, & in S. Officio Cremonæ huiusmodi sic, vel similibus Modis Medentes puniuntur grauissimè*.

64. Si tandem petas, an ad Vanæ Obseruantiæ Superstitionem spectet Experientia illa frequens apud Vulgum, nimirùm quando Religiosus Filum, dictum Horarium, à quo pendet Lapillus, vel Anulus inter Pollicem, & Indicem intra Poculum Vitreum, vel aliud Vas, tenet Suspensum, & audit Anulum ad latera Poculi Vitrei, vel alterius Vasis sonantem Horas?

℞. Quòd vtique spectat ad Vanæ Obseruantiæ Superstitionem Experientia hæc Fili Horarij, vt dignoscatur quota sit Hora Diei, ac Noctis ex numero Ictuum, quos dat Lapillus, seu Anulus tum in vna parte Vasis, tum in altera parte eiusdem, deinde Ictibus datis ponit se in medio Vasis perpendiculariter immobilem. Hoc pluries in sua Pueritia feliciter expertus est Eminentissimus De Lugo, existimans, quòd ex Motu Pulsus Digitorum, & ex Vi occulta alicuius celestis Constellationis Horarij illi Ictus in lateribus Vasis edi potuissent; sed suum pijssimus, & do-

ctissimus Purpuratus detestatus est Experientiam, referente P. Philippo Septimo ex eadem Societate Iesu Viro Virtutibus exornato, & Discipulo ipsius Delugo in Theologicis. Solum Hispanicum relinquens Delugo, vt Vrbem Romam illustrandam suis Doctrinis adiret, Fili Horarij artificio in longo itinere vtebatur ad dignoscendas Horas, sed vix Fines Italiæ attigerat, & Horam scire desiderans strinxit de more Filum, enumerauit Ictus Anuli percutientis Vitrum, & obstupuit inaudiens Ictus Horarum datos non ampliùs ad Vsum solitum Horologij Hispanici, sed ad Conformitatem Horologij Italici, hinc cautior factus Delugo prudenter iudicauit, & consequentiam deduxit, quòd à solo Dæmonis artificio fuerit illa fidelis Horarum Pulsatio, & nullatenus à Motu Pulsus, neque à Vi occulta alicuius cœlestis Constellationis prouenerit, cùm Natura adeò diuersam mutationem pati non possit de Confinio ad Confinium Locorum. Ex hoc edocetur Religiosus in nostro Proposito, ne vtatur Filo Horario, quia Superstitiosum est, ita Tamburinus in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. n. 79. iuxtà Testimonium præfati P. Philippi. Neque in hoc negocio requiritur immissio Anuli in Aquam, vt vult Delrius lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 3., qui propterea Superstitionem hanc reducit ad Hydromantiam, quæ est Diuinatio per Aquam. Neque requiritur recitatio alicuius Versiculi Psalmorum, sicuti prætendit P. Baldellus tom. 2. disp. Moral. disp. 15. n. 6., quemadmodum Oculis suis pluries vidisse testatur Tamburinus supracit.

65. Sed quomodò Confessarius se geret cum Religioso, qui inciderit *in primum Casum Clementinum?*

℟. Quòd Confessarius obtenta à suo Prælato Regulari facultate absoluendi, debeat beneuolè Religiosum Pœnitentem excipere, adiuuare, admonere, vt Spem totam ponat in Deum, nam quemadmodum Deus nulli claudit Viscera Misericordiæ, sed omnibus aperit, ita Ecclesia Sponsa Christi ei se conformans nulli Peccatori, ne quidem Hæretico, quoad Animæ Salutem, gremium præcludit, sed obuijs ipsum Vlnis recipit *Cap. Super Eo De Hæret. in 6.*

Debet

Debet eum inducere, vt Christianæ Fidei Scutum arripiens, nullis Dæmonum territamentis frangatur, *cùm debilis sit Hostis, nec vincat nisi volentem, inquit Augustinus Serm. 197. De Tempore*. Debet Religioso Penitenti suauem, & facilem reddere Conuersionem, & tollere Metum solitum incuti à Dæmone illis, qui à data sibi Fide recedere volunt. Debet animare ad Victoriam, quam de facili reportabit, si in suis angustijs *Mariam* deprecetur, vt ipsa per Filium Cor eius ad compunctionem illustret.

*66.* His suppositis Confessarius attentè audiat Religiosum, qui contrito Corde se Reum Superstitionum accusat. Interroget an Verbis, Sacris, vel Prophanis, an Sacramentis, vel Sacramentalibus vsus fuerit, à quo tempore se immiscuerit in actionibus Superstitiosis; an aliàs confessus fuerit huiusmodi Actiones, an in ipsis damna intulerit Proximo, quia obligandus erit Restitutioni, an Superstitiones docuerit etiam alios, & an Libros Maleficos habeat, & tunc obligandus erit amouere Scandalum, & Libros in Medium proferre; an Pactum expressum, an Tacitum inierit cum Dæmone, quia si Pactum Expressum, quod ferè semper intercedit, cum Dæmone composuit, dato etiam Chyrographo Pacti suo interdùm sanguine consignato, obligandus erit, si Chyrographum habeat apud se, vt illud perfringat, vel comburat, si verò Dæmon solus illud habeat, tunc non erit necessariò cogendus, vt reddat, quoniam, sicuti docet Suarez tom. 1. De Relig. lib. 2. cap. 17., quodcumque Pactum cum Dæmone initum sufficienter per Pęnitentiam dissoluitur. Interroget, an Idololatriæ, Hæresis, vel Apostasiæ in Superstitionibus flagitia etiam commiserit, solent enim sępè numero Malefici Dæmonem adorare pro Deo, abnegare Christum, renunciare Baptismo, ac Fidei, credere, Sacramentis nullam Virtutem inesse. Inquirat, an habeat aliqua Maleficia alicubi collocata, quæ necdum damnum intulerint, & res adhuc integra sit, nam non est absoluendus, donec quocumque modo licito futuris malis obsistere conetur.

Caueat Confessarius, ne quid, ad quod non extenditur sua potestas, resoluat, sed *ad Bullam in Cœna Domini, & ad Edicta Inquisitorum accuratè reflectat*. Inducto Pęnitente ad veram Pęnitentiam studeat, ipsum muniri firmo proposito non ampliùs se ingerendi in actionibus Superstitiosis, sed proficiendi in Christianis Virtutibus, & in Disciplina Religiosa. Iniungat deinde Pęnitentiam arbitrariam Religioso contrito, frequentiam præsertim Sacramentorum Pęnitentię, & Eucharistiæ, imponat Orationes tum Mentales, tum Vocales, vt semper Deo adhęreat, & tandem Beneficium Absolutionis elargiatur.



# SECVNDVS CASVS

Referuabilis à Superioribus Regularium
*Apostasia à Religione, siue Habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra Septa Monasterij, seu Conuentus fiat Egressio.*



1. ATrocitatem Apostasiæ à Religione denotat ipsiusmet Referuatio Pontificia, nec enim referuari posse permitteretur, nisi inter Delicta atrocia adscriberetur. Nihil profectò absurdius, nihil detestabiliùs est in Religioso, quàm Crimen Apostasiæ, per quod Professus Statum Religiosum in perpetuum deserit, & Iugum Sanctæ Obedientiæ, ac Disciplinæ Regularis temerè excutit, vt libidini, & alijs prauis affectibus liberiùs vacare possit, vnde Apostatam à Religione non dedecet id, quod scriptum est in Euangelio: *Nemo mittens Manum ad Aratrum, & aspiciens retrò aptus est Regno Dei*, adeò vt minus malum foret illi Viam Domini non agnoscere, quàm post agnitam retrocedere; quapropter sapientissimè *Clemens VIII.* intendens Scandalis, & transgressionibus, quibus Religiosi Professi libertate nimis licentiosa in Apostasia assuescunt, frenum ponere, Casum hunc secundam in Serie aliorum Referuabilium exhibuit Superioribus Regularium,

rium, & reseruari posse, permisit, & iste Casus de facto reseruatur *Patri Ministro Generali Ordinis Minorum Conuentualium num.* 1.

2. Apostasia igitur est nomen Græcum, quod Latinè defectionem significat ab his, quibus Homo Deo coniungitur, & definitur à Nostro Alensi 2. 2. Tract. De Apostasia: *Temerarius à Statu Fidei, Obedientiæ Ecclesiasticę, Ordinis Clericalis, aut Religionis Recessus*, propterea quatruplex est Apostasia, nimirùm Apostasia Fidei, Apostasia Obedientiæ Ecclesiasticæ, Apostasia Ordinis Clericalis, & Apostasia Religionis, Nobis verò non est hìc Sermo de Apostasia Fidei, quando scilicet quis ex toto temerè recedit à Fide, quam in Baptismo professus est, & dicitur Infidelis; non de Apostasia Obedientiæ Ecclesiasticæ, quando scilicet quis temerè recedit ab Ecclesia, vel quia non credit esse in Papa plenariam, & vniuersalem Authoritatem, & hic dicitur Hæreticus, vel quia credit, talem esse Authoritatem in Papa, sed ipsam contemnit, nec vult obedire propter aliquod interesse, vel alium malum finem, & hic dicitur propriè Inobediens, & non Apostata, non de Apostasia Ordinis Clericalis quando scilicet quis Clericatu reiecto fit Sęcularis, & Habitum Clericalem deserit, sed Nobis in præsentiarum solùm est Sermo de Apostasia Religionis, *qua quis Religiosus expressè, vel tacitè Professus sine licentia sui Superioris recedit ab Instituto Ordinis Religiosi sine animo reuertendi ad illud; aut transeundi ad aliud*, ex *D. Thoma* 2. 2. *qu.* 12. *art.* 1.

3. Supponendum hìc est, quòd quicumque Religiosus ex vi Professionis expressè, vel tacitè emissæ obligetur ad obseruandum aliquod genus Clausuræ, vt constat *ex Cap. Placuit* 2., *& ex Cap. Monachi De Statu Monach. lib.* 3. *tit.* 35., quæ obligatio in duobus consistit, nimirùm, *primò*, quòd sine Superioris licentia non possit Religiosus egredi è Monasterio, seu Conuentu, & toties grauiter peccat, quoties inconsulto Superiore Clausuram violat, ex Suarez De Relig. Tom. 4. lib. 3. cap. 6. num. 5., nisi ex paruitate materiæ v. g. per sex, aut decem passus, & ad modicum

tempus

tempus egressus excusari possit à Mortali cum Peyrino, & alijs, & hoc præcipitur *à Concilio Tridentino sess. 25. cap. 4.*, cùm ex vi Professionis Religiosus obligetur sub graui suis Prælatis Obedientiam præstare, & finere, se ab ijs gubernari; *secundò*, quòd non deserat Religionem, quam professus est, contrà quemdam Ioannem Vuicleff, natione Anglum, professione Præsbyterum, & Parochum, cuius quadraginta quinque Articuli damnati fuere *in Concilio Constantiensi anno* 1414., & diuersis Censuris notati, inter quos num. 35. locum habet ille, qui Religiosos erroneè, & scandalosè allicit ad apostatandum à Religione, & est huius tenoris: *Ingredientes Religionem sunt inhabiles ad obseruandum Diuina Præcepta, & perconsequens ad perueniendum ad Regnum Cęlorum, nisi apostatauerint ab ijsdem*, quapropter Romanus Pontifex *Clemens VIII.* aduertens maximum præiudicium, quod Religionibus vt sic in faciem Sæcularium suboriri poterat, decreuit, quòd à Superioribus Regularium possit reseruari Apostasia à Religione.

4. Vt igitur quis sit propriè Apostata à Religione, dicitur in pręallata definitione, quòd debeat esse Religiosus expresè, vel tacitè Professus, vt excludantur Nouitij, & aliæ Personæ, quæ tria Vota Solemnia non emiserunt per Professionem in aliqua Religione approbata à Sede Apostolica, non tamen excluduntur Patres Societatis Iesu, qui licet tria Vota solùm Simplicia emiserint post Biennium Probationis, tamen habent hoc ex Priuilegijs Pontificijs, vt dicantur verè Religiosi; & hìc nota, quòd Religiosus, vt tacitè Professus dicatur, tria exigit, & primò, vt Habitum gestet distinctum ab Habitu Nouitiorum; secundò vt intrà Monasterium deferat habitum per annum continuum; tertiò vt eo Habitu legitimè suscepto sciens, ac volens aliquod Opus perficiat, quod Iure, & Consuetudine solis Professis competit, eiuismodi est Suffragium in Conuentu ferre, iussu Superioris Sacris Ordinibus initiari, iuxtà Reginaldum in Foro Pęnit. lib. 18. cap. 26. n. 386.

5. Dicitur *sine licentia sui Superioris recedit*, & hæc est Criminosa Recessio, hinc qui cum licentia sui Superioris egreditur,

egreditur, v. g. transiens ad Religionem Strictiorem, vel Eiectus à Religione, vel secundùm Sacros Canones ad Dignitatem Episcopalem promotus, non est Apostata. Dicitur *ab Instituto Ordinis Religiosi*, ideſt à Religione approbata per Summos Pontifices. Dicitur *sine animo reuertendi ad illud, aut transeundi ad aliud*, propterea Recessio à Religione debet esse in perpetuum, & non ad tempus facta, siquidem per Recessionem in perpetuum à Statu Religioso quis verè dicitur Apostata, per Recessionem verò ad tempus dicitur solùm Fugitiuus spectato Iure Communi, licet secundùm peculiares Religionum Constitutiones Fugitiuus sub Nomine Apostatæ veniat. Nec sufficit ad Apostasiam propriè captam, quòd Religiosus recedat sine animo reuertendi ad suam Religionem, nisi etiam habeat animum recedendi in perpetuum ab omni Statu Religioso, & nolendi permanere sub Obedientia Religiosa alicuius Prælati, quod est benè notandum, vt secundùm Ius commune distinguamus Apostatam à Fugitiuo, cùm Fugitiuus absque licentia sui Superioris recedat à Statu Religioso solùm ad tempus, vt denuò redeat ad illum, & colligitur *ex L. Quid sit Fugitiuus ff. De Edilitio Edicto*, at verò Apostata recedit in perpetuum sic, vt nec ad Religionem, quam professus est, redire intendat, nec ad aliam transire, ideò omnis Apostata à Religione est Fugitiuus, sed non omnis Fugitiuus à Religione est Apostata, ex Syluestro Verb. Apostasia qu. 4. num. 9., & ex alijs.

6. Colligas ex hoc, quòd peccatum Apostasię, & peccatum Fugę à Religione licet inter se differant secundùm magis, & minus, moraliter tamen, & in praxi censentur duo peccata specie differentia, ideò ab Apostata in Confessione est necessariò explicandus animus non amplius reuertendi ad Statum Religiosum; tum quia *Clemens VIII.* distinguit Casum Reseruabilem Apostasiæ Religionis à Casu Reseruabili Fugæ in Casibus secundo, & tertio; tum quia animus non ampliùs reuertendi est Circumstantia notabiliter aggrauans, ideò est necessariò explicandus, sicuti si quis frangeret Ieiunium comedendo pluries in die, & comedendo

dendo Carnes, deberet necessariò confiteri Comestionem Carnium, quia est Circumstantia notabiliter aggrauans, & licet Sententia contraria apud Doctores sit speculatiuè probabilis, practicè tamen non videtur admittenda iuxtà nostrum Fabrum in 4. disp. 24. cap. 1. num. 18., & tam Apostata, quàm Fugitiuus, si Habitum Religiosum dimiserit, debet hoc exprimere in Confessione propter Excommunicationem, quam dimittendo Habitum suæ Religionis vterque incurrit *ex Cap. Vt periculosa Ne Clerici, vel Monachi in 6.*

7. Aduertendum, est, quòd ad Apostasiam à Religione reducatur tùm Apostasia ab Habitu, quæ consistit in hoc, quòd Religiosus temerè dimittat Habitum Religiosum, tùm Apostasia à Monasterio, seu à Conuentu, quæ consistit in hoc, quòd Religiosus sine licentia Superioris egrediatur ab ipso. Licentia autem est triplex, videlicet Expressa, Tacita, & Præsumpta; *Expressa* est illa, quæ verbo, voce, vel scripto obtinetur à Superiore ad exeundum è Monasterio, seu Conuentu. *Tacita* est illa, quam quis petit à Superiore, & Superior Subdito petenti nihil respondet, licet post petitam licentiam videat exire, Superior enim tacendo censetur consentire *Cap. Non ne, suncta Gloss. in Verb. Tacendo de Præsumptionibus lib. 2. tit.* 23. Licentia *præsumpta*, quæ ab aliquibus Doctoribus dicitur Interpretatiua, est illa, quæ nec expresè verbo, voce, vel scripto, nec tacitè obtinetur à Superiore, sed præsumitur, quòd concederetur, si a Superiore peteretur, at quia Superior est absens, vel quia de facili non potest haberi præsens, ideò Subditus egreditur, qua tamen licentia pręsumpta non potest Subditus vti, nisi ab vrgenti necessitate moueatur ad exeundum, sicuti esset v. g. necessitas audiendi Confessionem alicuius Sæcularis Infirmi ad Mortem, nec tempus suppetit adeundi Superiorem pro Licentia, aliàs Infirmus morietur Inconfessus, in hoc vtique Casu, & in alijs huiusmodi Licentia præsumpta iustificat Egressum, & liberat Subditum ab Apostasia à Monasterio, seu Conuentu.

8. Aduertendum est etiam ex Gesualdo part. 1. tract. 10. cap. 2.

cap. 2. num. 6., quòd Apoſtaſia à Religione ſit triplex; prima dicitur interna, ſecunda externa tantùm, & tertia interna ſimul & externa. *Interna* habetur, quando Religioſus in Monaſterio corpore viuit, mente tamen alienata à Religione, & potiùs reuertendi ad Sæculum. *Externa tantùm* habetur, quando Religioſus ex mala voluntate egreditur è Monaſterio, & vagatur per Mundum ſiue Libidinis cauſa, ſiue alio malo animo peccandi, intentione tamen non deſerendi Religionem, ſed redeundi. *Interna ſimul, & Externa* habetur quando Religioſus corpore, & animo ſimul deſerit Religionem cum intentione non ampliùs ampleƈtendi Statum Religioſum; per *primam* Apoſtaſiam, etiamſi Religioſus apud Deum, qui Hominum Corda reſpicit, verus ſit Apoſtata, non tamen incurrit in Reſeruationem Secundi Caſus, quæ intelligitur ſolùm de Aƈtionibus externis, & conſummatis, per *ſecundam* Apoſtaſiam Religioſus largè ſolùm, & impropriè dicitur Apoſtata, quia habet intentionem redeundi, & propriè dicitur Fugitiuus, vt videbimus in Tertio Caſu, per *tertiam* Apoſtaſiam Religioſus verè, & propriè dicitur Apoſtata, quia Religionem in perpetuum deſerit, cum intentione numquam ampleƈtendi Statum Religioſum, & de huiuſmodi Apoſtaſia procedit hic Secundus Caſus Reſeruabilis, *ſtando in Iure Communi*.

9. Elucidatur modò Secundus Caſus Reſeruabilis *per Clementem VIII.* Dicitur in primis: *Apoſtaſia à Religione*, quorum Verborum elucidationem habes ſuprà. Dicitur etiam: *ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento*, nam Habitus eſt ſignum Religionis illius, quam Religioſi profitentur, & illa verba indicant, quòd ad Apoſtaſiam à Religione nihil refert, an Habitus Religionis dimittatur, nec ne, ſed ſufficit, quòd Apoſtata recedat à ſua Religione cum animo non ampliùs reuertendi ad eam, nec tranſeundi ad aliam, quia *ſicut Habitus non facit Monachum, ſed Monaſticæ Regulæ Profeſſio*, ſic Apoſtatam facit Receſſus perpetuus à Monaſtica Profeſſione, etiamſi Habitus non dimittatur, ex Suarez Tom. 4. De Relig. lib. 3. Cap. 1. num. 14.

10. Sed

10. Sed numquid *ſecundùm Ius Commune* grauius eſt pactum Apoſtatæ dimittentis Habitum ſuæ Religionis, quàm eum Retinentis?

℞. Quòd quidem grauius ſit, eo quòd Apoſtata Habitum retinens non habeatur pro Excommunicato *ſecundùm Ius Commune*, benè quidem Habitum dimittens, ſi *temerè*, ideſt ſine iuſta, & rationabili cauſa dimittat, & non quia Apoſtata ſit, quòd conſtat *ex Cap. Vt Periculoſa Ne Clerici, vel Monachi in 6. Vt Periculoſa Religioſis ſubtrahatur euagandi materia. De Religioſis Domibus ibi: diſtrictiùs inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumque Religionem tacitè, vel expreſsè profeſſus, in Scholis, aut alibi temerè Habitum ſuæ Religionis dimittat; ſi quis autem temerarius horum Violator extiterit, Excommunicationis incurrat Sententiam ipſo facto; ità Ius Commune.*

11. Aduertendum eſt tamen, quòd tres debeant concurrere conditiones, vt talis Excommunicatio incurratur, & *prima* eſt, vt verè quis cenſeatur dimittere Habitum propriȩ Religionis, vel in perpetuum, vel ad tempus, ita ſcilicet, vt verſetur in alio Habitu, ſic vt ex Habitu non cognoſcatur eſſe Religioſus tali Ordinis; *ſecunda* eſt, vt *temerè*, ſcilicet abſque iuſta, & rationabili cauſa dimittat Habitum, quoniam ſi iuſta & rationabilis cauſa accedat, non innodatur ea Excommunicatione, vt v. g. ſi Habitum dimittat cauſa mutationis, mundationis, lauationis, reparationis, infirmitatis, tranſitus per loca Turcarum, Saracenorum, Hæreticorum, vel aliorum Chriſtiani, aut Religioſi Nominis Hoſtium, ad quietiùs dormiendum, & fugiendum calorem ȩſtiuum, ad modeſtam recreationem, etiàmſi ad modicum tempus in Conuentu Habitus Hiſtrionum aſſumat, cùm in his, & ſimilibus non habeatur propriè Habitus dimiſſio, ſed ſpoliatio, quæ duo ex Suarez tom. 5. in tertiam partem diſp. 23. ſect. 4. num. 27. valdè differunt inter ſe; *tertia* tandem eſt, vt Habitus dimiſſio ſit talis, quòd attentis circumſtantijs ſit apta ad periculosè vagandum, hoc enim voluit impedire *Summus Pontifex* per illum Textum præcitatum.

12. Dixi suprà *secundùm Ius Commune*, quia ex Priuilegijs habent hoc Religiosi, vt Apostatæ, etiam quòd deferant Habitum, sint Excommunicati, vt videre est in Compendio Priuilegiorum Verb. Apostata ab Ordine per totum; singulariter tamen *Bonifacius VIII.* concedit Prælatis Ordinis Minorum, vt Apostatas, & Insolentes dicti Ordinis, nisi salubribus monitis Prælatorum Religionis acquiescant, excommunicare, capere, ligare, & Carceri tradere (si videbitur expedire) possint, & valeant; & *Innocentius VIII.* statuit, quòd quicumque Frater Minor Regularis Obseruantiæ absque licentia Generalis, vel Prouincialis sui, præsumpserit recedere ab eorum Obedientia, seu apostatare, ipso facto Excommunicationis Sententia ligatus sit, & idem Priuilegium concessum fuisse Societati Iesu *à Pio V., & à Gregorio XIII.* constat ex Compend. Priuil. citato.

13. An autem Religiosus retinens Habitum suæ Religionis, sed ità occultans, vt nullo modo appareat, in Excommunicationem incurrat?

℟. Secundùm Sententiam probabiliorem incurrere, eo quòd ità occultans, estò Habitum materialiter non dimittat, formaliter tamen in ordine ad Videntium notitiam dicitur dimittere, quem dimissionis modum *Summus Pontifex* voluit sub Excommunicatione prohibere, vt constat ex fine, quem Textus statuit, *vt scilicet periculosa Religiosis euagandi materia subtrahatur*, ità etiam sensit *Gloss. in Clement. 2. De Vita, & Honest. Cleric.*, quàmquàm contrarium senserit Panormitanus *in Cap. Deus, qui extrà*, & hoc etiam confirmatur à pari *ex Cap. Nonnullis De Iudęis*, vbi certa pęna Iudęis imponitur, si Signum quoddam à Christianis distinctum non gestent, & eadem pęna afficiuntur, si illud gestent, sed occultent, cùm idem sit non gestare, & occultè gestare, vt non appareat; id ipsum quoque dicitur de Religioso Apostata, qui retinet Habitum proprium suę Religionis, sed alio Habitu super indutus occultat proprium, adeò, vt nequeat ab alijs cognosci tamquam Religiosus talis Ordinis. Tum quia *ex Iure nouo Concilij Tridentini Sess. 25: Cap. 19. in fine statutum est, ne detur licentia*

*licentia cuiquam Regulari occultè ferendi Habitum suæ Religionis.*

14. Verùm quid si Religiosus occultaret solùm partem Habitus Religionis illius, quam professus est?

℞. Quòd Religiosus occultans si cognoscatur per illam partem Habitus, quòd sit reuerà Religiosus proprij Ordinis, non peccabit saltèm mortaliter, consequenter nec incurret in Excommunicationem, secùs verò dicendum, si non cognoscatur, quòd sit Religiosus proprij Ordinis, quia non sufficit ad effugiendam Excommunicationem, quòd appareat Religiosus simpliciter, sed necesse est, quòd appareat Religiosus sui proprij Ordinis, eo quòd si illa pars manifestet Statum Religiosum in Communi, & non sit Signum illius Religionis, cuius Habitum deferre tenetur, tunc nec à peccato graui, nec ab Excommunicatione excusatur, ità Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. n. 11.

15. Numquid fortè Religiosus dimittens Habitum suæ Religionis, vt commodiùs cognoscat Meretricem, incurrit in Excommunicationem?

℞. Quòd vel dimisit habitum suæ Religionis in Conuentu, & indutus Habitu alienæ Religionis, vel Habitu Seculari perrexit ad mæretricandum, & tunc incurrit in Excommunicationem, quia Habitum suæ Religionis temerè dimisit in Conuentu, vt de Conuentu discedens vagetur ad Domum Mæretricis, vel dimisit Habitum suæ Religionis extrà Conuentum, scilicet in Domo ipsius Mæretricis, vt cum ea commodiùs mæretricetur, & tunc non incurrit in Excommunicationem, quia deficit Vagatio, quæ est finis *Textus Vt Periculosa*.

16. An verò Religiosus, qui propter Delictum patratum retinet quidem habitum suæ Religionis, sed coopertum altero, quia maximè timet Iustitiam, incurrat in Excommunicationem?

℞. Quòd profectò incurrat iuxtà superiùs dicta, & sic iudicatum fuisse Venetijs testatur Graffius lib. 3. cap. 2. num. 38., tùm quia Religiosus ex dictis gestans Habitum suæ Religionis coopertum altero perindè est, ac si non

 gestet,

gestet, cùm non cognoscatur tamquam Religiosus talis Ordinis; tùm quia prædictus timor, cùm sit respectu pęnæ benè meritæ, non dicitur excusabilis, & iustus, benè quidem punibilis, consequenter dimittendo Habitum incurrit in Excommunicationem.

17. Quid verò dicendum de Religioso Societatis Iesu, qui in Italia incederet cum Habitu sæculari?

℞. Contrà Sanchez lib. 6. cap. 8. num. 70., quòd non posset excusari ab Excommunicatione præfati Textus, quoniam est verè Religiosus, hæc autem Excommunicatio ligat omnes, & solos Religiosos; tum quia contrà Sanchez licet in genere Societas Iesu non habeat Habitum particularem, istum tamen habet in singulis Regionibus, per quem Religiosus Societatis distinguitur à Religiosis aliarum Religionum, ità Filuccius, & Bonaccina De Clausura disp. 2. punct. 2. num. 24., vnde sicuti Religiosus Societatis grauiter peccaret deferendo hic Foroliuij habitum secularem, & dimittendo proprium, ita quoque in Excommunicat. incurreret.

18. At quid tandem dicendum est de Religioso dimittente Habitum in Lecto, vt quietiùs dormiat?

℞. Non incidere in Excommunicationem, cùm non habeatur finis Textus *Vt Periculosa*, *scilicet vt Religiosis subtrahatur euagandi materia*, cæterùm quòd mortaliter peccet dormiens in Lecto, Habitu suæ Religionis dimisso, tenet Grassius lib. 3. Decis. Cap. 5. n. 75., præsertim si Religiosus omninò nudus sine causa in Lecto dormiat, & hoc deducit *ex Cap. Vidua 20. qu. 1. per hæc verba*: *Seu in Lecto quiescens, siue in quocumque loco consistens, constanter vtatur apta Religionis Professioni Veste*, & quasi idem asseritur *Cap. Sanctimonialis dist. 23.*, verùm circà hoc attendendæ sunt semper cuiusque Religionis Leges, Statuta, & Consuetudines, quia vt benè notat Donatus Rerum Regularium Tom. 1. p. 2. tract. 6. qu. 10. num. 6. *vbi Lex Municipalis loquitur, silet Vniuersalis* & in Mea Religione, quantùm ad præsens spectat, sic statuere *Statuta Generalia Sambucana Cap. 2. §. 9. num. 13. Qui sine*

*Habitu*,

*Habitu, Capucio, Chorda, & Femoralibus, nisi causa Infirmitatis, de consilio Medici, & licentia Superioris dormierit, coram Fratribus Capitulariter congregatis, genuflexus, sine Capucio, in pane, & aqua ieiunet.* Patet igitur ex vsque modò dictis, quomodò intelligenda sint illa Verba: *Siue Habitu dimisso, sine retento*: posita in Secundo Casu Reseruabili, & quando Dimissio Habitus inducat Excommunicationem Textus *Vt Periculosa*, quæ tamen Nemini est Reseruata.

19. Dicitur quoque in præfato Casu sic: *Quando eò peruenerit*, quæ Verba maximam denotant in Religioso Claustrali, & Obedientiæ subiecto temeritatem. Dicitur tandem: *Vt extrà Septa Monasterij, seu Conuentus Egressio fiat*, ideft si Religiosus egrediatur extrà Muros, qui cingunt, seu extrà Sæpes, quæ sepiunt Monasterium, seu Conuentum, siue extrà illa loca, quæ immediatè adiacent partibus principalibus Fabricæ, sicuti est Ecclesia, aut Sacristia, vbi adnotat Bordonus Resol. 41. num. 7., quòd non sufficit quæcumque Egressio è Monasterio, sed debet esse extrà Monasterium, quòd denotat Apostasiam non fieri Reseruatàm per quamcumque Egressionem, sed per Iter factum extrà Monasterium, ly enim *Extrà* maiorem habet vim, ex quo sic exprimatur, quàm habeat, prout continetur in Verbo composito *Egredior*, quod non ità extensè indicat Iter, sicuti indicat illa præpositio adiecta, scilicet ly *Extrà*, quæ tamquam geminata significatio actionis maiorem inducit extensionem, & plùs operatur, quàm simplex Verbum, *L. Balista ff. ad Trebell. iuncta gloss. fin. ff. de pignor. act.*

20. Vsque adhùc iuxtà *Ius Commune* loquuti sumus, in quo nulla pena contrà Apostatas à Religione retinentes Habitum inuenitur iniuncta, vt verò loquamur *secundùm Iura specialia, & secundùm Statuta particularia*, nec non secundùm Consuetudines, quæ in præsenti vigent apud Regulares in ordine ad Apostatas à Religione, hoc primò aduertendum propono, quòd Religiosus Apostata dicitur quisquis sine legitima sui Superioris licentia extra Claustra

per

per aliquod tempus vagatur, Habitu etiam retento, & cum animo reuertendi ad Religionem, & quàmuis Fugitiuus propriè dicendus sit, & impropriè Apostata, tamen apud Nos & nomen, & pęnæ Apostatarum contrà dictum Religiosum procedunt, vt adnotauit Ameno de Delictis Tit. 2. §. 1. Apostasia num. 9., & quòd id fuerit definitum *per Statuta Papalia Iulij II. Cap. 7. part. 31.*, refert Sanctorus Comment. in Stat. Francisc. Cap. 2. Stat. 61., Verba verò Pontificia sunt hæc: *Intelligimus autem Apostatam omnem, qui sine licentia, vel contra Obedientiam suorum Prælatorum per Terras, Loca, seu Patrias cum Habitu, vel sine, cum Socio, vel sine illo iuerit, atque quomodolibet discedentem, sic Iulius II.*, *quapropter Statuta Nostra Generalia Sambucana Cap. 2. §. 8. De Apostatis*, Religiosos quomodocumque Fugitiuos è Claustris nominant Apostatas, & tamquàm Apostatas plecti decernunt Pęnis proportionatis Gradui Apostasiæ commissæ, scilicet leuis, leuioris, leuissimæ, grauis, grauioris, grauissimæ, vt in *ijsdem Statutis babetur num.* 4., 6., 7., 10., 11., & 15., sicut examinabimus infra num. 36., 37. Religiosi verò cæterorum Ordinum proprias Leges, & proprias Constitutiones consulant, vbi pęnas commensuratas Gradibus Apostasiæ habebunt.

21. Aduertendum etiam propono, quòd omnes, & singuli Nostri Ordinis Apostatæ, *ex Priuilegio Innocentij IV.* concesso Prælatis Minorum, sunt ipso facto, & statim Excommunicati Excommunicatione maiori, quæ à communione Fidelium separat, ad differentiam Excommunicationis minoris, quæ perceptione Sacramentorum priuat *ex Cap. Si Quem De Sent. Excomm. lib. 5. Tit. 39.* Dixi autem ly *Statim*, eò quia licet *in Nostris Statutis Cap. 7. §. 6. num.* 40. declaretur, quòd pęnæ, sicuti sunt Priuatio Vocis Actiuæ, & Passiuæ, pęnæ Carceris, Ieiunij, alięquæ pęnæ afflictiuæ Corporis, & Censuræ inflictæ cum Clausula illa *ipso facto* non incurrantur statim, sed solùm post Declarationem Criminis factam à Prælato, attamen hoc non procedit in Excommunicatione, quæ *per Nostra Statuta*

*tuta fertur in Cap.* 2. §. 8. *num.* 2. contrà Omnes, & singulos Ordinis Apoſtatas, & hoc eſt ſpeciale in Religioſo Apoſtata, & Fugitiuo è Clauſtris, ſiue Habitu retento, ſiue dimiſſo, & vt notat *Gloſſa in Verb. Ipſo facto Cap. Vt periculoſa*, *ly ipſo facto* idem importat *ac ſtatim*, & nulla facta Declaratione Criminis à Prælato, ſicuti optimè aduertit P. Matthæuccius in Officiali Curiæ Regularis Quoad Apoſtatas num. 36. Vide quæ dixi ſuprà in n. 12.

22. Sed numquid in Excommunicationem, & in cæteras pęnas afflictiuas Corporis Statutas Apoſtatis incurret Religioſus, qui ſine legitima ſui Superioris licentia cum prætextu ad ſuos Superiores maiores accedendi diſcedit à Monaſterio?

℞. Quòd ſic, ſaltèm *ex Noſtris Statutis Sambucanis de Apoſtatis* §. 8. *num.* 1. & hoc prohibetur *à Concilio Tridentino Seſſ.* 25. *de Regularibus Cap.* 4., vbi clarè legitur: *Nec liceat Regularibus a ſuis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto Mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum tamquàm Deſertor ſui Inſtituti puniatur*, ergo cùm hic Religioſus ſit Fugituus, erit etiam Apoſtata, & Excommunicatione, aliiſque pęnis Apoſtatarum puniendus, prout colligitur ex ipſomet *Concilio Tridentino*.

23. At quid dicendum, ſi Religioſus ſine legitima ſui Superioris licentia diſcedat à Monaſterio, vt Superiorem Maiorem adeat ad finem tollendæ grauis, & iniuſtæ vexationis, qua afficitur à Superiore ſuo?

℞. Quòd vel Religioſus iam paſſus eſt à Superiore ſuo iniuſtum grauamen, nec de futuro aliud timet iniuſtè, in quo Caſu eſſet tamquam Apoſtata puniendus pęna excommunicationis, aliiſque pęnis Conſtitutionum Religionis, ſi Superiorem Maiorem ſine legitima facultate adeat pro ſola reſtitutione Famæ obtinenda, hoc enim facere poterat per Litteras; vel Religioſus nondùm à Superiore ſuo paſſus eſt iniuſtum grauamen, ſed timet, quòd ſit de Proximo paſſurus, & tunc nec eſſet Apoſtata, nec tamquàm

tamquàm Apoſtata puniendus foret, ex Portello Noſtro Verb. Apoſtata num. 6. Neque hoc obſtat Verbis prçallatis *Concilij Tridentini*, ſi benè notetur illa Dictio *Prætextu*, quæ denotat cauſam coloratam, falſam, fictam, friuolam, & leuem, in quo Caſu *Sacra Congregatio* Decretum edidit contrà Regulares *ad Vrbem* temerè, leuiue ex cauſa accedentes abſque ſuorum Superiorum licentia, quod Decretum tranſcriptum habes *in Noſtris Statutis Sambucanis cap.* 7. §. 9.; in noſtro autem Caſu Religioſus non dicitur *cum prætextu* accedere ad Superiorem Maiorem, ſed cum cauſâ reali, vera, & graui, eo quòd accederet ob tollendam iniuſtam, & grauem vexationem, ſic volente Iure Naturæ, & Defenſione ſui ipſius contrà iniquum Oppreſſorem, ideò nec mirum, ſi in tanta neceſſitate diſcedat è Monaſterio ſine licentia, cùm præſumat licentiam illius Superioris, ad quem vadit, & propterea adiens Superiorem Maiorem videtur appellare *Cap. Dilecti* 2. *De Appellatione*., *neque Concilium Tridentinum* ſuſtuliſſe, credendum eſt, Appellationem adeò legittimam, & iuſtam, ex Nauarro Conſil. 4. num. 5. De Appellat.

24 Addit egregiè Diana part. 3. tract. 2. Reſol. 115., quòd ſi Religioſus præfatus timeat, ne non Superior iniquus per Manus Cuſtodum in Itinere eum capiat, poterit ſine Scrupulo Habitum Religionis dimittere, & abſque peccato, donec tutò ad Superiorem Maiorem peruenerit, & ad ipſum appellet. Neque hoc improbant *Sacri Canones*, quia iſti damnant ſolùmmodò dimiſſionem Habitus Religionis, quæ *temerè*, & abque iuſta, & rationabili cauſa fit, hìc verò adeſt iuſta, & rationabilis cauſa, quæ eſt timor grauaminis maioris iniuſtè patiendi; tum quia portare Habitum Religionis eſt præceptum ſolùmmodò humanum, ergo non obligat cum tanto incommodo, quale eſſet periculum, quòd Subditus probabiliter timet famæ, Carceris, & iniuſti grauaminis; tum quia eadem neceſſitas, quæ facit, quòd abſque peccato Religioſus poſſit abſque licentia Superioris Localis accedere ad Superiorem Maiorem, facit etiam, quòd abſque peccato poſſit dimittere

tere Habitum Religionis, cum vrgeat idem periculum. Facit ad hoc id, quod ait Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 37. art. 3., Reclamans scilicet ob nullitatem Professionis intrà quinquennium (*si cum Tridentino Sess. 25. De Regul. Cap. 19. Habitum antea spontè dimiserit, nullatenùs ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquàm Apostata puniatur*) adhùc possit audiri, & debeat admitti, si iustam, & rationabilem Causam dimittendi Habitum habuerit, qualis esset v. g. si non potuerit habere licentiam eundi ad reclamandum, si non potuerit ire nisi Habitu anteà dimisso, si non fuerit sibi permissum Causas allegare coràm Ordinario, & propterea stantibus his fugit Habitu dimisso, vt reclamet; pari etiam passu possumus loqui de Religioso cum præfatis Circumstantijs accedente ad Superiorem Maiorem, & necessitato ad dimittendum Habitum Religionis, vt coràm eo Causam proponat suæ Appellationis, ac sui iniusti grauaminis, quapropter nec Apostata est reputandus, nec Excommunicatione est innodatus, nec pęnis Apostatarum est punibilis.

25. Verùm quid si Religiosus habeat suas Litteras Obedientiales pergendi v. g. de hac Ciuitate Foroliuij ad Vrbem Romæ, sed in Itinere Habitum suæ Religionis dimittat, & Sæcularem, vel alienæ Religionis Habitum induat?

℞. Quòd hic Religiosus non est censendus Apostata, nec Fugitiuus, etenim recederet à Prouincia cum legitima sui Superioris licentia, esset verò ligatus Excommunicatione *Cap. Vt Periculosa* lata contrà Regulares, qui ad finem euagandi liberiùs, Habitum sue Religionis *temerè*, & sine rationabili causa dimittunt. Immò eamdem Excommunicationem incurreret Religiosus, etiamsi Habitu dimisso remaneret inclusus in Domo Sęcularium sine animo vagandi, ratio est, quia Textus citatus non quęrit talem animum, sed solùm occasionem vagandi, *Gloss. Versic. Vagandi materia In Extrau. Ioannis 22. Execrabilis, & L. Si quis Domesticorum C. De Domest. & Protect.* Præfatum verò Re-

 ligiosum

ligiosum tunc haberem excusatum ab Excommunicatione, si ignorans Excommunicationem latam contrà Dimittentes Habitum dimisisset, quia non diceretur *temerè* dimisisse, & generaliter ignorans Legem non dicitur *temerè* operari contrà eam, sed ille solùm, qui *scientèr* operatur contrà Legem, & cum contemptu.

26. Placet hìc notare, quòd Religiosus Habitum suæ Religionis ad breue tempus dimittens non contrahit Excommunicationem Textus supracitati, quia non dicitur dimitti, quod breui tempore sumendum est *L. Diuortium ff. de Diuortio*; tempus verò notabile, vt incurratur præfata Excommunicatio, extendit Bonaccina qu. 2. de Clauf. Punct. 2. num. 21. ad duas, vel tres horas, at veriùs videtur sentire Bordonus Resol. 35. num. 9. dicendo, quòd si Religiosus dimittens Habitum sit Strictioris Obseruantiæ, vt in Excommunicationem incurrat, sufficit tempus vnius Horę, si sit Religiosus mediocris Obseruantiæ, sufficiunt duæ Horæ, si sit Religiosus laxioris Obseruantiæ, sufficiunt tres Horæ, vt tempus dicatur notabile, si autem loquamur de Monialibus, notabilem censeo Dimissionem vnius Horæ spatium, licet sint ex laxioribus, quia notabiliter id dedecet illas, non sic Viros, maximè attentis rigoribus Clausuræ, & periculis, quæ incurrere possunt.

27. Si verò quæratur, an Religiosus, qui cum licentia sui Superioris, Habitu etiam retento egreditur è Monasterio ad longum tempus, vt suis Parentibus grandi necessitate oppressis succurrat, censendus sit Apostata?

℟. Quòd vtique censendus sit Apostata Religiosus, qui cum sola sui Superioris licentia, Habitu etiam retento, egreditur è Monasterio ad longum tempus succurrendi gratia Parentibus grandi necessitate oppressis, quidquid in contrarium dixerint Nauarrus in Man. Cap. 14. num 14., & in Comment. De Regul. Cap. Nullam 18. qu. 2. n. 48., & Iunyperus part. 3. disp. 4. qu. 4. cap. 4. num. 26., qui loquuti sunt *secundùm Ius commune ex D. Thoma*; censendus, inquam, sit Apostàta, attento *Iure Nouo idest Decreto Clementis VIII. pro Reform. Regularium*, *quod innouatum*

*uatum fuit à Sacra Congregatione de Mandato Vrbani VIII.*, volente, necessarium esse Indultum Sedis Apostolicæ, à qua est probanda Causa, propter quam talis Religiosus manet extrà Claustra, etiam si Habitum suæ Religionis retineat, nec se solo Superior poterit licentiam concedere Subdito, vt ad longum tempus maneat extrà Claustra, licet, se solo possit licentiam dare ad breue tempus v. g. vnius Mensis, vt scilicet Religiosus ab aliqua Infirmitate curetur, vel Parentibus grandi necessitate, vel Infirmitate oppressis assistat, quapropter Religiosus, non priùs approbata Causa à Sede Apostolica, si exeat è Claustris, etiam Habitu retento, & ad longum tempus extrà Claustra maneat, etiam succurrendi gratia Parentibus Indigentibus, Apostatam illum censeo, & Superiorem, qui huiusmodi licentiam se solo ad longum tempus concessit, reputo Inobedientem Sanctæ Sedi in Materia graui. Tene igitur Verba *Clementis: Ineatur ratio, qua sublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extrà Conuentus Claustra, ad ea quamprimùm reuocentur; nec de cætero nisi ex grauissima Causa a Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint*. Nec audiendus est Peyrinus De Religioso Subdito Tom. 1. qu. 1. Cap. 23., qui ait, non peccare Subditum vtendo licentia sola Superioris, estò Superior solus peccet concedendo talem licentiam; non, inquam, est audiendus, eo quòd Subditus vtendo sola licentia Superioris vtitur licentia malè concessa, ergo cooperatur peccato Superioris, dictam licentiam malè concedentis; dum agit contrà Decreta Romani Pontificis, qui non edit Decreta ad incutiendum timorem Superioribus, ne scilicet, vt inquit ipse Peyrinus, sint faciles in concedendis talibus licentijs, sed vt inuiolabiliter obseruentur à Superioribus, & à Subditis Regularibus.

28. De Secundo itaque Casu Reseruabili, qui est Apostasia à Religione, discurrentes non pigeat enumerare Incidentes, & non Incidentes, & non solùm secundùm quòd *Ius Commune* Nos docet, sed etiam secundùm quòd *Iura Specialia*, Leges particulares, Constitutiones, & Statuta Re-

gularium Nos instruunt, Meæ præsertim Religionis Statuta, quæ ferè concordant in Acceptione huius Nominis, quod est *Apostasia à Religione*, cum Statutis aliarum Religionum, quæ supponuntur non adeò laxæ, etenim omnia *Iura Specialia* Priuilegijs Pontificijs suffulta declarant Apostatam Religiosum, quoties sine licentia legitima Superioris retrocedit à Religione, seu egreditur extra Septa Monasterij, seu Conuentus, etiamsi animum non habeat deserendi Religionem in perpetuum; *Ius verò Commune* declarat Apostatam Religiosum, quoties sine legitima Superioris licentia retrocedit à Religione, seu egreditur extrà Septa Monasterij, seu Conuentus, cum animo deserendi suam Religionem in perpetuum, nec amplexandi alienam; dimissio autem, vel retentio Habitus accidit Apostasiæ, & solùm declarat modos, quibus fieri potest Egressio in Apostasia Reseruata. His Omnibus suppositis.

## IN RESERVATIONEM INCIDVNT

*Apostasiæ à Religione, siue Habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerint, vt extra Septa Monasterij, seu Conuentus fiat Egressio.*

29. Religiosus quilibet, qui tria Vota Solemnia emisit in Religione à Sancta Sede Apostolica approbata, siue expressè, siue tacitè professus sit, siue sit Sacerdos, siue Clericus, siue Laicus, si ad tantam temeritatem peruenerit, vt extrà Septa Monasterij, seu Conuentus fuerit egressus absque legitima Licentia, & deseruerit Religionem, quam professus est, cum animo non ampliùs redeundi ad illam, & sine animo transeundi ad alienam, siue posteà Habitum suæ Religionis dimiserit, in quo Casu incurrit Excommunicationem Nemini Reseruatam *ex Cap. Vt Periculosa Ne Clerici, vel Monachi in 6.*, siquidem Habitus adeò debet esse annexus Monachorum Ossibus, vt in quocumque loco consistant, vti eo debeant,

vt in

vt in *C. Vidua* 10. *qu.* 1., *&* *C. Sanctimonialis* 23. *d*; siue Habitum retinuerit, in quo Casu non est obnoxius Excommunicationi, cùm huiusmodi Excommunicatio non reperiatur in *Iure Communi*, Habitus autem dimissio, seu Retentio accidit Apostasiæ. *Sic* quantùm *ad Ius Commune*.

Religiosus in Societate Iesu, qui finito Nouitiatu, seu post Biennium tria Vota Religionis Simplicia emisit, & legitima licentia non obtenta discedit è Societate, animo non ampliùs reuertendi ad eam, nec transeundi ad aliam Religionem, etiamsi Habitum suæ Societatis retineat, etenim in hunc Casum Secundum incurrit, eo quòd ex Priuilegio concesso Societati *per Gregorium. XIII. in Extrauag. Incipient. Ascendente Domino: illi, qui in ipsa Societate tria Vota Religionis Simplitia post Biennium Nouitiatus emiserunt, sunt verè Religiosi*, quia Vota illa, estò simplicia, sunt substantialia Religionis, & dicuntur verè Exempti à Iurisdictione Ordinarij, & ex eodem Priuilegio dicuntur verè Apostatæ, si post illa Vota emissa discedant à Societate, sicuti dicuntur Excommunicatione latæ Sententiæ innodati, quàmuis Habitu retento discesserint, atque dicuntur Inhabiles ad Matrimonium contrahendum, nisi priùs *per Summum Pontificem, vel per Prępositum Generalem suæ Societatis* ab huiusmodi Excommunicatione soluantur, sic ex Thoma Chapeauilla De Apostasia Referu. Cap. 2. Verb. Apostasia. Idem Priuilegium antea concesserat Societati *S. Pius V.*

Religiosus ex Tertiarijs Regularibus *D. Francisci* in Congregatione viuens sub solemni Professionis Voto, qui sine legitima licentia egreditur è Conuentu, & Iugum Obedientiæ excutit, cum animo numquàm redeundi ad suam Religionem, nec transeundi ad aliam, etenim hic dicitur verè Religiosus, & verè Professus iuxtà *Constitut. Sixti IV.*, *&* *Ioannis XXIII.*, secùs dicendum de Fratribus Tertiarijs, qui in Domibus proprijs viuunt, nec solemniter profitentur, sed simpliciter promittunt obseruare Regulam *S. Francisci*, vnde nec verè Religiosi sunt, & si ad Sæculum reuertantur, non dicuntur propriè Apostatæ, quapropter in eorum

Regu-

Regula Cap. 2. non dicuntur retrocedere, ſicuti qui ſolemniter profeſſi ſunt; deinde nec gaudent Priuilegio Societatis Ieſu, ex Bordono Reſolut. 41. num. 12.

Monialis ſubiecta Prælatorum Regularium Regimini, quę nulla obtenta licentia egreditur è Monaſterio non ampliùs reuerſura ad illud, nec tranſitura ad aliud, ſiue poſtea Habitum deſerat, ſiue deferat, etenim quod dicitur de Viris Monachis, & Fratribus, dicitur quoque de Monialibus, quæ ſubiacent Ordinationibus, & Reſeruationibus ſuorum Prælatorum in illis Caſibus, qui ipſiſmet Monialibus accommodari poſſunt, & talis eſt Caſus Clauſuræ, præſcindendo poſtea ab Excommunicatione Pontificia, & ab alijs grauiſſimis pęnis. Congruum igitur eſt, quòd Moniales ſubiectæ Regularibus participent in Pęnalibus, ſicuti participant in Priuilegijs, & Gratijs conceſſis Regularibus ſuæ Religionis, reſpectiuè quidem ad earum Sexum ſic conceſſit *Sixtus IV. in Bulla Aurea*, *Bonifacius VIII.*, *Leo X.*, *Clemens VIII.* in varijs Bullis, quas refert Lezana Tom. 5. in Bulla Aurea §. 4., & tenent communiter Doctores, & taliter participant de Priuilegijs ſuæ Religionis, quòd etiamſi Moniales Regularium fiant immediatè ſubiectæ Ordinario, adhùc gaudeant Priuilegijs omnibus conceſſis Religioſis ſuæ Religionis, ſic conceſſit illis *Bonifacius VIII.* in Bulla, quam refert Diana part. 10. tract. 13. Reſol. 24.

Religioſus, qui ſine Obedientia fugit ad Superiorem Maiorem ob leuem cauſam, vel quia timet grauari leuiter, vel grauiter, *ſed iuſtè* à Superiore Locali, ſiue Habitum ſuæ Religionis in Itinere dimiſerit, ſiue retinuerit, etenim obſtaret immediatè *Verbis Concilij Tridentini relatis num.* 22., *quia cum prætextu* ad ſuum Superiorem Maiorem accederet, & licet ſecundùm *Ius Commune* non ſit verè, & propriè Apoſtata, tamen ſecundùm Iura Specialia, & Statuta Religionum, ac ſecundùm Priuelegia Pontificia (in Mea præſertim Religione) cenſetur Apoſtata, excommunicatur vt Apoſtata, & alijs pęnis punitur, quare vt ſimilium Religioſorum Fugitiuorum audacia reprimatur, decernit *Sacroſancti Concilij Congregatio ſub die* 24.

*die 24. Septembris 1624., vt omnes huiusmodi Fratres, siue Regularem Habitum deferant, siue non, ab Episcopis Diœcesanis, vbi degunt, in Carcerem conijci, ac Superioribus suis iuxtà Regularia Decreta puniendi consignari possint, ac debeant*; Secùs dicendum, si ob grauem, veram, & iustam causam, scilicet quia Religiosus timet iniustum grauamen, quod sibi imminet ferendum ab Iniquo Superiore, fugiat sine Obedientialibus ad Superiorem Maiorem, vt faciat iustam, & Iuri naturali conformem Appellationem, nam nec esset Apostata, vt dixi in num. 23., nec rationabiliter Episcopus Eum detinere posset, quia non diceretur *cum Prætextu* accedere ad Superiorem Maiorem, sed vt appellet, & se defendat contrà Iniustitiam.

Religiosus, qui cum licentia sui Superioris egressus est à Monasterio, seu Conuentu, sed postea in Itinere, vel in Domo aliqua existens incipit habere animum apostatandi, & de facto recedit cum tali animo non ampliùs ad suam Religionem reuertendi, nec transeundi ad aliam, eo quòd Egressio extrà Septa Monasterij, seu Conuentus, licet in principio non fuerit criminosa, & temeraria, tamen postea facta est talis, ex Antonio à Spiritu Sancto part. 1. Tract. 5. disp. 16. Sect. 13. §. 2. num. 1141., & vt benè ait Bordonus Resol. 41. num. 8., inceptio Egressionis designata fuit dependenter à Monasterio Exempli gratia, quatenus Religiosi regulariter Solent manere in Monasterio, vbi habent habitationem, vel residentiam, *Exempla autem Regulam non restringunt L. Damni infecti ff. Damno*.

Religiosus, qui cum sola sui Superioris Licentia, & *absque Indulto Sacræ Congregationis* egreditur è Conuentu, Habitu etiam retento, & per longum tempus manet extrà Claustra, vt v. g. suis Parentibus grandi necessitate oppressis succurrat, iuxtà dicta num. 27.

Episcopus Regularis, qui ob Culpam Depositus *à Romano Pontifice* non vult redire ad Religionem, quàm prius professus erat, antequàm ad Episcopatum eueheretur, eò quia per Depositionem redditur indignus Priuilegijs suæ Dignitatis ex Syluestro Verb. Religio 4. in Fine, & à fortiori

tiori Episcopus Regularis Degradatus, ex Sanchez in Decal. lib. 6. cap. 6. num 3., quia sic remanet spoliatus omnibus Priuilegijs concessis Dignitati Episcopali, & vterque tenetur reuerti ad suam Religionem, aliàs vterque est Apostata à Religione.

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT

*Apostasia à Religione, siue Habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerint, vt extrà Septa Monasterij, seu Conuentus fiat Egressio.*

30. Religiosus, qui peccat peccato Apostasiæ internæ, seu mentalis, prout animo solùm, & mente deserit suam Religionem, etenim nullum peccatum regulariter reseruatur, nisi exteriùs sit consumatum, propterea secundùm Omnes Doctores non subiacent Iudicio Ecclesiæ actiones mentales, nec reseruantur.

Religiosus, qui petita, & non obtenta licentia à Superiore suam deserit Religionem, transiens ad Religionem Strictiorem studio melioris, ac Sanctioris Vitæ ducendæ, non enim censetur Apostata, quia eius transitio non est Criminalis, siue mortifera *per Cap. Licet de Regul.*, vnde Romanus Pontifex in Iure Canonico concedit ei talem transitum, sicuti iustis de Causis concedit illi, qui de Religione Strictiori, in qua tamen Regula, & Constitutiones non seruantur, transit ad Religionem laxiorem, in qua adhùc Regula, & Statuta seruantur exactiùs, sicut & concedit illi, qui in Religione Strictiori est semper laborans Inualetudine, vel odio habetur ab alijs Fratribus, vel indignè, & malè tractatur, nec enim reputatur Apostata, quia non deserit Statum Religiosum absolutè, & in genere, sed solùm in Specie, sic *Innocentius communiter receptus in Cap. Intelleximus in Fine De Ætatè, & qualit. Ordin.*, vnde quantùm ad Ius Commune non est Apostata Religiosus, dummodò à Superiore licentiam transeundi

undi petat, & non obtineat, ſed adhùc tranſeat.

Religioſus, quia factus Epiſcopus ſuam ad ſemper deſerit Religionem, eo quòd mediante Diſpenſatione Apoſtolica ad Dignitatem Epiſcopalem translatus eſt, & idem dicitur de Religioſo expulſo à Religione, prout Religioſus expulſus non deſerit Religionem ſpontè, ſed à Religione ipſemet deſeritur tamquàm Incorrigibilis.

Religioſus, qui ſine legitima licentia egreditur è Monaſterio, ſeu Conuentu cum animo deſerendi Statum Religioſum in perpetuum, & laicaliter ſemper viuendi, ſed captus à ſuis Religioſis ſtatim redit, & tunc ſaltèm in Foro externo non cenſetur Apoſtata, quoniam *qui ab aliquo loco diſcedit, & ſtatim redit, non cenſetur diſceſſiſſe Cap. Diuortium de Pęnit. diſt. 2.*, ſic ex Bonaccina de Clauſ. qu. 2. Punct. 11. §. 1. num. 1. Fugiens è Carcere, & ſtatim rediens non ligatur Pęnis contrà Fugientes è Carcere, & ex Sanctarello de Apoſtaſia Cap. 3. dub. 1. num. 5., qui Gabellam cæpit defraudare, & deinde ſtatim ſoluit, non incurrit pęnas Defraudantium Gabellas, attamen ſi Reditus ad Religionem non fuiſſet conſumatus plenè in ſpatio trium Horarum, Religioſus eſſet Apoſtata, & incurreret in Reſeruationem iuxtà Caietanum in Summa Verb. Excommunicatio, & iuxtà Graffium lib 3. Deciſ. Cap. 5. num. 76., qui ly *Statim* extendunt ad tres Horas.

Religioſus, qui deliberato animo apoſtatandi Habitum exuit Regularem, ac induit Sæcularem, tentatque ſine Superioris licentia egredi Sępta Monaſterij, ſed quia mutauit voluntatem, id non exequitur, etenim non peruenit ad illum actum exteriorem, *quem Papa deſignat*, & fortè, quia non eſt perfecta iniuria illata Religioni, ex Suarez Tract. 8. lib. 2. Cap. 18. num. 4.

Religioſus, qui impeditus fuit reclamare contrà Profeſſionem ſuam nulliter factam, eo quòd per Vim, & Metum cadentem in conſtantem Virum emiſit eam iuxtà *Cap. Per Latam Extrau. De his, quæ Vi, & Metu*, vnde ſine legitima licentia diſcedit à Monaſterio, ſeu Conuentu, nec deponit Habitum iuxta *Tridentinum Seſſ.* 25. *de Regul. Cap.* 19.,

*Cap.* 19., & Iudicem adit, nec enim eſt Apoſtata, cùm aliter facere non potuerit, ex Azorio lib. 14. cap. 4. qu. 10.

Mulieres non ſolùm Ieſuitiſſæ, quarum Congregatio ſtatim extincta fuit *ab Vrbano VIII. anno* 1630., ſed etiam illæ, quæ dicuntur Beatæ, Vrſolinæ, Pinzoccheræ, Tertiariæ, & aliæ collegialiter viuentes, ſi Habitum deſerant in perpetuum, etiamſi Matrimonio ſe copulent, non enim Status ipſarum eſt propriè Religioſus, nec vt talis eſt approbatus à Sede Apoſtolica, hinc nec dicuntur recedere à Statu Religioſo, nec apoſtatare, peccant tamen grauiter contra Votum Simplex Caſtitatis, ſi Voto hoc emiſſo iniuerint Matrimonium, & peccant grauiter deſerendo Habitum, ſi promiſerint, ſe Habitum ſemper geſtaturas. Idem dicitur *de Monialibus Turris Speculorum Romæ exiſtentibus*, quia nec ipſæ ſunt propriè Religioſæ, ex Sanctarello De Apoſtaſia Cap. 3. dub. 1. num. 5.

Nouitius, qui ſine ſui Prælati Regularis licentia egreditur è Monaſterio, ſeu Conuentu, non ampliùs ad Religionem rediturus, eo quòd nec verè Religioſus Clauſuræ obligatus, nec adhùc Profeſſus eſt, ſed eſt in Anno Probationis conſtitutus, quo tempore eſt liber, ſi velit Statum Religioſum amplecti, vel deſerere, quando ſibi non placeat *Cap. Religioſo De Sent. Excomm. in 6.*, *& ex Concilio Tridentino Seſſ.* 25. *de Regul. Cap.* 16., & addit Lauretus de Franchis qu. 16. de Apoſtatis, quòd ſi Nouitius diſcedat à Religione, & tamen retineat Habitum Religionis capi poteſt, & puniri, vt Fugitiuus, eò quia dum retinet Habitum, adhùc profitetur ſubiectionem Religioni.

Epiſcopus Regularis, qui renunciauit Epiſcopatui, & manet in Sæculo, nec ad Religionem redit, etenim per Epiſcopatum exemptus fuit à Iugo Religionis *ob Diſpenſationem Papæ*, & hæc non ceſſat depoſito Epiſcopatu, cùm non ceſſet cauſa eius, ſcilicet Dignitas Epiſcopalis, & perfectior Status, & quia Epiſcopus fuit Conſecratus, ac ab Obedientia Prælati Regularis liberatus, non reincidit in ipſius Prælati Subiectionem, & Obedientiam, ex

quo

quo renunciauerit, ex Rodriquez Tom. 2. Q.Q. Regul. qu. 52. artic. 26.

Religiosus, qui è Monasterio egreditur animo non ampliùs reuertendi ad suam Religionem, nec accediendi ad aliam, & vsque ad Sępta Monasterij peruenit, si ibi ad se conuertatur, & mutet animum, vel si ibi capiatur, & detineatur, etenim non consummauit actum, quem Apostasia significat, nec iste Casus procedit, sicuti declarat *Clemens VIII. dicens, Apostasiam reseruari: Quando eò peruenerit: vt extrà Septa Monasterij, seù Conuentus Egressio fiat*, propterea nec in Reseruationem incurrit, nec in pęnas contrà Apostatas, quia huiusmodi Pęnę restringuntur ad actus consummatos.

Religiosus, qui à Religione per Vim expulsus fuit, quia iudicatus fuit Incorrigibilis ad præscriptum *Decretorum de Apostatis, & Eiectis anno 1624. die 21. Septembris, & anno 1694. die 24. Iulij editorum* apud Nostrum Mattheuccium in Officiali Curiæ Regul. Tom. 2. Cap. 5. Quoad Incorrigibiles expellendos, vbi plura ad dignitatem tractat, nam Religiosus expulsus, quia incorrigibilis, non est dicendus Apostata, aut Fugitiuus, vt constat. Casus verò ad Incorrigibilitatem spectantes, ad hoc vt contrà Incorrigibiles possit canonicè procedi, legito *in regulatissimis Constitutionibus Vrbanis Patrum Minorum Conuent. Cap.* 10. *Regulæ Tit. 9. num.* 7., 8.

31. Apud *Nos Obseruantes* non ponitur in Tabella nouemdecim Casuum Reseruatorum *hic secundus Casus Clementinus*, punitur verò Excommunicatione Maiori, quæ ipso facto incurritur, & hoc apud Nos speciale est in Religioso Apostata, quòd *Statim* dicatur Excommunicatus, idest ante omnem Sententiam Declaratoriam Criminis *per Nostra Statuta Generalia Sambucana* Cap. 2. §. 8. *num.* 2., & dixi, *hoc esse speciale* in Nostro Religioso Apostata, eò quòd *dicta Statuta Cap.* 7. §. 6. *num.* 40. declarant, Pęnas quascumque, & Censuras per eorum Leges *cum Clausula Ipso facto inflictas*, *non statim* incurri, sed solùm post Sententiam Criminis Declaratoriam. Præter Excommunica-

 tionem

tionem verò latæ Sententiæ, quæ ſtatim incurritur, addunt *Statuta citata Cap.* 2. §. 8. alias Pęnas afflictiuas ad proportionem Graduum Apoſtaſiæ, ſcilicet leuis, leuioris, leuiſſimæ, grauis, grauioris, grauiſſimæ ibidem enumeratorum, quos legere iuuabit, ne Religioſi in tam atroci immiſceantur Delicto.

32. Iuuabit etiam notare, quòd *ſecundùm Priuilegia Pontificia, & ſecundùm Conſtitutiones aliquarum Religionum, licet non ſecundùm Ius Commune*, pro eodem accipiatur Apoſtata, & Fugitiuus, quapropter *in Ordine Noſtro* Fratres appellantur Apoſtatæ, qui contrà Obedientiam, vel ſine ſui Superioris licentia, vel cum Habitu, & Socio, vel ſine vtroque, vel ſine altero eorum, tantùm quouis prætextu, aut quæſito colore, etiam ad Superiores accedendi, de Conuentu recedunt, aut exeunt, & tunc Apoſtaſiæ notam, & Pęnas incurrunt, & hoc etiam oſtenditur *ex Concilio Tridentino Seſſ.* 25. *De Regularibus Cap.* 4. Vide num. 20. 21.

33. In Ordine *Patrum Minorum Conuentualium S. P. N. Franciſci ad Formam Decreti Clementini, vt conſtat in regulatiſſimis ſuis Conſtitutionibus Vrbanis Cap.* 7. *Regulæ Tit.* 1. *Pag. Mihi* 203. *reſeruantur Secundus, & Tertius Caſus Clementis VIII.* Pęnæ Fugitiuorum, Pęnęue Apoſtatarum ſtatuuntur *in Cap.* 4. *Tit.* 23., 24., ibidem ergo videas ſapientiſſimè diſpoſitas, vbi Apoſtaſia *ſoli ſuo Miniſtro Generali*, Egreſſio autem nocturna, & furtiua à Monaſterio, ſeu Conuentu, etiam non animo apoſtatandi facta, *ſoli Miniſtro Prouinciali*, reſeruatur, non Cuſtodi, non Guardiano, & licet Apoſtata, & Fugitiuus violent Clauſuram, non tamen eodem animo apoſtatandi violant, idcircò ſunt duo Caſus diſtincti, quorum reſpectiuè Caſuum Abſolutio ſpectabit ad Generalem, & Prouincialem, & non ad alios, niſi per Delegationem.

34. Sed numquid *Reuerendiſſimus P. Generalis Ordinis Minorum Conuentualium* poterit abſoluere à tertio Caſu Reſeruato, cuius Reſeruationem, diximus, ſpectare *ad P. Prouincialem*?

℞. Poſſe,

℞. Posse, eò quòd omnis potestas existens in Prælato Inferiori, cumulatiuè, & perfectiori modo reperitur in Prælato Maiore, & propter eamdem rationem potest Superior Prouincialis absoluere à Casibus Reseruatis Custodi, & Guardiano; non posse verò Prouincialem absoluere à Secundo Casu, nempe Apostasiæ, cuius Reseruatio spectat ad Generalem, eò quòd Inferior nullum Ius habet in Casus Superioris Maioris, *nec Inferior potest in Lege Maioris C. Inferior* 4. *dist.* 21., *C. Cum Inferior* 16. *De Maior.*, *Clement. Ne Romani De Elect.* ita Bordonus Resol. 39. qu. 32. num. 77. Neque valet si dicas, *Alexandrum VI. in sua Const. Intelleximus* potestatem dedisse Guardianis in Religione Minorum de Obseruantia reseruandi sibi Casus *cum hoc addito*, quòd à Casibus Reseruatis Guardianis non possit Generalis absoluere, sed Prouincialis. Non, inquam, valet, tum quia *in Capitulo Generali celebrato Assisij anno* 1526. *post Alexandrum VI.* sublata est Guardianis de Obseru. potestas reseruandi sibi Casus; tum quia restat semper dubitandi locus de Veritate dictæ Constitutionis, ex Bordono supracit.

35. Sed quandonam incurrit in Apostasiam Reseruatam Religiosus *ex Ordine Minorum Conuentualium*?

℞. *Ex Constitutionibus Vrbanis cap.* 4. *Regulæ Tit.* 24., quòd incurrat, *primò* quicumque Fratrum Habitu dimisso, seu retento, animo ampliùs non redeundi, inconsulto Superiore, à Conuentu recesserit, nisi infrà duos Menses reuertatur, vel Prouincialem Ministrum, ad quem spectauerit, non conueniat; *secundò* qui per tres dies continuos sine Habitu sui Ordinis ausus fuerit quomodolibet incedere, seu sic illum gestare, vt alijs Vestibus adeò veletur, vt videri non possit, sic *Constitutiones Vrbanæ*, vbi additur Excommunicatio; adduntur & Pœnæ afflictiuæ, & alia spectantia ad Bonum Regimen sui Ordinis. *Cuique Religioso iuuabit in hac Materia Ordinationes suæ Religionis examinare.*

36. Quandonam verò, & qualiter censetur Apostata Religiosus *ex Nostra Obseruantia*?

℞. Ex

℞. *Ex Statutis Generalibus Sambucanis cap.* 2. §. 8. ( quibus omninò standum est ) quòd Religiosus *de Obseruantia Leuem* tunc incurrit Apostasiam, qui è Conuentu egressus sine Superioris Licentia tacita, vel expressa, & per diem naturalem tantùm extrà moratus est. Vel qui prætextu ad Superiores accedendi sine licentia egressus, recta coràm Superiore se sistit. *Leuiorem* Religiosus *de Obseruantia* incurrit Apostasiam, qui cum Licentia exiens extrà Conuentum in aliquo loco, etiamsi Ordinis sui fuerit, sine Licentia, aut necessitate pernoctauerit. *Leuissimam* Religiosus *de Obseruantia* incurrit Apostasiam, qui sine Licentia egrediens, eadem die ad Conuentum reuertitur. *Grauem* Religiosus *de Obseruantia* incurrit Apostasiam, qui moratur Triduo extrà Conuentum, etiamsi ad Superiorem accessum prætendens, si sine licentia egressus fuerit. *Grauiorem* Religiosus *de Obseruantia* incurrit Apostasiam, qui sine Licentia egressus, etiam sub prætextu accedendi ad Superiorem, extrà Conuentum per octo dies Moram traxerit. *Grauissimam* Religiosus *de Obseruantia* incurrit Apostasiam, qui Timore Dei postposito, & suæ Salutis oblitus Habitum etiam dimisit, & intra duorum Mensium spatium reuersus non est. Vel qui, Habitu etiam non dimisso, vltrà duos Menses in Apostasia perseuerauerit.

37. Religiosus *de Obseruantia*, qui sine necessitate aliò, vel alia Via vadit, quam sibi per Facultatem liceat, quique tempus in Facultate præscriptum excedit, quiue sine Socio de loco ad Locum proficiscitur, in Apostasiam grauem, vel leuem incidit iuxtà Superiorum Iudicium. Similiter qui cuiusuis Licentiæ prætextu extrà Conuentus, vel Prouinciæ limites egreditur, nisi priùs Prouinciali Licentiam Generalis, & Superiori Locali Licentiam Prouincialis ostendat, in grauem incidit Apostasiam. Similiter qui à Superiore Locali, nisi huic specialiter indultum sit, missus extrà Conuentus sui Limites, seu Quæstam, vadit, & in leuem saltem incidit Apostasiam. Similiter qui à Prouinciali missus, sine speciali Generalis Indulto, ad Prouinciam Suæ non viciniorem vadit, & in grauem incurrit Apostasiam.

ſiam. Similiter qui Licentiam eundi extrà Prouinciam obtinuit, nec intrà duos Menſes illam executus eſt, quibus tranſactis adhùc illa licentia vtitur, & vadit (niſi ſit Commiſſarius ad alicuius Prouinciæ Viſitationem deſtinatus), & in Grauem, vel Grauiorem incurrit Apoſtaſiam. Pęnas autem Apoſtatis infligendas iuxtà Gradus cuiuſuis Apoſtaſiæ habes clarè *in præfatis Statutis*, & ibidem *in Fine* habes modum, & formam abſoluendi Apoſtatas Noſtros.

38. Confeſſarij Munus in illis Religionibus, in quibus Atrox Apoſtaſiæ Delictum reſeruatur, & habet annexam Excommunicationem, erit Religioſum Apoſtatam interrogare, quamdiù in Apoſtaſia perſtiterit, cùm enim Excommunicationis Vinculo ſit innodatus, *ſi in illa per Annum inſorduerit, redditur de Fide ſuſpectus ex Concilio Tridentino Seſſ. 25. De Reform. Cap. 3.*, ideò interrogari poterit, quid ſentiat de Fide. An in Apoſtaſia ſacrilegè Coniugium inierit, & tunc Matrimonium inualidum eſt, & in Excommunicationem, Nemini tamen reſeruatam, incurrit *ex Clement. 1. Tit. De Conſangu., & Affin.* An in Apoſtaſia Sacris Ordinibus initiatus ſit, tunc enim in Suſpenſionem, & Irregularitatem incideret, nec abſque Pontificia Diſpenſatione in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare poterit *C. Conſultationi Extr. De Apoſt.* An alios Religioſos ad Apoſtaſiam induxerit. An, conformiter ad Libertinos Apoſtatas, quidquam in Religionis detrimentum extrà Religionem patefecerit, & hic eſt *tertius Caſus apud Nos reſeruatus*. An Diſcordias Patrum, vel Depoſitiones Prælatorum manifeſtauerit, & hic eſt *quartus Caſus reſeruatus apud Nos*. An Sigillum Ordinis, vel cuiuſuis alterius Pręlati, aut Perſonæ notabilis falſificauerit, & hic eſt 16. *Caſus ex Noſtris Reſeruatis*. An contrà Prælatum machinauerit, & eſt *Caſus* 18. An Carnes comederit, quando Eccleſiæ, vel Regulæ Præcepto vetitum fuit, & hic eſt *vltimus Caſus reſeruatus apud Nos*, & ſolent Apoſtatæ in hæc, & alia atrocia peccata præcipitare. Interrogetur, an quidquam alicui debeat ex Contractu aliquo inito, vel Delicto in Apoſtaſia commiſſo, & tunc omni Æri alieno,

& damno

& damno illato Monasterium satisfaciet, dummodò de Bonis ipsius acquisitis Monasterium habuerit. Studeat Confessarius consilio, obiurgatione, cohortatione, quòd Apostata malum Statum sui agnoscat; leniter, ac benignè eum excipiat, nec pęnitentiam admodùm grauem ipsi imponat, & iuxtà Facultatem, (si habeat ad absoluendum) in Foro pęnitentiali absoluat, quoniam Prælato integrum est in Foro externo punire Apostatam publicis Pęnitentijs, cùm Apostasiæ peccatum fuerit manifestum toti Monasterio. Apud Nos Obseruantes Religiosus Apostata absoluitur per Superiorem Localem ab Excomm. contracta per Apostasiam, in Communitate Fratrum, genuflexus, inflictis sibi ipsi Disciplinæ flagellis spatio vnius Miserere, sine Capuccio, & Chorda, in publico Refectorio, ieiunans in Pane, & Aqua.



TERTIVS

# TERTIVS CASVS

## RESERVABILIS A' SVPERIORIBVS REGVLARIVM

*Nocturna, & furtiua è Monasterio, seu Conuentu Egressio, etiam non animo apostatandi, facta.*



1. INter Munia, quæ Religioso incumbunt, illud est præsertim, quod ad Clausuram obligetur, & Clausura in eo consistit, vt nullus Regularis Septa, aut limites Monasterij, seù Conuentus ad eam seruandam determinatos sine legitima Superioris licentia prętergrediatur, quia Voto Obedientiæ sub graui culpa se ligauit in Professione, ne à sui Prælati gubernatione subtrahatur, & ne inconsulto, seu inuito ipso Clausuram violet. Egredi à Monasterio, seu Conuentu non est vituperandum, si tempore, ac loco seruatis, & accedente licentia, seu consensu Superioris fiat, immò laudandum, tùm ad commodum Proximi spirituale, tùm ad humanæ vitæ necessitatem, tùm ad leuandum Corpus in Religiosis Exercitijs lassum, quod sine deambulatione, & sine motu Morbos facile contraheret, juxtà illud: *Et vitium capiunt, ni moueantur, Aquæ.* Egredi autem è Monasterio est maximè vituperandum, si clanculùm, inscio Superiore, vel etiam inuito ipso fiat, ac nocturno tempore fiat, etiamsi non animo apostatandi

 fiat,

fiat, & hoc est delictum illud grauissimum per *Clementem VIII.* in præsentiarum Reseruabile, ne à Religiosis Sanctæ Obedientiæ obstrictis fiat. Turpe est Religioso Iugum Obedientiæ abijcere, si diurno tempore vagetur suo Superiore inconsulto, turpius est, si furtiuè, inscio, vel inuito Prælato è Monasterio, seu Conuentu egrediatur, vt in nocturnis Tenebris, quæ Homines ad delinquendum inuitant, liberiùs vacet peccatis iuxtà illud *Ioannis 3.*: *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & iuxtà Cap. 1. Tit. Vt Ecclesiastica Beneficia §. Si quis verò Ext. De Clandestina Despons. Quæ clam, & nocturno tempore fiunt, fraudis, & doli præsumptione non carent, & ideò in L. Si vt allegas C. Ad L. Corneliam De Sicarijs*: *Crimen factum nocte magis punitur, quàm illud, quod esset de die commissum*; non ergo mirum, quòd nocturnam solùm, & non diurnam Egressionem Religiosi è Monasterio, seu Conuentu, si furtiuè faciat, *Clemens VIII.* Reseruationi subijci permiserit, cùm Egressio nocturna, inscio, aut inuito Superiore facta, sit Delictum atrociùs, quàm Egressio occulta de Die patrata.

2. Explicantur modò Termini *Tertij Casus Reseruabilis.* Dicitur in primis ly *Nocturna*, ideſt Egressio è Monasterio, seu Conuentu commissa Noctis tempore, quòd Tempus intercedit inter Serotinum, & Matutinum, seù Crepusculum exclusiuè, ex Bordono Resol. 42. num. 2., Nox enim, quæ à nocendo nomen ducit, non solùm quia Oculis nocet, sed etiam quia eo potissimùm tempore Aduersarij nocere consueuerunt, dicit omnimodum Recessum à Luce. Dicitur *Et Furtiua*, vbi ly *Et* de sui natura habet copulare, & exigit concursum omnium Copulatorum *L. Si Hæredi, & ibi Gloss. ff. De Condit. Instit.*, & ideò Egressio non erit in præsenti Casu Reseruabilis, nisi sit simul nocturna, & Furtiua, ideſt nisi facta sit noctu, & occulta sit Superiori, vel inuito Superiore facta sit, & absque legitima eius licentia, quæ *regulariter* debet esse expressa, aliquando sufficit Tacita, & interdum etiam est sufficiens Interpretatiua, in illis scilicet Casibus, in quibus

sit obli-

sit obligatus Religiosus ex Charitate egredi è Monasterio, vt v. g. ad absoluendum Moribundum, ad defendendum aliquem Innocentem, ad succurrendum alicui Domui, quæ comburitur, & ad alios huiusmodi Casus, in quibus non semper commodè licentia peti potest à Superiore, ex Suarez Tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. Cap. 6. num. 11., cęterùm egressio furtiua in præsenti Casu excludit notitiam Superioris, quidquid postea sit, an dicta Egressio sit nota, vel occulta alijs Religiosis. Dicitur *è Monasterio, seu Conuentu*, nimirùm è Clausura eius, Clausura autem comprehendit totum Circuitum Monasterij, seu Conuentus, includendo etiam Hortum, Nemus, & alia loca illis annexa, quæ Muris, aut Septis eius cinguntur, vnde obseruatio Clausuræ, ad quam sub mortali tenentur Religiosi, sicut est aptissimum medium ad viuendum iuxtà Regulam, ità Violatio Clausuræ multùm obest Regulari disciplinæ, præsertim si furtiua sit simul & nocturna, quæ pluribus Scandalis, & periculis est subiecta, quàm sit diurna. *Monasterium* propriè significat Clausuram Monachorum, & Monialium; *Conuentus* verò propriè designat Clausuram Religiosorum, qui nuncupantur Fratres Mendicantes, & sub hisce Nominibus *Monasterij, seu Conuentus* comprehenduntur etiam Collegia, aut Domus Religionum Clericalium, Capucio non vtentium, talia enim vocabula non differunt in significatione rei, sed comprehendunt quæcumque Loca, & ædificia, in quibus morantur Religiosi intrà sua Claustra, & Septa ex Bordono Resol. 41. num. 5. Dicitur *Egressio*, quæ Fugam denotat, iuxtà illud *Genesis* 12. *Egredere de Terra tua*, idest discede, & per talem Egressionem Religiosus vocatur Vagus, & Fugitiuus, prout spontè, & absque legitima Superioris licentia discedit è Monasterio, seu Conuentu, vt ad tempus liberè vagetur, reuersurus aliquando ad Religionem. Dicitur tandem: *Etiam non animo apostatandi, facta*, idest non coniuncta cum voluntate perdurandi extrà Obedientiam sui Superioris, & vt præscindit ab Apostasia, quæ ex dictis imbibit animum numquàm reuertendi ad Religionem, & per hoc patet,

quòd hic *Tertius Casus Reseruabilis* est diuersus à Secundo Casu anteà elucidato, quia Secundus Casus loquitur de verò Apostata, Tertius autem loquitur de Fugitiuo; secundus Casus respicit Egressionem à Monasterio, & Violationem Clausuræ per se, & principaliter in ordine ad Apostasiam, tertius Casus verò respicit Egressionem à Monasterio, & violationem Clausuræ per se, & formaliter nocturnam, ac furtiuam, & sine ordine ad Apostasiam, *vt constat ex Littera*.

3. Ex hoc deducas, quòd, *vt tertius Casus Reseruatus* incurratur, tria necessariò desiderantur coniunctim, adeò vt si vnum deficiat, non incurratur Reseruatio, & *primum* est, quòd Egressio fiat nocturno tempore, hinc non satis est, si Religiosus de Die egressus fuerit; *secundum*, quòd Egressio fiat furtiuè, hinc non satis est, si Religiosus noctu egressus fuerit cum legitima Superioris licentia; *tertium* est, quòd Egressio fiat è Monasterio, seu Conuentu, hinc non satis est, si Religiosus noctu, & furtiuè ingressus fuerit in Hortum Monasterij, seu Conuentus ad capiendos Fructus, vel in Syluam ad sumenda Ligna, cùm nec Hortus, nec Sylua sint extra Clausuram Monasterij. Addit *quartum*, quod desideratur ad incurrendam Reseruationem, Bordonus supracit. n. 1., & est, quòd Egressio nocturna, & furtiua extrà Clausuram Monasterij, seu Conuentus fuerit peccatum Mortale, non enim peccata Venialia sunt Reseruata, hinc non satis est, si per Semihoram Religiosus noctu, & furtiuè egressus steterit extrà Monasterium; quia Violatio Clausuræ admittit paruitatem Materiæ excusantem à Mortali, propterea inquit Nauarrus Conf. 1. De Apost. n. 8., Exeuntem, breui reuersurum, non violasse Clausuram; an autem spatium etiam vnius Horæ violet Clausuram, plures negant cum Graffio lib. 3. cap. 3. n. 23., & aliqui affirmant, sed hoc vnum certum est cum eodem Graffio, quòd Egressio è Monasterio de Nocte, & inscio Superiore per spatium duarum Horarum violat Clausuram.

4. Sed numquid Religiosus sine licentia speciali, ex Vi alicuius licentiæ generalis, aut sine Causa approbata, aut

sine

ſine licentia ſingulis Vicibus impetrata, aut ſine Socio Arbitrio Superioris poterit è Monaſterio egredi ?

℞. Quòd non, eò quòd ſic ſtatutum eſt à *Summo Pontifice Clemente VIII. in Decretis pro Reformatione Omnium Regularium, à Sacra Congregatione Iuſſu Vrbani Papę VIII. approbatis, & innouatis per hæc Verba: Nullus à Conuentu egredi audeat, niſi ex Cauſa, & cum Socio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac Benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat niſi cauſa probata, Sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, ſed Arbitrio ſuo, neque eumdem ſæpiùs. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omninò concedantur. Contrauenientes autem Pęna graui, etiam Carceris ad Superioris arbitrium plectantur, eamdem etiam Ianitor ſubeat, ſi aſſentiens exeundi facultatem fecerit. Vrbanus etiam VIII. ſub die* 30. *Iulij* 1626. ad Inſtantiam *Philippi IV. Hiſpanarum Monarchæ* edidit Bullam, in qua reuocauit, caſſauit, & annullauit omnia Priuilegia, prærogatiuas, & Exemptiones Religioſorum in ſuis Regnis exiſtentium: *Per quæ iidem Religioſi ab eorum Prælatorum Obedientia eximuntur, & ex eorum Monaſterijs, & Regularibus Domibus ad eorum libitum, & cum Socijs ſibi beneuiſis, & iam deſtinatis, etiam Superiorum ſuorum non petita licentia egrediuntur.*

Pręcipiunt ibidem dicti Summi Pontifices pro Clauſuræ cuſtodia, quòd ad omnem occaſionem Scandali, & vagationis tollendam, perpetuò, & diligenter ſeruetur Conuentus Clauſura, præſertim *per Ianitorem* à Superiore deſignatum, bonis moribus maximè commendatum. De eodem *Ianitore* præcipiunt, vt ſemper aſſiſtat Ianuæ, quam cuſtodiat, eamdem nemini Fratrum aperiat, niſi Socium; & licentiam egrediendi habeat. Et pro Redeuntibus ad Monaſteria mandant iidem Pontifices, vt iterum Superiorem adeant Benedictionem recepturi, & idem Superior à Socio itineris rationem, quidue actum ſit, diligenter perquirat.

5. Verùm, poterit ne Epiſcopus punire Religioſum fugitiuum, & Vagantem per eius Dięceſim ſine Litteris Obedientialibus, ſed cum prætextu adeundi ſuos Superiores Maiores?

℞. Quòd

℞. Quòd quidem possit Episcopus punire ipsummet Religiosum Vagantem, vnde potest ipsum coercere, & reducere ad Claustra, etiam cum prætextu accedendi ad suos Superiores Maiores, & clarè constat *ex Concilio Tridentino Sess. 25. Cap. 4. Versic. Nec liceat; & à Sacra Congregatione Concilij sub die 21. Septembris 1624.* ad reprimendam Fratrum Fugitiuorum audaciam declaratum fuit, *vt omnes huiusmodi Fratres siue Habitum Regularem deferant, siue non, possint, & debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in Carceres conijci, ac Superioribus Regularibus consignari, secundùm Regularia Instituta puniendi.* Hæc omnia locum habent, quando Religiosus non probat, se recurrere ad Superiorem Causa Appellationis, vt docent Rodriquez, & Portellus Verb. Episcopus n. 10. Prædicta *Sacræ Congreg. Conc. Declaratio innouata fuit ab Innocentio XII.* iubendo, *vt ipsi quoque Superiores Regulares teneantur Fugitiuos, & Apostatas perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur, Salua tamen in omnibus Facultate Ordinarijs Locorum attributa Decreto Concilij Cap. 3. Sess. 6.*

6. Sed ad quos spectabunt Bona Fugitiuorum, & Apostatarum à Religione, postquàm ad suam Religionem reuersi sunt?

℞. Spectare ad suam Religionem, quocumque peccato acquisiuerint dicta Bona, dummodò peccatum non fuerit contra Iustitiam, quia tunc Religio priuatur suo Iure; quòd si Religio sit omninò incapax Dominij, sicuti est illa *Minorum De Obseruantia, & Capucinorum*, ad Sedem Apostolicam spectabunt, tradenda proinde Syndico, eisdem à Sancta Sede assignato pro administratione, & dispositione Rerum in Fratrum vtilitatem, & necessitates. Si autem Religiosus Fugitiuus, & Apostata moriatur in Fuga, & in Apostasia, tunc eius Bona, quæ supersunt, spectabunt ad Cameram Apostolicam, sic disponente *Gregorio XIII. in sua Constitut. Incipient. Officij Nostri* ex Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 33. num. 9. Quòd si in Vita sua dederit dicta Bona acquisita in Fuga, & in Apostasia, suæ Religioni,

videntur,

videntur, tunc non esse restituenda Cameræ Apostolicæ, nisi Camera petat, quia nemo tenetur ad pœnam ante condemnationem ex Suarez Tom. 4. De Religione tract. 8. lib. 3. cap. 2. num. 27.

7. Quid si Religiosus in Fuga, & Apostasia impetrauerit Beneficium alicuius Ecclesiæ?

℟. Quòd Bona, quæ acquisiuit intuitu talis Ecclesiæ, cedunt ipsi Ecclesiæ, quia illi acquisiuit, vt Pars illius; Bona verò, quæ acquisiuit intuitu Personæ, aut ex propria industria, cedunt Monasterio, eò quòd Persona illius, & industria spectant ad Religionem, ita *D. Antoninus Parte 3. Tit. 6. Cap. 5. §. 1.*

8. An autem Monasterium teneatur Debita soluere contracta à Fugitiuo, & Apostata in Fuga, & Apostasia?

℟. Quòd vel Fugitiuus, & Apostata reuersus est ad Monasterium adducendo secum Bona, quibus Monasterium factum est locuples, & ex quibus talia debita possint solui, vel non adducendo, si primum, tunc Monasterium tenetur debita à Fugitiuo, & Apostata contracta soluere iuxta illam *Regulam Iuris in 6. Qui sentit Commodum, debet etiam sentire Onus*; si secundum, tunc Monasterium non tenetur Fugitiui, & Apostatæ Debita soluere, ne sentiat damnum, qui nullum reportauit commodum.

9. Num verò Fugitiuus, & Apostata, immò & Eiectus à Religione teneantur recitare Horas Canonicas?

℟. Cum Sententia Probabiliori, quòd vtique teneantur recitare, ne ex suo Delicto dicantur reportare commodum, nec enim desinunt esse Religiosi professi, neque ob Fugam, & Apostasiam, sicut neque ob expulsionem à Religione eximuntur ab Oneribus Professioni annexis, nam Fugitiuus, & Apostata tenetur reuerti, & Eiectus debet se habilitare, vt iterum possit recipi in Religione, sic sentiunt plures Doctores contra Bonaccinam de Horis Canonicis disp. 1. qu. 2. punct. 3. n. 6. volentem, quòd Fugitiuus, Apostata, & legitimè Eiectus non obligentur ad recitationem Horarum Canonicarum, si non sint in Sacris constituti, quia constituuntur in Statu, in quo non est consuetudo,

tudo recitandi; attamen meliùs dicendum cum alijs, quòd ratio Bonaceinæ solùm valere potest de illis, qui per Sententiam Superiorum in perpetuum eijciuntur à Religione, qui videntur excusari, sicut excusantur illi, qui iussu Superiorum transeunt ad Statum Conuersorum. Excusatur etiam à Recitatione Horarum Canonicarum Religiosus damnatus ad Triremes, tum quia indecens est in tali Statu Recitatio, tum quia satis afflictionis habet, nec est afflictis addenda afflictio, ita Rosignolus De Ordine part. 2. qu. *6.* art. 5. num. 14. cum alijs communiter. Quibus omnibus suppositis.

## IN RESERVATIONEM INCIDVNT.

*Furtiuæ, & Nocturnæ è Monasterio, seu Conuentu Egressionis, etiam non animo apostatandi, factæ.*

10. Religiosus, qui sine iusta, & vrgenti causa, nocturno tempore, & inscio, seu inuito Superiore è Monasterio, seu Conuentu egreditur, etiam non animo apostatandi, idest absque voluntate perdurandi extra Obedientiam sui Superioris, & constat *ex Lttera Tertij Casus Clementini*.

Religiosus, qui noctu absque licentia sui Superioris egreditur è Monasterio ad finem solùm associandi Fugitiuum, quàmuis eadem nocte reuertatur ad Monasterium, etenim omnia concurrunt requisita ad Reseruationem huius tertij Casus.

Religiosus, qui sine licentia Superioris egreditur è Monasterio noctis tempore, postquàm terra est obtenebrata, & Res per visum discerni non possunt, etiamsi maneat in aliquo loco, vt in Ciuitate Senarum, inquit Graffius hìc num. 20., vbi Statutum est, vt per Pulsum Campanæ dies discernatur à nocte, etenim ante pulsum Campanæ diceretur adhùc incurrere in præsentem Reseruationem, eò quòd in Casibus Reseruatis attendere debeamus Noctem naturalem, & non fictam.

Religio-

Religiosus, qui Parentibus grandi oppressis necessitate subueniendi gratia egreditur noctu è Monasterio, & ad longum tempus permanet extrà Claustra absque licentia *Sedis Apostolicæ*, ad quam spectat approbare Causam, propter quam velit Religiosus degere extrà Claustra, nec enim in tali casu sufficit licentia Superioris.

Religiosus, qui noctu fugit è Carcere, ad quem iustè, & Iuris ordine seruato in perpetuum damnatus fuit, neque ipsi necessaria ad Sustentationem Vitæ denegantur, etenim, vt supponitur, Pęna perpetui Carceris esset proportionata Crimini commisso, nec esset contraria Iuri naturæ, tum quia Religiosus, nisi iusta, & rationabilis causa obstet, sua libertate priuatur exeundi à Clausura, & vagandi, neque Religioso in Carcerem coniecto, quando iustus, ac legitimus Iuris Ordo seruatus fuit, licet fugere, etiam prętextu ad Superiorem Maiorem accedendi, sed tenetur ibi permanere etiam ante Condemnationem, vbi Prælatus iussit illum stare, ex Rodriquez QQ. Regul. Tom. 2. qu. 22. art. *6.*, Caietano 2. 2. q. *69.* art. 4., Sayro, Nauarro, Barbosa, & alijs contra Bannez 2. 2. qu. *69.* art. 4., qui excusat dictum Religiosum, si fugiat, non ad finem vagandi, sed ad finem impetrandi sibi illius pęnę Veniam *à Romano Pontifice*, vel à Superiore Maiori.

Religiosus, qui à Superiore Foroliuij obtinuit hodie licentiam eundi Fauentiam, eo animo, vt hac nocte egressus è Conuentu maneat Foroliuij ad finem luxuriandi, & de facto egressus est, etenim hæc licentia furtiua censetur, estque nocturna, consequenter nulla, & inuito Superiore data, quia si id sciuisset, licentiam non dedisset, vnde cùm dederit, licentia nihil operatur, vt benè docet P. Suarez Tom. 4. De Religione lib. 2. cap. 18. num. 5.

Religiosus, qui noctu egreditur è Conuentu, quia Superior contrà sui Muneris rationem, contrà Honorem Dei, & Religionis dedit ei licentiam, cùm potiùs teneretur Superior eum impedire, ne egrederetur, etenim Egressio censetur Furtiua, eò quòd licentia data est illicita, iniusta, & iniqua, ac nihil operatur, cùm sit data ad destructio-

 nem,

nem, & non ad ædificationem ex ipſomet Suarez contrà Peyrinum Tom. 2. qu. 3. cap. 2. §. 1. num. 40.

Religioſus, qui per Vim, & Metum incuſſum Superiori, licentiam obtinuit egrediendi è Conuentu hac nocte, & de facto egreſſus eſt, etenim huiuſmodi Egreſſio eſt furtiua, inuito Superiore, & ſine legitimo eius Conſenſu; immò eſt plùs quàm furtiua, & eſt quodammodò rapta, ideò licentia hæc nihil operatur ex Suarez ſupracit.

Religioſus, qui nocturno tempore ad inſtantiam alicuius Perſonæ deuotæ mittitur à Superiore ad excipiendam Confeſſionem alicuius Morientis, ſed quia Religioſus ipſe hoc fictè procurauit, vt ſuam voluntatem liberè expleret circà alios effectus, ideò dicitur nocturna, & furtiua Egreſſio, & conſequenter Reſeruata.

Religioſus, qui ob timorem pęnę propter delictum commiſſum, ne capiatur, & puniatur, noctu, & abſque licentia ſui Superioris egreditur è Conuentu, eſtò egrediatur animo etiam redeundi; quòd ſi temerè, ideſt abſque rationabili cauſa etiam Habitum deponat, vel illum deferat ita coopertum, & abſconditum, vt non dignoſcatur, cuius Religionis ſit, *cùm paria ſint non eſſe, & non apparere*, *Gloſſ. in Clement. Quoniam De Vita, & Honeſtate Cleric.* tunc non ſolùm in Reſeruationem Tertij Caſus incurrit, ſed etiam Excommunicationis Vinculo innodatur.

Religioſus, qui noctu, ignorante Superiore, egreditur è Monaſterio, videntibus, expectantibus, vel cuſtodiam facientibus duobus Amicis, nec enim neceſsè eſt, quòd Egreſſio, vt dicatur furtiua, ſit alijs Religioſis occulta, ſed ſatis eſt, quòd ſit occulta tantùm Superiori, cuius ſolius eſt licentiam dare, vel negare Subditis, vnde Egreſſio nocturna è Monaſterio ſufficienter eſt furtiua, & obnoxia Reſeruationi, etiamſi ſit notoria alijs, dummodò non ſit notoria Superiori, ex Peyrino ſupracit. contrà Graffium hìc num. 14. §. Tertium, vbi vult, Egreſſionem non dici occultam, quando per duos, vel tres Religioſos, aut per alios videntes talem Religioſum noctu Egredientem probari poſſit, conſequenter nec dici furtiuam. Tum quia ex

Sentenia Graffij, quem sequitur Coriolanus hic n. *6.*, facilè possent Religiosi eludere Reseruationem, si notam facerent Egressionem è Monasterio duobus Amicis, quod videtur irrationabile, & impertinens ad euitandam Reseruationem, immò Egredientes, Superiore contradicente, non inciderent in Reseruationem, quod est omninò absurdum. Nihilominus Sententia Graffij suam habet probabilitatem, *& apud P.P. Conuentuales S. P. N. Francisci, quando reseruatur suo P. Ministro Prouinciali iste Casus*, praxis est, quòd Egressio furtiua, & nocturna nulli debeat esse nota, & ad summum vni Religioso possit esse nota, alias si pluribus innotescat, non censeatur reseruata, *vt habetur declaratum in suo Manuali Pag. 146.*, & apud *Nos Obseruantes* satis est ad Punitionem, vt Egressio furtiua, & nocturna sit occulta Superiori Conuentus, estò notoria sit cęteris Religiosis, licet non incurratur Reseruatio, quia non habetur in Tabella Reseruatorum.

Superior, qui occultè è Conuentu egreditur tempore nocturno, etenim furtiuè diceretur Egressus, eò quòd licet non habeat præsentem Superiorem, cuius voluntate regatur, habet tamen Regulam, & voluntatem Superioris Prælati totius Religionis, aut expressam, aut secundùm rectam rationem præsumptam, respectu cuius talis Egressio dicitur Furtiua. Deinde modus talis Egressionis, qualis ille sit, manifestat, quia illa sit occultè, & furtiuè ex Suarez cit.

Religiosus, qui nimia impatientia, seu tentatione agitatus egreditur noctu è Monasterio, & inscio Superiore, suumque prosequitur Iter durante illa impatientia per duas, aut tres horas, etiamsi postea in se reuersus, & pęnitentia ductus ad Monasterium clàm eadem nocte redeat, etenim huiusmodi Egressio est Mortifera, est nocturna, & est furtiua, idest absque licentia Superioris, nec excusari potest à Reseruatione, & ita sonant illa Verba: *Etiam non animo apostatandi facta*.

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT.

*Furtiuæ, & Nocturnæ è Monasterio, seu Conuentu Egressionis, etiam non animo apostatandi, factæ.*

11. Religiosus, qui diurno tempore, furtiuè tamen, aut qui nocturno tempore, non tamen furtiuè egressus est è Monasterio, seu Conuentu, etenim non satis est ad huiusce Casus reseruationem incurrendam Egressio furtiua, nisi etiam sit nocturna, sicuti non satis est Egressio nocturna nisi etiam sit furtiua, seu facta sine legitima Superioris licentia, vel contrà eius voluntatem, quia *ly Et* habet de sua natura copulare Egressionem nocturnam cum furtiua.

Religiosus, qui in Vespero, vel in Diluculo, estò furtiuè, egreditur è Monasterio, nam Vesperum dicitur à Stella Occidentali, quæ Solem Occiduum sequitur, & Tenebras sequentes præcedit, Diluculum verò est Pars vicinior Diei, idest parua Lux iam incipiens albescere, quæ communiter vocatur Aurora ante Ortum Solis, & sic Egressio non est nocturna. Similiter in dubio, an fuerit diurna, an nocturna, in mitiorem partem, cùm simus in dubijs, & in pęnalibus, interpretandum est *L. Si Præses*, *& L. Interpretatione ff. De Pęnis*, *& Reg. in Pęnis in 6.*, quòd Egressio fuerit diurna, consequenter non Reseruata.

Religiosus, qui nocturno tempore vsque ad Septa Monasterij furtiuè peruenit, sed ibi mutata voluntate reuertitur ad Cellam, quàmuis ibi fuerit à Superiore detentus, etenim nondùm facta est Egressio è Monasterio, nec exteriùs fuit completum peccatum, ex Coriolano part. 2. Casu 3.

Religiosus, qui noctu, & furtiuè descendit à Fenestra, vel per Scalas in Hortum sui Monasterij, vt Fructus capiat contrà prohibitionem factam à Superiore, ne quis Religiosus ingrediatur Hortum, cum enim Hortus remaneat intrà Clausu-

Clausuram Monasterij, non videtur verificari Particula illa: *Egressio à Monasterio, seu Conuentu*, peccaret verò per contemptum Obedientiæ. Idem dicitur de Religioso, qui sine licentia Superioris noctu egreditur ex Hospitijs, Grangijs, & similibus Locis, quæ non sunt formaliter Monasteria, seu Conuentus, sicuti exprimit *Tertius Casus Clementinus*.

Religiosus, qui noctu, & inscio Superiore egreditur è Monasterio per paucos passus, & per modicum tempus, quale est Semihora per Nauarrum Consil. 1. De Apost. num. 8., quia in Violatione Clausuræ datur paruitas materiæ excusans à Mortali, & qui egreditur è Monasterio, vt reuertatur per semihoram, breuiter reuerti dicitur, nec grauiter violasse Clausuram censetur, consequenter nec in Reseruationem Tertij Casus incurrisse.

Religiosus, qui ob bonum finem noctu, & inscio Superiore, quem non vult è Somno excitare, egreditur è Monasterio reuersurus tempore Prandij, aut seriùs, si videlicet egrediatur sine licentia expressa, aut tacita, sed solùm cùm licentia præsumpta ad assistendum v.g. Sæculari grauiter Infirmo, eò quòd Superior præsumitur consentire in talem Egressionem, hinc Egrediens nec peccat, nec incurrit Reseruationem.

Religiosus, qui ad Vitam propriam saluandam de nocte, & inscio Prælato egreditur è Monasterio, eò quòd nullum Ius positiuum potest tollere Ius naturale propriam vitam conseruandi, & sicuti pro Vita saluanda potest quis Clausuram ingredi, ita & egredi.

Religiosus, qui noctu fugit è Monasterio, inscio suo Superiore, *à quo euidenter constat, iniustè vexari, & grauiter*, atque ideò pro tollenda iniqua vexatione adit Superiorem Maiorem in longa distantia, & hæc est virtualis, & implicita Appellatio ex Sanchez, Peyrino, Coriolano, & alijs, etenim non est credendum, Religioso iniustè vexato tolli iustam defensionem Iure Naturæ concessam, neque credendum est, quòd *Tridentinum Sess.* 25. *De Regul. Cap.* 4. loquatur de Religiosis, qui à suo Superiore

riore iniquè, & contrà Ius grauantur, & recurrunt ad Superiorem Maiorem, vt à grauamine tali subleuentur. Dixi autem *à quo euidenter constat iniustè vexari, & grauiter*, vt si iniustè, & Iuris ordine non seruato Religiosus detineretur à Superiore in Carcere, vbi Cibus, & necessaria ad Vitam denegarentur, nam in tanto Vitæ suæ periculo præsumenda est Licentia Superioris Maioris, ad quem accedit, & sic in Reseruationem *Tertij Casus Clementini* non incidit. Dixi etiam, *quòd adeundo Superiorem Maiorem in longa distantia esset virtualis, & implicita Appellatio*, quia Appellatio naturali Iure conceditur, & nulli est deneganda, quùm aliud non suppetit remedium, nec de hoc est dubitandi locus, quia *à Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium* iam definitum fuit; si autem hic ordo seruetur, vt scilicet à Prælato Monasterij ad Prouincialem appelletur, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem (*attenta tamen Constitutione Innocentij XII. Incipient. Christifidelium, Moderatoria Facultatum Protectorum*) vel ad Sedem Apostolicam, numquam verò ad Tribunalia Sæcularia iuxtà *Constitutionem Gregorij XIII. Incipient. Quoniam Nostro*, vbi prohibetur Regularibus Appellatio, sub Pęna Excommunicationis latę Sententiæ, Sanctæ Sedi reseruatæ, perpetuæ priuationis Vocis Actiuæ, & Passiuæ, obtentorum Officiorum, & inhabilitatis ad hæc, & alia.

12. Quid si Religiosus Noster, quem euidenter constat, esse iniustè, & grauiter vexatum à Superiore Locali, fugeret ad Conseruatorem Priuilegiorum, & ad hunc appellaret?

℟. Quòd hic Religiosus non effugeret Excommunicationem, & alias Pęnas à præfato Gregorio, inflictas, quia non appellaret gradatim ad Prouincialem, Generalem, Protectorem, ad Sedem Apostolicam, & Mens Pontificis est, quòd cętera Tribunalia ab enumeratis dicantur Sęcularia, Tribunal verò Conseruatoris non est absolutè Sęculare, sicuti est Tribunal Episcopi in suos Clericos Sæculares, sed est Mixtum, prout procedit contrà Clericos Sęculares, & contrà Laicos, necnon contrà Regulares diuersi Ordinis,

non

non tamen poteſt Conſeruator ſe ingerere in Cauſis vertentibus inter Fratres, & Fratres, vel inter Fratrem, & Monialem illius Ordinis, cuius eſt Conſeruator, vel inter Moniales Prælato Regulari Subiectas *ex Leone X. Conſtit. Romani Pontificis*, ſed hanc poteſtatem habet ſolus Superior Regularis, aliàs tolleretur Prælatis Regularibus Iuriſdictio in ſuos Subditos, & notabiliter læderetur Exemptio contrà Mentem *Sacrorum Canonum, & Summorum Pontificum*.

13. Confeſſarij Praxis, quæ adhibetur in hoc tertio Caſu, eadem eſt, ac illa, quæ in ſecundo Caſu adhibita fuit, modificatis tamen Pęnis, vnde interrogandus eſt Fugitiuus, an noctu furtiuè exierit è Monaſterio ad luxuriandum, ad furandum, ad ludendum Aleis, & ecce Scandalum, ecce Inobedientię Crimen, ecce Violationem Caſtitatis, ecce Contemptum Paupertatis, ecce Obligationem reſtituendi. Superior verò in Foro externo, ſecundùm obſeruationem Homoboni [ fortè in Religionibus non adeò Reformatis ] quando Fugitiuus eſt Religioſus Nobili Genere natus, blanditijs potiùs quàm flagellis eſt ad bonam Frugem reducendus, &, vt ait Seneca lib. De Moribus, Nobilis Equs vmbra Virgę regitur, ignauus nec Calcaribus incitari poteſt, Idiotę autem, & minùs ingenui ſunt acriùs arguendi, & erga ipſos, iuxta phraſim *D. Antonini part. 3. tit. 17. cap. 19. plus Pedo, quàm Fiſtula vtendum eſt*. Turpe quidem eſt apud Sęculares, quòd Religioſus extrà Monaſterium Solus, & ſine Socio incedat, ac *D. Carolus* Religioſos obuios ſine Socio non reſalutabat, ſed toruo conſpiciebat aſpectu, & huiuſmodi Religioſus peccat contrà Decreta *Clementis VIII. & Vrbani VIII.*, turpiùs eſt, quòd de Die furtiuè, ſeù ſine licentia Superioris è Monaſterio exeat; turpiſſimum verò eſt, quòd nocturno tempore furtiuè egrediatur ex *Cap. Conſuluit De Officio Deleg.: Qui malè agit, odit lucem, & nocte vagatur Adulter*. Inducatur ergo hic Religioſus Minis, & Flagellis à Superiore, quoties nocturnè, & furtiuè violat Clauſuram, ſpernitque Obedientiam, vt ſuę indulgeat Libertinæ Voluntati, deinde plectatur Pęnis Apoſtaſiæ ſaltem Leuiſſimæ, ſicuti in calce ſecundi Caſus Nos explicuimus.

QVARTVS

# QVARTVS CASVS

## RESERVABILIS A' SVPERIORIBVS REGVLARIVM

*Proprietas contrà Votum Paupertatis, quæ sit peccatum Mortale.*



QVietiſſimè, inquit Seneca, Homines viuerent, ſi duo pronomina tollerent *Meum*, & *Tuum*, nam Proprietatis Vitium in Religioſis Pacem, & Concordiam tollit, quæ eſt totum Religionis Bonum; quapropter aiebat Hieronymus Gratianus De Regul. Diſcipl. Cap. 10. §. 1., Cęnobia, in quibus hoc Vitium regnat, eſſe Tartara, & ijs Inhabitantes Dæmonibus eſſe peiores. Monachum dicas Proprietarium, Dæmonem etiam dixeris incarnatum, & omnium Malorum Hoſpitem, dixeris Sacrilegum, quia Sacrum Paupertatis Religioſæ Votum impiè tranſgreditur, aut dixeris Apoſtatam, non quia Religionis Habitum deſerat, ſed quià ab Euangelica Paupertate ſcandaloſè retrocedit. Proprietati opponitur ex Diametro Religioſa Paupertas, omnium Bonorum Origo, & hanc ſinguli Religioſi ſpontè amplectentes dicuntur renunciare omnibus, quæ poſſident in hac Vita, & poſſidere poſſunt, ne poſſeſſio rerum Mundanarum ſit eis impedimentum ad perfectionem conſequendam, & de his inquit *Chriſtus Matthæi Cap. 5. Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cęlorum*, & Pau-

& Pauperes Spiritu sunt illi, qui in effectu, & affectu omnia temporalia relinquunt, & illis tantùmmodò vtuntur pro simplici necessitate naturæ, nec cessant ad Summum Paupertatis Benefactorem clamare *Matthæi Cap.* 19. *Ecce Nos reliquimus omnia, & sequuti sumus Te*. Paupertatis Zelotypus *D. Franciscus* suam voluit Religionem à cæteris condistinguere per Altissimam Paupertatem, quam Romani Pontifices *Nicolaus III.*, *& Clemens V.* in suis Decretalibus Sanctam, Obseruabilem, Meritoriam, Apostolicam, Euangelicam, & intimum vitæ Saluatoris Exemplum declarauere. Hoc igitur Sacrilegum Scelus, quod inter peccata à Superioribus Regularium Reseruabilia *Clemens VIII.* enumerauit, à Nobis tota attentione tractandum erit.

2. Vt itaque exactam habeant Religiosi cuiusuis Instituti cognitionem præsentis Casus Reseruabilis, dicam, quid sentio in Materia hac adeò periculosa, in qua Doctores aliqui nimis laxè, aliqui nimis seuerè loqui videntur, propterea Viam mediam, quantùm potero, proponere studeo, nec nouis Scrupulis torqueam Religiosorum Conscientias, & *Summorum Pontificum adducam Decreta*, *Concilij Tridentini Definitiones*, *ac Sacræ Congregationis Concilij Declarationes*, quas cum probabiliori Sententia censeo, habere Vim Legis, non quidem nouæ, sed Legis declarantis, & aperientis sensum eiusdem Concilij, consequenter Legis non diuersæ à Lege Concilij Declarati, seu interpretati *ab Eminentissimis Cardinalibus*, hinc in vtroque Foro dictæ *Declarationes Congregationis Concilij* obligant, vt obseruentur eo modo, quo Concilium ipsum ex Fagnano *Cap. Quoniam num.* 14. *De Constitut.*, qui per Annos quadraginta, & vltrà fuit in eadem *Sacra Congreg. Concilij* Secretarius, & Testis ocularis omni exceptione Maior; non ergo adhæreo Sententiæ illi, quæ prætendit, *Declarationes Sacræ Congregationis Concilij Tridentini* non posse obligare in Conscientia, & solùm esse Doctrinales, prout latas à Doctoribus, & Peritis Viris, qui magnæ sunt Auctoritatis, sed non esse Decisiuas, nec illis necessariò standum esse. Hoc supposito descendo ad Explicationem *Casus*

*quarti Reseruabilis*.

3. Dicitur in Littera Clementina ly *Proprietas*, & in subiecta materia definitur Proprietas: *Iniusta dispositio Rei pretio æstimabilis, facta à Religioso Professo sine licentia contrà voluntatem Superioris, vel cum licentia Superioris, sed iniusta*, quæ Definitio sic elucidatur. Ponitur ly *Iniusta Dispositio*, quia Religiosus actum Dominij exercet super Re pretio ęstimabili, cui ex Voto Paupertatis renunciauit, neque ampliùs est sui Iuris. Ponitur ly *Rei pretio æstimabilis*, vt detur intelligi, quòd Religiosus ad disponendum de Re temporali, & pretio ęstimabili liberum non habet Ius, ac Dominium independens, secùs verò dicendum est de Re pretio non æstimabili, vt sunt paucæ Reliquiæ, Agnus Dei &c. similiter de Bonis Spiritualibus, cùm Religiosus Ius, & Dominium istorum non abdicauerit per Votum Paupertatis, sicuti non renunciauit Iuri ad famam, ad Honores, ad Gradus Meritis debitos, quia Honores sunt præmia Virtutum. Ponitur ly *facta à Religioso Professo* (idem dicatur de Religiosa Professa) vt sic excludantur Nouitij, & Nouitiæ, cùm Voto Paupertatis nondum per Professionem se obligauerint, nec Ius habendi Proprium à Se abdicauerint. Ponitur ly *sine licentia contrà voluntatem Superioris*, eò quòd Religiosus disponens de aliqua Re notabili, & pretio æstimabili contrà voluntatem sui Superioris dicitur Proprietarius secundùm Omnes Doctores ex Cap. *Non dicatis* 12. q. 2.: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint Vobis omnia communia*, & infrà *Cùm Fratres non tantùm Facultatibus, sed Voluntatibus proprijs renunciauerint, & se per promissam Obedientiam penitùs aliorum potestati in Christo, & pro Christo subdiderint, certum est, eos nec habere, possidere, dare, vel accipere quidquam debere, sine Superioris licentia*. De qualitate Licentiæ dicam postea. Ponitur tandem ly *vel cum licentia Superioris, sed iniusta*, eò quòd licentia iniusta non est dicenda verè licentia, nam si Superior Subdito licentiam concedat, vt denarios habeat ad mæretricandum, ad ludendum in ludis illicitis, & ad alia huiusmodi illicita, & peccaminosa,

minosa, necnon ad superflua, profectò licentia foret iniusta, inualida, & culpabilis, nec Religiosus esset immunis à Vitio Proprietatis, quidquid dicant aliqui laxi Doctores contra Votum Paupertatis.

4. Sed qualis licentia Superioris est necessaria Subdito, vt tuta Conscientia possit aliquid recipere, retinere, & habere, & sic euitet Vitium Proprietatis contrà Paupertatem Religiosam?

℞. Quòd non semper sit necessaria Licentia expressa, sed interdum sufficiat Licentia rationabiliter præsumpta, quando scilicet Superior commodè adiri nequit *ex D. Thoma 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1., & quia taciti, & expressi eadem est ratio L. Labeo ff. de Pactis*; tunc autem est necessaria Licentia expressa, quando in Religione est Constitutio, vel Præceptum obligans, vt Licentia expresè petatur, nec tunc haberet locum Licentia tacita, & talis est vsus in Religionibus Reformatis, & benè Ordinatis, eò quòd per Licentiam tacitam, & præsumptam valdè relaxatur Votum Paupertatis ex Sanchez lib. 7. Cap. 19. num. 4., ideò in huiusmodi Religionibus Superior sit blandus, & facilis ad concedendas tales licentias Subditis, non verò sit tenax, aut asper, sic enim tollitur nimia facilitas recurrendi ad licentias præsumptas, in quibus ob proprij amoris passionem potest aliqua imperfectio contingere, & hoc maximè attendendum est pro Monialibus ex illo principio: *Aliquid est indulgendum Sexui*, vt Moniales alacriùs degant in Monasterijs, hilariùs patiantur Clausuram, & feruidiùs Deo inseruiant, multaque mala euitentur contrà Votum Paupertatis, & contrà Disciplinam Regularem. Licentiam expressam dicas eam, qua Superior claris Verbis concedit Religioso, posse vti aliqua Re; tacitam dicas illam, qua prudentèr iudicatur, quòd Superior sit contentus, vt Religiosus vtatur Rebus licitis, & conuenientibus suo Statui.

5. Quid verò dicendum quantùm ad euitandum peccatum Proprietatis, si Religiosus de aliqua Religione non tam stricta vsus fuerit licentia tacita, seu præsumpta ad recipiendum,

cipiendum, retinendum, aut expendendum, cùm commodè adire Superiorem non potuerit, an teneatur posteà, referre Superiori, quòd sic vsus fuerit tali licentia?

℞. Quòd si tota ratio præsumptæ licentiæ fuerit non posse commodè tunc adire Superiorem, nec Res accepta fuerit consumpta, aut alienata, sed adhùc Superior possit emendare, aut reuocare, tunc tenetur Religiosus, ad euitandum peccatum Proprietatis, posteà id manifestare Superiori, eò quòd transacto illo tempore Res ea, & ipsius Vsus sine licentia retineretur cum Proprietate, & ita intelligitur *Seraphicus Doctor S. Bonauentura part.* 1. *Speculi Disciplinæ ad Nouitios Cap.* 4. *in Fine sic aiens*: *Potest fidelis Seruus, & prudens nonnulla pro loco, & tempore facere de tacito, vel probabiliter præsumpto Superioris Consensu, ad ipsum denique finaliter acta quæque per ausum huiusmodi relaturus*. Contrarium est dicendum, quando Superior iam nequit emendare, aut reuocare, quia iam Subditus non retinet Rem illam, nec vsum illius habet tamquàm propriæ, nullumque Superior in ea habet imperium, & sic nulla est in Subdito manifestandi obligatio.

6. At quid si Superior sciat, aut videat Religiosum recipere, retinere, expendere, permutare, alienare &c. ac taceat, nec contradicat, an hæc taciturnitas æquipolleat Licentiæ tacitæ?

℞. Quòd vel Superioris Taciturnitas est permissiua, vt si taceat ex timore, pusillanimitate, aut verecundia propria, vel ex proteruia Subditi, & tunc Religiosus Subditus non excusatur à peccato Proprietatis, quia causa permissiua non excusat à peccato, sic quia permittit Deus, nos labi in peccatum, non excusamur à peccato. Vel Superioris, Taciturnitas est approbatiua, vt si nullo accedente Superioris timore, nec proteruia Subditi, & tunc Religiosus Subditus, quia Superior non contradicit, cùm contradicere possit, excusatur à peccato Proprietatis, quia hæc taciturnitas, quam Coriolanus part. 2. Casu 4. num. 5. vocat Tolerantiam, equipollet Licentiæ tacitæ *iuxta Regulam 46. in 6. Qui tacet, consentire videtur, &*

L. In

*L. In Adoptionibus ff. De Adopt. Consentire , & non contradicere parta sunt .*

7. Sed Numquid ad euitandum Proprietatis Peccatum possit Religiosus , inscio Superiore , recipere , retinere , expendere , alienare &c. sperans, quòd Superior licentiam daret , si peteretur ?

℟. Probabiliùs quòd non possit , & ratio est, quia quando valor actus pendet à licentia , necesse est, quòd licentia præcedat ipsum & non subsequatur , neque sufficit ratihabitio de futuro , neque præsumptio consensus posteà à Superiore præstandi , & patet hoc in Sacramento Penitentiæ, quòd Sacerdos validè ministrare non potest , sperans , quòd licentiam posteà concederet Episcopus , si peteretur , ergo cùm ad validam Rei acceptionem , retentionem , expensionem , alienationem faciendam à Religioso , exigatur Licentia Superioris , opus est, vt hæc licentia præcedat , nec satis est ratihabitio de futuro , sperando, quòd Superior licentiam daret , si peteretur . Tùm quia cętera alia , quæ Superiores solent concedere Subditis petentibus , essent etiam licita in Religione non petita licentia , quod esset euertere omninò Disciplinam Regularem , & paruipendere Auctoritatem Superiorum .

8. Numquid saltem Consuetudo aliquid recipiendi , retinendi , expendendi , alienandi &c. absque licentia Superioris , æquiparabitur licentiæ tacitæ ad euitandum peccatum Proprietatis ?

℟. Cum Sententia probabiliori, quòd dicta Consuetudo non æquiparetur Licentiæ tacitæ , nec excuset à peccato Proprietatis Religiosum , nam talis Consuetudo tamquàm irrationabilis est reijcienda *Cap. Mala , & Cap. quanto De Consuetud. & Cap. Cæterum De Donat.*, neque vlla est Consuetudo contrà Ius naturale Diuinum , cuiusmodi est obligatio Voti Paupertatis Religiosæ de Proprio non habendo absque licentia Superioris *Cap. Non dicatis , Cap. Nolo , & Cap. Super quibusdam de Statu Monach.* An verò euitetur , vel potiùs non euitetur peccatum Proprietatis per Licentiam Superioris datam ad turpia , ad illicita , ad superflua , vel

flua, vel per licentiam coactam, dolosam, subreptitiam, aut in perpetuum concessam, necnon irreuocabilem, habebis tunc, quando de Incidentibus, & non Incidentibus *in hunc Casum Quartum Clementinum* erit Sermo.

9. Dicitur in Littera Clementina ly *contra Votum Paupertatis*; siquidem Proprietas directè contrariatur Voto Paupertatis Religiosæ, & definitur Paupertas Religiosa sic: *Voluntaria abdicatio Dominij priuati Rerum temporalium, per quam Religiosus ipsarum proprietate priuatur, dum Professionem emittit, siue Solemnem, vt solent facere Religiosi omnes post annum Probationis, siue etiam Simplicem, vt ex Speciali Statuto, & ex Constitutione Apostolica Gregorij XIII. Ascendente Domino faciunt Iesuitæ post Biennium Probationis*. Nota verò ly *Volontaria*, quia, cum sit Votum, de necessitate imbibit voluntariam promissionem Deo factam, & hæc est primum Religionis fundamentum, quo destructo corruit Religionis Ædificium *Cap. Cum Paulus* 1. *qu.* 1.

10. An *Summus Pontifex* possit dispensare Religiosum à Voto Solemni Paupertatis?

℞. Iuxtà communem Sententiam non posse, cùm abdicatio voluntaria Dominij priuati Rerum temporalium taliter sit annexa Regulæ Monachali, vt contrà eam nulla cadat Dispensatio *Cap. Cum ad Monasterium in Fin. De Statu Monach.*, non ergo potest *Romanus Pontifex* facere, quòd Religiosus maneat Religiosus, simul & Proprietarius. Potest quidem *Papa* in Voto Solemni Castitatis dispensare Religiosum ex causa vrgentissima, & hæc sit publica, idest non attenta ipsius Religiosi vtilitate, seu necessitate, sed Regni, Prouinciæ, aut Ciuitatis, ad Fidem propagandam, ad Pacem publicam conseruandam, vel inducendam, & ad alia maximi momenti, sicuti de facto Pontifices dispensarunt aliquando cum Religiosis, & Monialibus Professis, vt possent Matrimonium contrahere, sic ex Dispensatione *Alexandri III.* Matrimonium contraxit Nicolaus Iustinianus Monachus; ex Dispensatione *Benedicti IX.* Casimirus primus Poloniæ Rex, & Monachus Cluniacensis; ex Dis-

ex Dispensatione *Cælestini III.* Constantia Monialis, Rogerij Regis Siciliæ Filia, quæ facta est Vxor Henrici VI. Imperatoris, & de nonnullis alijs *Romanis Pontificibus* legitur dispensasse in Voto Solemni Castiatis ex Causis vrgentissimis; at numquàm legitur dispensasse in Voto Solemni Paupertatis, quòd scilicet Monachus possit habere Proprium, & remanere Monachus, quapropter in supradicto *Cap. Cùm ad Monasterium* scribitur sic: *Nec æstimet Abbas, quòd super habenda Proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio Proprietatis adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contrà eam nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgerè*. Super hoc autem notanda sunt Verba *Doctissimi Nauarri in Comment. 2. de Regul. num. 17., qui sic loquitur*: *Non quidem, eò quòd putarem Papam id facere non posse, si aliqua in id iusta Causa occurreret, sed quia nulla talis occurrere posse videatur, ea consideratione, quòd cuilibet, & quantælibet necessitati, & vtilitati, cui posset prouideri per concessionem facultatis secundi generis, idest Administrationem, quæ sine sublatione Voti competere potest, vt de facto competit Pontificibus Maximis de Religionibus Probatis assumptis in administranda Monarchia Sęculari, quam habent tamquàm Reges Romæ, & totius Status Ecclesiastici sine vllo Dominio vero vllius Rei Pecuniariæ*: sic Nauarrus.

11. Dicitur tandem in Littera Clementina: *Quæ sit peccatum Mortale*, quanta autem debeat esse Pecunia, quæ constituit peccatum Mortale in Vitio Proprietatis contrà Paupertatem Religiosam, variæ sunt Opiniones, & nota, quòd nomine Pecuniæ non solùm venit numerata pecunia, sed etiam quæuis Res pretio æstimabilis, siue mobilis, siue immobilis *L. Pecuniæ nomine ff. de Verborum Signif.* Conueniunt verò Doctores in hoc apud Dianam De Paupertate Religiosa Resol. 36., eam quantitatem esse necessariam in Religioso ad constituendum peccatum mortale Proprietatis, quæ requiritur in Sęcularibus ad peccandum Mortaliter in Furto, quam tamen Sententiam communissimam Sanchez lib 7. Cap. 20. num. 5. limitat sic, quòd

quantitas,

quantitas, quæ sufficit in Sæcularibus ad constituendum Furtum Mortale, in Religioso spectanda est secundùm se, itaut Res, quam sibi vsurpat Religiosus sine licentia contrà voluntatem Superioris, sit ex se materia sufficiens ad Furtum Mortale, non verò ex Circumstantia Damnificationis, vt est in Furto Acus Sartoris, quòd quandoque est lethale occasione Damni cessantis Operatum Sartoris. Quantitatem verò determinatam, quæ requiritur in Sæcularibus ad peccandum mortaliter in Furto, variè specificant Doctores, nec tam clarè, & certò colligere possumus quantitatem determinatam Rei, quam sibi vsurpare debeat Religiosus sine licentia Superioris, vt reuerà dicatur peccare Mortaliter peccato Proprietatis, nihilominùs relictis in sua probabilitate Opinionibus plurium Doctorum, assentior Lezanæ Tom. 1. Cap. 6. num. 57. volenti, quantitatem mortalem in Furto consistere in Summa Iuliorum Romanorum, vt fusiùs dicam *in Casu octauo Reseruabili num.* 3., consequenter vt Religiosus dicatur patrare peccatum mortale Proprietatis, quod est Reseruabile *à Clemente VIII.*, sufficit, quòd disponat sine licentia contra voluntatem Superiòris de duobus Iulijs Romanis, nisi aliter sit determinata huiusmodi quantitas *in Ordinationibus*, *& Constitutionibus* propriæ Religionis, quæ ab omnibus Religiosis attentè sunt legendæ; *Apud Patres Conuentuales S. P. N. Francisci reseruatur Guardiano tertius Casus sic: Proprietas, & Furtum peccati Mortalis, quod ad valorem trium, vt vocant, Iuliorum ascendat. Apud Patres Nostros Reformatos reseruatur Sextus Casus sic: Proprietà di Peccato Mortale. Apud Nos Obseruantes Casus Reseruati in Materia Proprietatis sunt huiusmodi: In num.* 11. *Denarios contra Regulam Accipientes, Tenentes, vel Asseruantes. In num.* 13. *Religionis Bona extrà Ordinem dono dantes. In num.* 14. *Fratribus, vel Secularibus vendentes, aut quoties alio modo Alienantes*, & in his habetur Proprietas Reseruata. Neque valet, si dicas, nimis durum esse, & inuerisimile, quòd Deus ob Summam Duorum Iuliorum velit damnare Animam, quam emit pretio magno proprij Sanguinis. Non, inquam, valet, cùm

idem

idem etiam dici possit de Summa centum mille Aureorum, & Anima sit pretiosior quacumque aggregatione Rerum pretio æstimabilium, sed ratio est, quia subtractio duorum Iuliorum destruit Charitatem Proximi notabiliter damnificati in suis Bonis, & multùm perturbat humanam Societatem.

12. Sed numquid Frater Minorita accipiens, retinens, expendens, aut alienans quid infrà valorem duorum Iuliorum Romanorum, sine licentia contrà voluntatem Superioris, peccet mortaliter, & cadat in peccatum Mortale Proprietatis contrà Votum Altissimæ suæ Paupertatis?

℞. Quòd tota ratio dubitandi contrà Fratrem Minoritam habeatur ex illo Præcepto *Regulæ S. P. N. Francisci Cap. 6. sub illis Verbis* : *Fratres nihil sibi approprient*, quia dicebant aliqui Patres Nostri Ordinis, qui dicit *Nihil*, excludit quodlibet etiam minimum, ideò Minorita sine Licentia contrà Voluntatem sui Superioris habens Acum sit Proprietarius. Adhuc tamen ad Dubium respondeo probabilius esse contrà Patres adeò Pios, sed nimis seueros, quòd præfatus Frater Minorita non peccaret peccato Mortali Proprietatis, eò quòd *parum pro nihilo reputatur*, seu iuxtà dictum commune: *De Minimis non curat Prætor*, vnde inquit Coriolanus Minorita Capuccinus part. 2. Casu 4. num. 14. sic : *Arbitror quidem actum fore de Nobis Omnibus, si per exiguitatem, & paucitatem non excusaremur à Culpa Mortifera*, & loquitur Coriolanus de Materia Proprietatis, neque enim Præceptum Regulæ de nihilo sibi appropriando fortiùs obligat, quàm Lex Diuina de nihilo furando, Lex autem Diuina propter Rei paruitatem *ex D. Thoma 1. 2. q. 88. art. 5.* excusat à Mortali, quapropter licet omnis transgressio Præcepti obligantis sub peccato Mortali sit regulariter mortifera, fallit tamen, quoties vnum de tribus concurrit, scilicet paruitas materiæ, vel subreptio mentis, vel defectus Iudicij ad id sufficiens ex Nauarro in Man. Cap. 11. n. 4., qui addit, quòd Opinio contraria videatur accedere ad Hæresim Lutheranorum asserentium, omnia peccata esse Mortalia, & nulla Venialia, & ita cum Coriolano cit. discurrit etiam de Fratre

Minorita Gesualdus de eodem Capucinorum Ordine tract. 27. de Casibus Reseru. Cap. 4. num. 13.

13. Dices: si quis voueret Deo, se in qualibet die recitaturum semel Rosarium Beatissimæ Virginis, cum hac tamen expressa conditione, quòd si in Recitatione Rosarij omittat *vnum Aue*, frangat Votum, profectò non posset illud omittere sine fractione Voti, non obstante, quòd *vnum Aue* in Rosario sit Res exigua, eò quòd spontè sic se obligauit per Votum, ergo à pari Frater Minorita cùm vouerit obseruare *Regulam* S. *Francisci*, vbi sunt illa Verba: *Fratres nihil sibi approprient*, mehercle si sibi etiam minimum quid appropriet, dicitur frangere Votum, & hoc esset peccatum Mortale cum Sacrilegio, ergo Frater Minorita incidit in Proprietatem Reseruatam contrà Votum Paupertatis, quæ est peccatum Mortale.

℞. Concesso antecedenti negando consequ. & paritatem, quia, vt aiunt præfati Capuccini Coriolanus, & Gesualdus, non tenetur Frater Minorita ad hoc ratione Voti, nec enim Præcepta Regulæ sunt Vota, & *Concilium Viennense* decernit, & diuidit Vota Solemnia à Præceptis in Regula Fratrum Minorum contentis, hoc verò Argumentis luce Meridiana clarioribus esse certissimum fusè ostendit Noster Emanuel Rodriquez Tom. 1. qu. 26. art. 4., & repetit Coriolanus supracit. num 15., quòd exceptis præceptis de Castitate, de Obedientia, & Paupertate, quæ sunt formaliter Vota, reliqua Præcepta non sunt computanda inter Vota Solemnia, sed solùm sunt præcepta Minoribus tradita ad instar Præcepti Ieiunij quadragesimalis per Ecclesiam Christianis impositi. Videas apud Doctores relatos. Quòd igitur Frater Minorita nihil sibi appropriet, est præceptum Regulæ quòd quàmuis regulariter obliget sub peccato Mortali, non tamen sic obligat, quando concurrit paruitas Materiæ, qualis est in Nostro Casu Summa duorum Iuliorum Romanorum. Immò dato etiam, quòd esset Votum, adhùc nihil contrà Nos, siquidem cùm Votum sit Lex, quam Vouens sibi ipsi spontè imponit, sequitur, quòd Vouens intendat se obligare iuxtà Legem, & non aliàs,

eo quidem

eo quidem modo, quo Lex Diuina, vel Ecclesiastica obligaret, si id præciperet, at in Lege Diuina transgressio per paruitatem materiæ excusat à peccato Mortali, ergo & in Nostro Casu &c.

14. ℞. Secundò ad Dubium, & dico, non esse improbabile, quòd præfatus Frater Minorita peccet peccato Mortali Proprietatis contrà Altissimam Seraphici S. P. N. *Francisci* Paupertatem, adeò vt nihil sibi appropriare possit, prout nihil rigorosè sumitur, excluditque non solùm posse sibi sine Licentia Superioris vsurpare duos Iulios Romanos, sed nec vnum Denarium, nec vnum Acum, & hoc ratione Altissimæ Paupertatis, quam Frater Minor professus est, diuersam omninò à Paupertate, quam profitentur Religiosi non Minoritæ, cùm in Re pecuniaria respectu Fratris Minoris non detur paruitas Materiæ iuxtà Politium, Sanctem, & alios pios, ac doctos Nostræ Sanctæ Regulæ Expositores, & iuxtà Matthæuccium in Official. quoad Declarationem *Regulæ Sancti Francisci* Cap. 19. num. 22., vbi addit hanc pulchram Doctrinam ex Pasqualigo ad Lauretum De Franchis part. 1. qu. 12. De Monasterijs num. 1297. dicente, quòd qui falsam Monetam etiam Minimi valoris, quam habuit ab alio, expendit, tunc Crimen Falsi committit, nec excusatur ratione paruitatis Materiæ, quia adhùc talis expensio continet totam Malitiam Criminis, nec locum habet paruitas Materiæ, quia tunc paruitas materiæ solùm habet locum, quando Crimen contingit secundùm materiam, itaut ipsa materia sit obiectum Delicti, quomodò contingit in Furto, quod habet pro obiecto Rem alienam, non habet verò locum paruitas materiæ, quando Crimen contingit secundùm aliquam habitudinem, seu formam Materiæ, nam tunc habitudo, seu forma secundùm se totam reperitur in qualibet exigua materia; cùm ergò Crimen falsæ Monetæ, non in materia, sed in forma Materiæ consistat, nempè in eo, quod materia non idonea vestitur auctoritate Principis, & exponitur ciuili commercio, ideò si hæc forma etiam in vnico Denario reperiatur, expensio erit Crimen Falsi, nec

habebit locum paruitas materiæ, consequenter, si quis bona fide habuit ab alio monetam falsam exigui etiam valoris, non potest eam tuta conscientia expendere. Sic in Casu Nostro Fratris Minoritæ dicimus, non habere locum paruitatem materiæ in receptione vnius Denarij, sed committi Delictum mortale Proprietatis, cùm Fratri Minoritę prohibeatur recipere formam Materiæ auctoritate Principis cussæ, quæ in Hominum acceptatione reputatur Pecunia, & Denarius, & ideò quæcumque exigua receptio Denarij in Fratre Minorita sufficiens est ad ponendam totam Malitiam Delicti Proprietatis, & hoc sanè indicauit *S. Pater in Cap.* 4. *Regulæ præcipiens firmiter Fratribus vniuersis, quòd nullo modo Denarios, vel Pecuniam recipiant per se vel per interpositam Personam* itaut ly *nullo modo* idem sonet, ac nulla ratione, nullo tampore, in nulla quantitate, & de Recipiente in minima etiam quantitate verificatur semper, quòd recipiat, consequenter quòd non sit totaliter à Pecunia alienus, sicut *ex Clement.* §. *Porrò* debet semper esse Frater Minorita, qui tamen quomodò possit sine nota Proprietatis, & sine transgressione *S.* Regulę recipere Denarios, videbimus infrà num. 47. Hanc Opinionem, quam Nos dicimus non improbabilem in Fratre Minorita, in Cęteris Religiosis existimant certum *D. Antoninus part.* 3. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 11. *not.* 8., Gerson part. 2. in Responsis ad quasdam quæstiones sibi propositas quęst. penult. Alphabeto 34. litt. S. dub. 3., Passarellus super Priuileg. Minim. De Proprietate abdicanda Vers. Verùm quando, Viualdus, & aliqui alij, qui tenent Crimen Proprietatis in Religioso non admittere, paruitatem materiæ, sed esse mortale, licet Filum, aut Acum absque Licentia, aut tacita, vel expressa Superioris accipiat, nec posse esse veniale, nisi ob imperfectionem Actus; sed nimis rigidam omnes ferè Doctores pronunciant hanc Sententiam in Religioso, qui non emisit Votum Solemne Paupertatis Seraphicæ.

15. Verùm quomodò diuersificatur Paupertas Fratrum Minorum à Paupertate cęterorum Religiosorum?

℞. Quòd

℞. Quòd vna Paupertas discriminetur ab altera per hoc, quòd Paupertas Fratrum Minorum dicatur Altissima iuxtà *Cap. 6. Regulæ Sancti Patris*, qui sic loquitur: *Hæc est illa celsitudo Altissimæ Paupertatis, quæ Vos Charissimos Fratres meos hæredes, & Reges Regni Cælorum instituit, Pauperes Rebus fecit, sed Virtutibus sublimauit*, & definitur: *Abdicatio voluntaria Dominij priuati tàm in particulari, quàm in communi Rerum temporalium siue immobilium, siue mobilium, siue vsu consumptibilium, siue non vsu consumptibilium, remanente in Minoribus solùm Vsu simplici, & Nudo facti* Dominium enim earum Rerum, quæ Fratribus Minoribus donantur, vel dantur in Eleemosinas, remanet penès Dantem, Vsus autem Simplex, & Nudus facti remanet apud Fratres Minores, quòd si Dans intendat etiam à se ipso abdicare Dominium, & Ius Rei, quam dat in Eleemosinam, ne Res, antequam vsu consumpta sit, videatur esse sine Dominio, *Nicolaus III. in Constitut. Incipient Exijt qui seminat*, declarat quòd Dominium transferatur ad Sedem Apostolicam, & quòd non Vsum Iuris, sed Vsum nudum facti solùmmodò habeat Frater Minorita, adeò vt sine iniuria, & sine iniustitia impediatur ei Vsus Iuris, & iuridicè vtendi, non autem priuetur Vsu nudo, & facti, qui ad nutum Superioris, vel Concedentis est reuocabilis, ad differentiam Vsus Iuris, qui est irreuocabilis, & hoc sit dictum ad Mentem præfati Pontificis, cui vniformatur *Clemens V. in Constitut. Incipient. Exiui de Paradiso*, & antè ambos Pontifices præallatos sic senserunt *Innocentius IV.*, *Alexander IV.*, *& Gregorius IX.*, Paupertas verò cæterorum Religiosorum non dicitur Altissima, & est *Abdicatio voluntaria Dominij cuiuscumque Rei temporalis in particulari solùm, sed non Dominij in Communi*, sicuti habetur *ex Concilio Tridentino Sess. 25. De Reform. Regul. Cap. 3. Concedit Sancta Synodus omnibus Monasterijs, & Domibus tàm Virorum, quàm Mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minores de Obseruantia vocantur, etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis*

*erat*

*erat probibitum*, *aut ex Priuilegio Apostolico non erat concessum*, *vt deinceps Bona Immobilia eis possidere liceat*. In hoc verò conueniunt omnes Doctores, & Patres, quòd habere Res in communi non contrariatur Paupertati Religiosæ, & Euangelicæ, immò tamquàm Hæretici damnantur asserentes contrarium ex *Ioanne XXII. in Extrau. Ad Conditorem*, *& in Extrau. inter Nonnullos De Verb. signific.*

16. Sed numquid Moniales S. Claræ, quæ sunt Exemptæ ab Ordinario, & sunt Subiectæ Regimini Prælatorum Ordinis Minorum, obligantur etiam ad obseruantiam Altissimæ Paupertatis, ità quòd priuentur Dominio Rerum Temporalium tàm in particulari, quàm in communi, sicuti priuantur Fratres Minores?

℞. Quòd Moniales præfatæ, *estò subiaceant Reseruationi præsentis Casus*, adhùc non obligentur ad obseruantiam Altissimæ Paupertatis Fratrum Minorum, decreuit enim *Motu proprio Pius V. in Bulla Incipient. Circà Pastoralis*, Regulam S. Claræ sine Paupertate in Communi obseruari, vt hoc modo honestas Sacrarum Virginum, & Clausura perfectiùs obseruetur, nam Monialium Monasteria possidendo in Communi, habent vnde sustententur, sic etiam de omnibus Monialibus dispofuit *Gregorius XIII. in Bulla Incipient. Deo Sacris*, *& Sacra Congregatio in vna Parmensi die 16. Ianuarij 1596. declarauit*, *Moniales Omnes cuiuscumque Ordinis*, *Bona Stabilia in Communi habere posse*, *non obstante earum Regulà*, hinc secundùm Peliziarium De Monialibus Cap. 4. num. 1. Moniales quoque Capuccinæ possunt habere Bona Stabilia in Communi; immò si velint renunciare tali Concessioni, non possunt sine approbatione Papæ, cùm sit edita pro Monialium bono Regimine, Conseruatione, & Decore.

17. Quid verò quantùm ad Votum Paupertatis Religiosæ dicendum est de Religiosis assumptis ad Dignitatem Episcopalem?

℞. Quòd Religiosi, cuiusuis Ordinis sint, si ad Dignitatem Episcopalem fuerint euecti, semper remaneant Religiosi, nec sibi cum dominio acquirant, *& proprium nullo*

*modo*

*modo habere possint ex D. Thoma 2. 2. q. 185. a. 8., ad 3., non enim paternam Hereditatem venditant quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam.* Nequit etiam Religiosus factus Episcopus ex auctoritate propria testari de Bonis à Religione asportatis, nec de Bonis Ecclesiæ, cui præest, nec de Bonis sibi à Pontificia Benignitate suppeditatis ad seruandum decorem sui Status, etenim ratione Voti Paupertatis Religiosæ de dictis bonis non habet Dominium, sed simplicem administrationem, liberam tamen quoad suam sustentationem, & Causas Pias, quæ administratio finitur in Morte Administratoris, & propterea nequit alterum sibi post Obitum subrogare in Administratione, qui præfatorum Bonorum potiatur, cùm Dominium ipsorum attineat ad Summum Pontificem, & quæ supersunt, cadunt sub Spolio. Potest verò Religiosus factus Episcopus testari ex Pontificia Dispensatione, nec per hoc censetur dispensatus *à Papa* in Voto Paupertatis Religiosæ, eò quòd non possit adesse legitima dispensandi causa, sicuti è contrà potest adesse legitima Causa concedendi Dispensationem ad testandum absque violatione Voti Paupertatis Religiosæ, vt scilicet Religiosus factus Episcopus testandi facultate rationabiliter vtatur, disponendo in beneficium suæ Ecclesię, nec non Pauperum. Est itaque Religiosus ad Episcopatum assumptus liber ab alijs votis, sed non à tribus Votis essentialibus, vnde tenetur ad hæc tria Vota seruanda mutatis mutandis, tenetur ad Castitatem simpliciter, tenetur ad Obedientiam, non erga Superiores Suæ Religionis, sed specialiter *erga Romanum Pontificem*, qui est omnium Ordinum Generalissimus, & tenetur etiam ad Paupertatem, ideò non fit Dominus Redditum Ecclesiasticorum, nec potest eos prodigè donare, immò Accipientes ab eo tenentur restituere iuxtà Sanchez Tom. 2. lib. 6. num. 8., vbi pro se citat quadraginta duos Doctores, & sic tenetur ad hæc tria Vota strictiùs, eò quòd Status Episcopalis est perfectior quocumque Statu Religiosorum, cùm Religiosi sint in Via ad Perfectionem, Episcopus verò supponatur omninò perfectus, non tamen propter hoc est subiectus Censuris, & Pœ-

nis in sua Religione contrà Transgressores impositis, eò quòd non ampliùs maneat sub Iurisdictione suorum Prælatorum Regularium; Quoad Præcepta Regulæ, & Regulares Obseruantias tenetur solùm ex obligatione moralis honestatis ea seruare, quæ non impediunt Episcopale Officium, *secùs verò si Officio Pontificali repugnent, sicuti est Solitudo, Silentium, & aliquę, abstinentiæ, vel vigiliæ graues, ex quibus impotens redderetur ad exequendum Pontificale Officium sic D. Thomas cit.* §. *Respondetur dicendum*; & dixi *ex obligatione moralis honestatis*, idest secundùm decentiam, & honestatem, & non ex debito Legali obligante ad culpam, vel pęnam, & ratio est, quia Religiosus factus Episcopus extrà Ordinem eximitur, & liberatur a Iugo Religionis *Cap. Vnico* 18. *q.* 1., non tamen eximitur à deferendo Habitum suæ Religionis retinendo Colorem Habitus, quo sui Religiosi vestiuntur iuxtà Clementem VIII. in Rituali Romano Reformato. Tenetur quoque Religiosus factus Episcopus ad Votum Vitæ Quadragesimalis si erat ex Ordine Minimorum, cùm Vita Quadragesimalis sit Votum essentiale in Minimis, dispensabile tamen à Papa, sicuti cum tribus Episcopis ex dicto Ordine assumptis legitur dispensasse *Paulum V.*, *Gregorium XV.*, & *Vrbanum VIII.* in hoc Voto, & hoc est notatu dignum, quòd, in Examine cuiusdam Religiosi Minimi prò Episcopatu Capraliensi, cùm fuerit interrogatus, an posteà factus Episcopus teneretur ad Votum Vitæ Quadragesimalis, & dixisset in Examine, quòd non tenetur, statim respondit *Vrbanus VIII. Errasti tenèris omninò*, & quasi exclusus fuit ab acquirendo Episcopatu, noluit tamen *Vrbanus* dispensare cum eo.

18. At cui dicatur acquirere Religiosus factus Cardinalis, & non Episcopus, aut Abbas?

℟. Quòd cùm non habeat Ecclesiam, cui acquirat, *Summo Pontifici*, cui est immediatè subiectus, acquirit quoad dominium, & sibi acquirit solùm quoad Administrationem, & vsum pro sustentatione competente suo Satui, quia ligatus est Voto Paupertatis, & post Mortem eius debentur Bona *Summo Pontifici* tamquàm Domino, nisi testandi facultas

cultas fuerit Ei concessa, prout *à Papa* concedi consuetum est ex De la Crux De Voto Paupert. dub. 5. in fine. Quòd si Religiosus Cardinalis non Episcopus cesserit Cardinalatui, prout cessit S. Petrus Damianus, credo, quòd ad Religionis Obedientiam, nisi *Papa* aliter disponat, redire debeat, & quòd Bona in Cardinalatu adepta attineant *ad Pontificem*, & non ad Religionem, ad quam redit, eò quòd Bona illa fuerunt acquisita eo tempore, quo ab Obedientia Religionis erat subtractus, verùm Bona, quæ post cessionem Cardinalatus sub Obedientia Religionis adeptus est, Religioni acquirere censeo, nisi tamen *à Pontifice* exemptus fuerit à Religionis Obedientia. De Religioso autem, qui factus est Episcopus, sed solùm Titularis, Doctores sunt discordes, Ego tamen adhæreo Sententiæ Barbosæ De Potest. Episc. Allegat. 114. num. 31. volentis, quòd & ipse, cùm non habeat Sedem Episcopalem, & Ecclesiam cui acquirat, *Summo Pontifici*, cui est immediatè subiectus, & non Religioni, à cuius Obedientia iam subtractus est, acquirit quoad Dominium, & Proprietatem, & eò magis quòd post mortem *iuxta Bullam Gregorij XIII. Incipient. Officij Nostri* Bona Religosorum extra Religionem Degentium attinent ad Cameram Apostolicam veluti Spolium, sibi ipsi autem acquirit solùm quoad Administrationem, & Vsum pro Sustentatione decenti, & competenti suo Statui. De Religiosis verò extrà Religionem Beneficiatis, & habentibus Ecclesias, quas gubernent, censeo quòd Bonorum acquisitorum Dominium attineat ad ipsas Ecclesias quibus præsunt, nec possunt sibi ipsis Dominium acquirere, quia cùm semper remaneant Religiosi, propter Votum Paupertatis nullo modo possunt habere proprium, sicuti supra diximus *ex D. Thoma* de Religiosis ad Dignitatem Episcopalem euectis, sed solùm Administrationem, & Vsum suo Statui competentem sibi acquirunt, quæ verò tempore Mortis supersunt, & moriantur extrà Religionem, ad Cameram Apostolicam tamquàm Spolium attinent ex Vi prefatæ *Bullæ Gregorianæ*.

19. Cuinam verò acquirant Religiosi Eiecti extrà Religionem Morantes?

℞. Quòd Religiosi Eiecti à Religione tamquàm Incorrigibiles non sint immunes à Tribus Votis essentialibus *Cap. Fin. De Regul.*, cùm propter Eiectionem non sint absoluti à Professione, quam fecerunt, alias ex suo Delicto reportarent commodum contrà ea, quæ habentur *Cap. 1. De Postul. Prælat.*, & *Cap. Sedes Apostolica De Rescript.*, essentque melioris conditionis, quàm Religiosi facti Episcopi, & Cardinales, qui remanent verè Religiosi, & etiam constat ex hoc, quòd Eiecti postquàm reuertuntur ad Religionem, non emittunt nouam Professionem, signum ergò est, quòd per Eiectionem non sunt dispensati in Votis Professionis ex Tamburino De Iure Abbatum Tom. 3. disp. 8. q. 8. num. 5., consequenter Religiosi Eiecti non sunt immunes à Voto Paupertatis solemniter emisso in Religione, & hoc est verùm contrà Sotum, licet Religio Eiectos non alat, quia nec dicuntur Immunes à Voto Paupertatis Religiosi facti Episcopi, vel Cardinales, licet à Religione ipsis non subministrentur Alimenta; quòd si dicas, Religiosos factos Episcopos, vel Cardinales habere Redditus Ecclesiasticos, quibus viuant, & non sic habere Religiosos Eiectos, propterea ne isti compellantur Mendicare, aut turpem aliquem quæstum exercere, poterunt Bona Personalia possidere, sua Industria sibi comparare; siquidem respondeo, non posse ea Bona sibi comparare, vt propria, nec quantum ad Dominium illa possidere, sed solùm quoad Vsum simplicem pro sua Sustentatione, Dominio remanente *apud Summum Pontificem*, qui tunc est ipsorum Superior, & cum dependentia ab Ordinario gerente Vices Pontificis, quapropter acquirunt *Pontifici*, vt Supremo Prælato Regularium, sub cuiùs Iurisdictione tunc extrà Religionem Morantes existunt, Vices Pontificias gerente Episcopo, qui tamen Bona à Religiosis Eiectis adepta nequit consumere, etenim post Obitum iuxtà *Dispositionem Gregorij* citati sunt Cameræ Apostolicæ consignanda: Cui verò dicantur acquirere Religiosi Fugitiui, aut Apostatæ, vide Casu 3. num. 6.,

num. *6.*, 7., 8., de quibus discurrendum est sicuti de Eiectis.

20. Verùm Cuinam acquirere dicitur Religiosus, vel Religiosa intuitu actus Venerei, & violatiui Voti Castitatis?

℟. In dicto Casu Religiosum, vel Religiosam non sibi acquirere, sed Monasterio, nam non acquirit sibi, quia in *Cap. Cùm ad Monasterium Alexander III.* prohibuit, ne quis Monachorum Proprium aliquo modo possideat, & nota, quòd ly *aliquo modo* comprehendat etiam modum turpiter acquirendi, vnde quæuis Persona Religiosa ratione Voti Paupertatis nequit sibi vllo modo quid pretio æstimabile, & notabilis quantitatis accipere, retinere, & possidere, nisi ex consensu Prælati, qui Consensus deest, & si adesset, foret inanis, & nullus, ergo acquirit Monasterio iuxtà illud: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monanasterio Cap. Cùm Olim 2. De Priuileg., & Cap. In Præsentia De Probation.*, quapropter non tenetur ei, à quo accepit, turpem quæstum restituere, quia per acceptionem non remansit violata Iustitia, sola autem violatio Iustitiæ inducit obligationem restituendi, sicuti inter alios Doctores probat Sotus de Iustitia, & Iure lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2., illicitè ergò solùm accessisse dicitur, & non iniustè, licet iniustè se gesserit erga Deum, cui per actum Venereum subtraxit Honorem ipsi debitum vt Patri, & timorem ipsi debitum vt Domino *iuxtà Malachiam Prophetam*: *Si Ego Pater, vbi est honor Meus? & si Ego Dominus, vbi est Timor meus?* & ea de causa peccatum est Iniustitia: sic Lezana Tom. 1. cap. *6.* n. 38., Thomas à Iesu Cap. Ne dicatis part. 2. Cap. 5. §. Mihi verò, & alij.

21. Dices: Maritus ex Adulterio Vxoris nequit acquirere, quòd ipsa ab Adultero accepit intuitu Actus Venerei, adeò vt nullum sit pactum Remissionis ob turpe lucrum, neque vlla sit Transactio *ex L. De Crimine Cap. De Adulterijs, & ex L. Transigere Cap. de Transactionibus*, ergò nec Monasterium ex eò quòd Persona Religiosa accepit intuitu actus Venerei, & violatiui Voti Castitatis, potest quid acquirere. Tum quia nimis indecens videtur, quòd

Monasterium per actum Venereum Personæ Religiosæ sibi Subditæ acquirat.

℞. Ad primum, quòd dicta Iura obstant Marito, ne de turpibus acceptis per Adulterium ab Vxore acquirat, sed non obstent, at potiùs faueant Monasterio ad acquirendum, quòd Persona Religiosa intuitu Actus Venerei accepit, nam Persona Religiosa propter Votum Solemne Paupertatis est incapax acquirendi sibi id, quòd pro pretio Vsus sui Corporis accepit, non sic dicendum de Vxore. Ad secundum dico, quòd Monasterium non considerat peccatum Personæ Religiosæ sibi Subditæ, sed seruitium pretio æstimabile, vt enim benè notat Caietanus, traditio pretij pro turpi, & inhonesto opere impleto, vel sumitur, prout imperatur à Luxuria, & est peccatum, vel sumitur prout imperatur à Iustitia, quatenus debetur pretium pro Vsu Corporis alieni, & pro hoc Vsu dato, Monialis id, quod accepit, tenetur tradere Monasterio, & tali modo, ne prodat famam suam.

22. Dices secundò: Ancilla ex Vsu Corporis sui quidquid turpiter acquirit, sibi acquirit, non obstante, quòd *ex Legibus* §. 1. *Institut. De ijs, qui sui Iuris, vel alieni sunt* Serui nulli gaudent Dominio, si de temporalibus Bonis agamus, cur ergo non acquiret si Persona Religiosa intuitu Actus Venerei?

℞. Quòd Persona Religiosa est incapax acquirendi sibi Rem pretio æstimabilem, & est incapax Dominij, eò quòd emisit Votum Paupertatis Religiosæ, non sic Ancilla, cùm hæc Bonorum temporalium possit habere Dominium, & licet ex Legibus Serui dicantur omninò incapaces Dominij, attamen Leges istæ à legitima Consuetudine fuerunt mitigatæ, in septem præsertim Casibus, quos habes apud Thomam Tamburinum in Decal. lib. 8. tract. 1. Cap. 2. §. 1., vnde etiam mitigatæ fuerunt quoad hoc, quòd Ancilla possit sibi acquirere, sicuti modò dicimus, quòd acquirat sibi, tradendo alteri Vsum sui Corporis, at non sic dicendum est de Persona Religiosa incapaci Dominij, cùm non

sit Mitigatus Status Religiosæ Paupertatis quoad Proprietatem, sic non est paritas.

23. Petes. Quomodò discriminentur inter se Dominium Proprietatis, Vsusfructus, Vsus Iuris, & Vsus Facti?

℞. Quòd hoc sit inter ea discrimen, *Dominium etenim Proprietatis est Ius siue facultas disponendi de Re aliqua ad libitum, perfectè, & independenter a voluntate alterius*, adeò vt Dominium habens valeat Rem suam consumere, destruere, proijcere, vendere, donare, permutare, alienare, & quocumque alio modo de ea contractare, nisi per Legem prohibeatur, vt *in L. Naturaliter §. Nihil commune, & in L. Màgis puto, & toto Fit. ff. De Rebus eorum qui*, quòd dico propter Dominium Pupillorum, & eorum, qui Bona habent, & alienare prohibentur. *Vsusfructus est Ius, siue facultas disponendi de Fructibus Rerum ad se pertinentium, salua semper substantia Rei fructuariæ, quæ Domino est reseruanda*, & de ipsis fructibus potest Vsufructuarius disponere tum in vtilitatem propriam vtendo, & fruendo, tum in alienam donando, alienando. *Vsus Iuris est Ius disponendi de Re aliena vtendo ipsa Re in vtilitatem solùm propriam, quantum sibi opus est ad suum Vsum, & non ampliùs, non autem donando, non locando, non vendendo, non distrahendo, non alienando, salua semper Substantia Rei Vsuariæ, nisi Vsus ipsius sit ipsa Res consumptio*, cuiusmodi sunt Panis, Vinum, Oleum, & etiam Pecunia, quæ adhibetur expendendo, & expensa per inde se habet respectu Expendentis, ac si esset Consumpta, ad differentiam rei, quæ multoties adhiberi solet, quin consumatur, & dicitur Res non Vsu consumptibilis, cuiusmodi sunt Liber, Vestis, Equus, Domus, Vinea, quorum Vsus, non est ipsorum consumptio; quare Religiosus ex Vi Voti Paupertatis excludit à se hæc tria Iura, *excludit quippe Dominium* Proprietatis, quia Religiosus per Paupertatem priuatur Iure ad libitum perfectè, & independenter à Superiore disponendi de aliqua Re temporali tamquàm sua: *excludit Vsusfructum*, quia Religiosus priuatur Iure vtendi, & fruendi Fructibus alicuius Rei temporalis tàm in sui, quàm

in aliorum

in aliorum Vtilitatem, remanente illius Rei substantia; *excludit etiam Vsum Iuris*, quia Religiosus priuatur Vsu Iuridico Rei temporalis sub alterius Dominio, *non tamen excludit Vsum nudum, & facti, & est ipsemet actus, quo Religiosus vtitur Vestibus, Cibo, & Potu pro sui sustentatione, cum dependentia à voluntate Superioris; neque talis Vsus pugnat cum Paupertate Religiosa*, & hunc Vsum facti habet etiam Seruus suarum Vestium *in L. Vestimentum ff. de Peculio*, habent Bruta, quæ vtuntur Herbis, & Paleis, habent, & Volucres Cęli circà Res, quarum indigent pro Sustentatione propria, seu *Vsus nudus, & facti est simplex Vsus alicuius Rei temporalis sine vlla Iuridica Proprietate ad illam*, & ideò non habet Religiosus Ius petendi talem Vsum nec in Iudicio, nec extrà Iudicium.

24. Si autem quæras, an Religiosus sit capax saltem Iuris Administrationis sine lęsione Voti Paupertatis.

℞. Quòd sic, dummodò sit Officialis, & destinatus ad Bona Monasterij in vtilitatem communem Religiosorum administranda, cùm Administratio hoc modo considerata non sit Ius Proprietatis, sed solùm Officij, nec sit Ius Vsufructus, nec Vsus Iuris, sed dicatur Ius quoddam disponendi de Rebus Monasterij nomine Superioris committentis administrationem suo Religioso, siuè posteà hic gratis, siuè cum stipendio, seu Honorario ministret, & hoc patet ex *Cap. Monachi* 2. §. *Qui verò Peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit Ei pro iniuncta Administratione permissum à Communione remoueatur Altaris*, ecce igitur quòd Religiosus potest habere Ius Administrationis, non læso Paupertatis Voto, & ex *Cap. Cùm ad Monasterium De Statu Monach.*, vbi vocatur Obedientia, quæ illi perpetuò committenda non est, sed ad nutum Superioris est reuocabilis, atque expressiùs ex *Concilio Tridentino Sess. 25. De Reform. Regul. Cap. 2. Administratio autem Bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum ad solos Officiales eorumdem, ad Nutum Superiorum amouibiles, pertineat*, igitur Religiosus potest habere Ius Administrationis sine lęsione Voti Paupertatis, cùm tale Ius non contineatur sub ratione

Proprie-

Proprietatis. Si verò Religiosus in ordine ad se, & in suam propriam Vtilitatem administret Bona Monasterij, tunc est incapax Iuris Administrationis, & Paupertatis Votum lędit ex Nauarro Tom. 2. Comm. 2. De Regul. num. 15. §. Secundo quod proprium.

25. Quid verò dicendum est de Rebus Vsu consumptibilius per vnicum actum, an scilicet Vsus illarum, qui est earum Consumptio, nec non earumdem Dominium possint sic separari, vt reperiantur in diuersis subiectis?

℞. Probabiliùs, & communiùs posse separari, licet maxima semper fuerit in solutione huius dubij Controuersia non solùm inter Doctores priuatos, sed etiam inter Romanos Pontifices, partem negatiuam sustinente *Ioanne XXII. in Sua Extrauag. Ad Conditorem De Verb. Signific.*, & partem affirmatiuam defendentibus *Innocentio IV. Alexandro IV.*, *Gregorio IX.*, *Nicolao* præsertim *III. in Sua Constitut. Exijt, qui seminat*, & *Clemente V. in Sua Bulla Exiui de Paradiso*. Potest igitur Vsus Rerum vnico actu consumptibilium, cuiusmodi sunt Panis, Vinum, Oleum, ab earum Dominio separari, & ratio separationis vnius ab altero consistit in hoc, quòd qui habet Dominium Rei, potest illam quomodocumque liberè, ad libitum distrahere, vendere, destruere, donare, alienare, at verò qui Vsum eius solùm habet, potest illa solùm vti dependenter à Domino, consequenter in vno potest reperiri Dominium Rei vnico actu consumptibilis [non enim loquimur de Vsu rerum vnico actu non consumptibilium, quia omnes Doctores conueniunt, quòd Dominium, & Vsus huiusmodi separentur] & in altero potest reperiri Vsus eiusdem Rei vnico actu consumptibilis, quod euidentissimè constat *in Fratribus Minoribus de Obseruatia*, & *in Capuccinis*, qui quidem possunt vti Pane ad manducandum, sed cum dependentia à Voluntate *Summi Pontificis*, qui est Dominus omnium Rerum, quas pro eorum necessitatibus subleuandi subministrant Benefactores, immò cum tanta dependentia, vt sine iniustitia contrà Religionem Minorum possit *Papa* Panem illum, quem Minorita admouet ad Os suum, statim

tollere,

tollere, & hoc modo Frater Minorita simplicem Vsum facti habere dicitur, sed non dominium, eò quòd non potest, de illo Pane disponere distrahendo, vendendo, destruendo, donando. Simile quid accidit in alijs particulalaribus Religiosis cęterarum Religionum, nam propter Votum Paupertatis non possunt vti Rebus pretio æstimabilibus, quàmuis Vsu ipso consumptibilibus, nisi dependenter à Voluntate sui Superioris, & in hoc differunt alij Religiosi à Minoritis, quòd Monasteria, & Communitates aliarum Religionum habeant perfectum Dominium Rerum, siue Vsu consumptibilium, siue non, sibi à fidelibus donatarum Religio autem Minoritarum id non habet, quia *Summus Pontifex* Omnium Rerum Suarum Dominium retinet, propterea Religiosi cæterarum Religionum Rebus prædictis vtuntur cum dependentia immediata à voluntate sui Superioris, at Minoritæ cum dependentia immediata *à Summo Pontifice*, vnde de cęteris etiam particularibus Religiosis aliarum Religionum verificatur, quòd Rerum vnico actu cansumptibilium Vsum habeant sibi à Superiore concessum, & Dominium remaneat apud ipsum Superiorem, qui est legitimus administrator Bonorum talis Religionis. Tum quia constat Exemplo Conuiuę, & Inuitati ad Cęnam, qui Cibariorum habet simplicem Vsum facti, remanente semper Eorum Dominio apud Inuitantem, hoc ipso, quòd Inuitans intendit, vt secùm manducet, non autem vt de Cibarijs disponat ad suum libitum, videlicet asportando ad Domum suam, & sicuti vult. Tum quia hoc apparet in Fure, qui consumendo Rem Furto ablatam dicitur circa illam habere Vsum facti, non autem Ius, & Dominium, quia hoc apud Dominum Rei sublatæ remanet, & consequenter Vsus habetur in vno Dominium, autem in altero. Nec nos conturbat discordantia præfatorum Pontificium diuersimodè sentientium in hoc puncto, quandoquidem *Ioannes XXII.* aduersatur *Nicolao III.*, sed tamquam Doctor priuatus loquutus est, & non *vt Papa* definiuit, immò in *Extrau. Quia Quorumdam dixit, non ideò babendum esse hæreticum, qui contrarium censuerit*, vnde Bellarminus *de Romano*

*Romano Pontifice* lib. 4. cap. 14. ait, quòd *Nicolaus III.*, *& Ioannes XXII.* hic non dissentiunt in Materia Fidei, sed in Quæstione problematica vtrimque probabili, & hæc discordantia non inconuenit in Quæstionibus ad Fidem minimè attinentibus. Adde supradictis fauorabilem ad euidentiam esse Doctrinam *Angelici Magistri in 4. dist. 15. q. 2. art. 5. quæstiunc. 1. ad 2., vbi docet, Filios Familias posse vti Cibis sibi subministratis à Parentibus ad necessitatem suam, non autem alijs dare*, ex quibus Verbis sic discurro: Cibi sunt Res, quæ vnico Vsu consumuntur, & tamen Filij Familias de Cibis sibi suppeditatis à Genitoribus habent Vsum, & non Dominium, cùm Dominus valeat de Re ipsa quocumque Modo sibi Viso disponere, iuxtà dicta superiùs, & ij nequeant alijs dare; Diuo etiam Thomæ inter innumeros Doctores adstipulantur *D. Antoninus part. 3. Summæ Tit. 16. Cap. 1. §. 9.*, Bannes 2. 2. qu. 62., Syluester Verb. Religio Cap. 6. qu. 7. Dicto 2. Dicentes, Religiosos de sibi competentibus ad vsum ex concessione suorum Superiorum habere purum Vsum, & non Dominium, vel Vsufructum, ideòquè posse ijs vti ad subueniendum indigentię suæ Personali, non alteri participare, assensu Prælati non accedente, & ex hoc deducunt, non posse tribuere alteri titulo Elęemosinę, ita Pelizarius de Monialibus Cap. 4. sect. 1. num. 20., & Donatus Tom. 1. part. 2. tract. 15. qu. 24. num. 2.

26. Aduertendum est primò, quòd ad perfectiùs obseruandum Paupertatis Religiosæ Votum, Ecclesia à Spiritu Sancto edocta specialem modum præscripsit, qui est Vita Communis in Victu, Vestitu, Lectisternijs, & alijs dispensatis, & destributis à Superiore, inspectis Ætatibus, & Necessitatibus Singulorum Religiosorum, vnde in primis sic decernitur, & præcipitur *a Concilio Tridentino Sess. 25. de Reform. Regul. Cap. 2.*: *Nemini igitur Regularium tàm Virorum, quàm Mulierum liceat Bona Immobilia, vel Mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab ijs acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur,*

*Conuentuique incorporentur*; *secundò ex Clementis VIII. Decreto sub die 25. Iunij 1599. Confirmatiuo dicti Decreti per illa Verba. Quo Tridentini Concilij Decreta de Paupertatis Voto custodiendo fidelius obseruentur præcipiatur &c.* tertiò *ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij innouatiuò Decreti Clementini Authoritate Vrbani VIII. De Apostatis, & Eiectis*; propterea licet Vita Communis non sit *de Iure Diuino*, eò quòd absque Vita Communi Votum Paupertatis Religiosæ impleri potest, & ex *Iure Canonico antiquo Cap. Monachi 2. de Statu Monach.* permittitur Peculium Religioso dependens à voluntate Superioris, est tamen de *Iure nouo Ecclesiastico nimirùm Concilij Tridentini, Clementis VIII., & Vrbani VIII.*, & Religiosus contrà Votum Paupertatis peccaret mortaliter, si Superior velit Vitam Communem erigere, & Religiosus illam recusaret, eiusque introductioni resisteret, debet enim esse animo paratus ad Reformationem recipiendam; neque excusaretur dicendo, se sub contraria Consuetudine emisisse Professionem, quandoquidem Omnes Religiosi virtualiter vouerunt *Vitam Communem à Tridentino præscriptam, Superiore illam conseruare, aut erigere volente*, cùm vouerint nihil retinere sibi independenter à Voluntate Superioris, adeòque vouerint virtualiter Superiori præcipienti tradere omnia ab ipsis acquisita, & consequenter nulla valet Consuetudo contrà Regulam, quoad tria Vota Substantialia.

27. Nec rectè, & religiosè loquuntur, dicentes, dicta Decreta quoad Vitam Communem non fuisse acceptata, vel ferè posteà fuisse abrogata, nam quomodò non fuerunt acceptata, vel ferè posteà fuerunt abrogata, cùm assiduò pro Obseruantia Vitæ Communis prescriptæ *à Tridentino* instent Summi Pontifices, etiam post *Vrbanum VIII.*, *Innocentius X.*, *Alexander VII.*, *Innocentius XI. in suis spectabilibus Bullis*, adeò vt pro Vita Communi promouenda suspendant Licentias induendi Nouitios? Neque valida approbatur Excusatio dicentium, quòd Monasterium sit inops, quandoquidem Religiosi partìm ex ijs quæ habent à Monasterio, partìm ex ijs, quæ acquirunt ex suo labore, ac industria,

dustria, ac à Propinquis, & Amicis, omnia sunt sufficientia, vt ipsi viuant, & necessaria ad decentiam Sui Status habere dicantur, vnde si ea tradant Superiori incorporanda cum alijs Prouentibus Monasterij, vt in Massam communem reponat, potest Superior facilè prouidere pro singulorum Religiosorum necessitatibus iuxtà decentiam Status. Idem dicatur de Monialibus.

28. Aduertendum est secundò, ad hoc vt Vita Communis exactiùs obseruetur, sic decreuisse *Tridentinum cit. Cap. 3.*: *In Monasterijs, & Domibus tàm Virorum, quàm Mulierum, Bona Immobilia possidentibus is tantùm numerus constituatur, ac imposterum conseruetur, qui vel ex Redditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis Eleemosynis commodè possit sustentari*; sic pariter *Clementem VIII.*, & *Sacram Congreg. iussu Vrbani VIII.*: *In vnoquoque Conuentu Fratrum is tantùm deinceps constituatur, & inposterum retinatur numerus, qui ex Redditibus illius proprijs, vel ex communibus consuetis, vel etiam Singulorum Eleemosynis, alijsque quibuscumq; obuentibus, in Commune, vt præfertur, conferendis, commodè possit sustentari*; sic etiam præcepisse *Paulum V. in Bulla Sanctissimus in Christo* 1605. *vbi etiam sub Pœnis grauissimis iubet Superioribus Regularium, vt habita ratione Introituum, & Expensarum per decem Annos, cuicumq; Conuentui prædictus certus numerus Fratrum, qui commodè possit sustentari, tantùmmodò prefigatur, & infrà Annum hæc omnia in Autenticam formam redacta ad Sacram Congregationem Reformationis mittant.* Idem præcipisse *Sacram Congregationem Concilij in Decretis de Celebr. Missarum num. 7. Iussu Vrbani VIII.*, *vt obseruetur*. Ratio verò huius tàm Sanctæ Legis ea est, ne ob multitudinem Religiosorum, qui commodè in vno Monasterio sustentari non possunt, cogantur vel Vitam Communem relinquere, vel à Monasterijs abesse, vel plura stipendia Missarum, quàm illa, quibus satisfacere possunt, recipere, vel tandem cum Sęcularibus implicari, nimirùm Rebus temporalibus acquirendis addicti. Vnde hoc Præceptum cùm sit de Re grauissima, & valdè necessaria Statui

 Religioso,

Religioso, sine dubio obligat ad Mortale ex Sanchez in Decal. lib. 7. Cap. 23. per totum. *Idem Statutum fuit de Monialibus in Bulla Pij V. Anno 1566. Incipient. Circa Pastoralis Officij, & priùs in cap. Vnic. §. Sanè de Statu Regul. in 6.*

29. Sed numquid Religiosi siue Viri, siue Mulieres possunt habere Peculium, siue Annuos Redditus, aut Census, & Vsusfructus eorum, & alia Immobilia ad Vsus honestos, & licitos de licentia Superiorum, & ad nutum istorum reuocabilia?

℟. Quòd multorum Doctorum Sententia fuerit, & quidem probabilis, quòd possint, eo modo, quo *secundùm Ius Canonicum antiquum ante Tridentinum poterant*, & hanc Sententiam reputo veram in illis Monasterijs, seu Conuentibus, vbi vel ob nimiam Paupertatem, vel ob malitiam, aut ob incuriam, & negligentiam Superiorum non seruatur *perfecta Vita Communis* subministrando singulis Religiosis necessaria ad Decentiam Status; Recentiorum tamen Sententia magis accepta in ordine ad seruandam *perfectam Vitam Communem* est, quòd non possint attento *Tridentino Sess. 25. de Ref. Regul. cap. 2. quòd est Norma, & Regula viuendi pro omnibus Religiosis, Verba Tridentini sunt hæc: Nemini igitur Regularium tam Virorum, quam Mulierum liceat Bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita tamquàm propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus Bona Stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad Vsufructum, vel Vsum, Administrationem, aut Commendam. Administratio autem Bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum ad solos Officiales, eorumdem ad Nutum Superiorum amouibiles, pertineat*, quibus ex Verbis constat, inhiberi Religiosis, siue Viris, siue Mulieribus, ne possint ampliùs aliquo modo possidere Peculium, siue annuos Redditus, aut Census, & Vsusfructus eorum etiam cum Concessione suorum Superiorum, proptereà *Tridentinum non innouauit, sed declarauit Ius antiquum*,

*quum*, vt adhuc prætendunt Multi, *sed Ius nouum condidit*, & sic præcepit per illa Verba: *Nemini igitur Regularium tàm Virorum, quàm Mulierum liceat*, necnon præcepit per alia Verba: *Nec deinceps liceat Superioribus Bona Stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad Vsumfructum, vel Vsum, Administrationem, aut Commendam*, quod non prohibetur *per Ius antiquum*. Constat etiam ex illa particula *Deinceps*, quam exprimit *Tridentinum*, vt nouum posthac faciat Præceptum, ac si dicat, si anteà licebat, modò non liceat, ità Suarez Tom. 3. de Relig. lib. 8. Cap. 14. num. 7., Corduba, Lessius, Lezana, & alij. Hæc omnia confirmata fuere à *Clemente VIII. in Decreto Declaratiuo Concilij Tridentini edito die* 25. *Iunij* 1599.

30. Neque valet dicere *Mentem Tridentini, & Pontificiam* fuisse solùmmodò, quòd Religiosi nihil habeant inamouibile, & independens à voluntate suorum Superiorum, non autem quòd Religiosi, non possint quæcumque Bona tàm immobilia, quàm mobilia habere, amouibiliter tamen, & cum dependentia à voluntate suorum Superiorum: Non, inquam, valet, tum quia hoc est contrà Praxim Monasteriorum, & Religiosorum reformatè viuentium; tum quia Sententia Aduersariorum videtur potiùs inseruire ad illudenda *Decreta Tridentini, & Pontificia*, ac ad illaqueandas Conscientias Regularium, nam intentio Ecclesiæ est clara, quòd scilicet Religiosi, non solùm nihil habeant à voluntate Superiorum, quia cùm hoc sit de ratione intrinseca Voti Paupertatis Religiosæ, non erat necessarium, vt præciperetur, sed intentio Ecclesiæ, seu prædictorum Decretorum expressa est, quòd omnia, quæ Religiosi quomodocumque acquisierint, *Statim ea Superiori tradantur; Conuentuique incorporentur*, idest cum alijs ipsius Bonis confundantur sine vllo discrimine Peculij, itaut Administratio illorum tàm in recipiendo, quàm in retinendo, seu expendendo ad *solos Officiales Monasteriorum, seu Conuentuum, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat*, non autem ad ipsos Religiosos priuatim, *vt inde communis Victus, & Vestitus omnibus suppeditari possit*, non obstante quacumque

Licentia,

Licentia, seu Dispensatione Superiorum, & in hoc consistit *Vita Communis* ex Mastrio in Theol. Moral. disp. 14. num. 41.

31. Quòd verò Viri Religiosi post *Concilium Tridentinum* nequeant etiam ex Concessione suorum Superiorum habere Peculium, annuos Redditus, Census, Vsusfructus, & alia Bona Immobilia, & mobilia superflua, sicuti permittebantur habere ante *Concilium Tridentinum ex Iure Canonico antiquo*, placeat repetere ad verbum *Dubia*, & *Declarationes Sacræ Congreg. Concilij*, apud Stephanum Quarantam Pagina Mihi 157. num. 6.

*Quæritur primò. An ex Dispensatione Inferiorum à Summo Pontifice liceat Regularibus possidere, vel tenere Agros, annuos Redditus, aliaque Bona, immobilia, videlicet, & mobilia superflua, non obstante Decreto Concilij. Sess. 25. De Regul. Cap. 2.*

*Secundò. An propter talem Dispensationem, seu Scientiam Superiorum possidentes, vel tenentes Immobilia, vel Mobilia superflua à Culpa, vel à pena excusentur? Tertiò. An Superioribus asseuerantibus, huiusmodi se Licentias posse concedere, Fides adhibenda sit? Quartò. An Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares, quoad Mobilium superfluitatem, & conuenientiam? Quintò. An, Superiore quamtumuis requisito, necessaria suis Religiosis negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel inuito eo necessaria sibi comparare, seù retinere? Sextò. Quatenùs liceat, an ibidem liceat, cùm necessaria ideò negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterij Facultates non suppetunt? Septimò. An dicti Superiores Regulares dictum Caput 2. declarare, vel interpretari possint?*

*Ad primum.* Congregatio *Concilij respondit, non licere.*

*Ad secundum. Non excusari neque à culpa, neque à pena ipso facto incurrenda.*

*Ad tertium. Minimè adhibendam.*

*Ad quartum. Nisi de excessu arbitrij constiterit, vtique stare debere, habita videlicet ratione Personæ, Officij, & Regulæ,*

*Regulæ, Statuſque Paupertatis, quam profeſſi ſunt, & cæterarum itidem qualitatum.*

*Ad quintum.* Non licere.

*Ad ſextum.* *Licere ſi præcisè neceſſitas ſit ad Indiuidui Suſtentationem, cæterùm communem Pecuniam ab omnibus percipiendam vſque adeò, vt ſi quid priuatim alicui delatum, vel ab ipſo partum fuerit, id omne ad Superiorem rectè deferri opporteat, qui ex eo primùm ſuccurrat eius neceſſitati, cuius intuitu illud obuenerit, ſi peculiari aliqua neceſſitate vltrà communem prematur, reliquum Conuentui incorporetur, & in Communem cedat Vtilitatem.*

*Ad ſeptimum.* Non poſſe.

32. De Monialibus autem idem dicatur, ac de Religioſis Viris *iuxtà Mentem Concilij Tridentini, ac Pontificiam*, & in totius Confirmationem appono in primis *Declarationem Sacræ Congregationis* adductam à Lezana Tom. 1. cap. 6. num. 20. *Domina Aldonza de Toledo mortuo Marito, cùm facta fuiſſet Monialis, ſibique reſeruaſſet ducentos Aureos annuos, interrogata Sacra Congreg. Cardinalium, an ſecurè id poſſet facere? Reſpondit, eſſe contra Concilium, illam Dominam annuos Redditus apud ſe retinere, ſed potiùs dandos eſſe Abbatiſſæ, quæ illius neceſſitatibus prouideret.* Deinde addo *Declarationes Sacræ Congreg.* Conc. deſumptas à Stephano Quaranta ſupracit. Et ſunt huiuſmodi. *In aliquibus Monaſterijs Monialium reperiuntur nonnullæ Moniales, quæ Cenſus, & annuos quoſdam Redditus, & Prouentus, ſeù Fructus percipiunt ſub diuerſis Contractuum Speciebus. Nam aliquæ in ipſarum Perſona emerunt certos Redditus à Perſonis Laicis. Aliquæ ab alijs Monialibus. Aliquæ ab ipſis Monaſterijs. Aliæ verò dederunt Pecuniam Monaſterio, vt ex earum Pecunijs fieret Emptio nomine Monaſterij ad rationem ſeptem, vel octo pro centenario, & Abbatiſſæ dabant dictis Monialibus illos Redditus, quos ex dictis Emptionibus exigebant ſingulis annis. Aliquæ Monaſterijs, ſeu eorum Superioribus certas Pecuniarum ſummas manualiter*

pro Mona-

*pro Monasterij Indigentijs dederunt , pacto adiecto , vel etiam tacita conuentione adhibita , vt Monasterium , seu Abbatissa certos Redditus ad rationem tot pro centenario , eorum Vita durante concedat.*

*Quæritur , an in huiusmodi Casibus liceat Monialibus dictos Redditus , Fructus , & Prouentus percipere absque incursu Proprietatis , vel potiùs tamquàm Proprietariæ incurrant in pęnas per Concilium Tridentinum Sess. 25. Cap. 2. De Regul. in proprietarios inflictas , etiamsi de licentia Abbatissæ , & Abbatissæ nutu , vel Conuentus , seu Monasterij Nomine percipiant ?*

*Congregatio Concilij censuit : In nullo supradictorum Casuum licere Monialibus dictos fructus , seu redditus percipere , & si perceperint , incidere in Pęnas propositas à Decreto dicti cap. 2. sess. 25. de Regul. , neque ab huiusmodi Pęnis excusari ob licentiam Abbatissæ , quæ eam , dicti Concilij Decreto , supradictis Casibus concedere quidem prohibetur , sed debet pro suo munere ex Monasterij Redditibus , vel Elęemosinis , Monialium necessitatibus in dies subuenire.* Hæc dicta sint quoad Monasteria , seu Conuentus , in quibus Vita Communis perfectè obseruatur , cui promouendæ insudant *Romani Pontifices , & Cardinales S. Concilij Interpretes , vt constat ex alia Declaratione S. Congreg. Concil. relata à Fagnano Cap. 2. de Statu Monach. num. 63. vbi sic :* Cùm *Archiepiscopus Vrbini retulisset S. Congregationi, se non potuisse adducere Moniales cuiusdam Monasterij ad suscipiendam exactam Vitam Communem , ideòque illis proposuisse , vt fieret Communis Arca , cuius Clauis penès Abbatissam existeret , & intùs aptarentur tot Scriniola , quot essent Moniales , itaut vnaqueque haberet Clauiculam Scrinioli sui , & in ea asseruaret pecuniam ex laboritio , vel aliunde partam , quæ in ipsius tantùm , & non in alterius necessitates erogari deberet arbitrio Abbatissæ. S. Congregatio hoc temperamentum ludicrum existimauit , & repugnans Cap. 2. de Statu Monach. , quòd iubet , vt omnia Superiori tradantur , & Conuentus incorporentur , adeòque mandauit Archiepiscopo , vt quamdiù Moniales Communem Vitam*

non

*non susciperent, interdiceret ipsis receptionem Puellarum ad Habitum, & Professionem.*

33. An verò in Monasterijs, seu Conuentibus, in quibus vel ob nimiam Paupertatem, qua premuntur, vel ob malitiam, incuriam, aut negligentiam Superiorum non potest Vita Communis obseruari, dando singulis Religiosis ea, quæ sunt simpliciter necessaria ad decentiam sui Status, possint ex iusta, & licita causa permitti Religiosis Peculium, Stabilia, annui Redditus, Census, & Vsusfructus eorum, in ordine tantùm ad Vsus simpliciter necessarios, & amouibiliter à Voluntate Superioris?

℞. Ex Lezana Tom. 1. Cap. 6. num. 21. vtique permitti posse, & ideò superiùs dixi, esse probabilem Sententiam, quæ aiebat posse *ex Iure Canonico antiquo*, cum habere ista non obstet Voto Paupertatis Religiosæ, de cuius ratione intrinseca non est, priuari illis cum dependentia à Voluntate Superioris, & ita tenet Lezana, quia scillcet Præcepta Ecclesiastica non obligant cum impossibilitate Morali, ergo nec in dato Casu obligare possunt *Decreta Tridentini, Pontificia, & Sacrarum Congreg.*, hactenùs enim dicta Decreta prohibent Religiosis ea omnia, quia supponebant, Monasteria, eorumque Superiores subministrare omnia necessaria singulis Religiosis, ergò in Monasterijs, seu Conuentibus, in quibus Superiores subministrare non possunt, vel subministrare nolunt necessaria ad Decentiam Status, tunc *Præcepta Tridentini, Pontificia, & Sacrarum Congreg.* cessare debent, & hoc dictum sit non ad præbendam ansam Abusibus, sed vt timoratis Conscientijs Religiosorum, qui in prædictis Monasterijs, seu Conuentibus aliter viuere non possunt, satisfaciam.

Licitam prætereà censeo in talibus Monasterijs, seu Conuentibus cum Philippo Fabro disp. 45. num. 138. Consuetudinem aliquarum Religionum, in quibus certa quædam Pecuniæ portio Menstrua, aut Annualis, quæ vulgò appellatur *Vestiario*, singulis Religiosis assignatur à Monasterio, & hæc ad Vsus eorum solùm necessarios, & cum dependentia à voluntate Superiorum, hoc siquidem, inquit

Lezana cit. num. 22., non aliud est, quàm Superiorem applicare de Bonis Monasterij ea, quæ sunt necessaria Religiosis, quod sine dubio licitum est, immò debitum, ad hoc vt Religiosi commodè iuxtà decentiam sui Status viuant, aliàs cum nimio incommodo viuerent.

34. Licitum etiam censeo in prædictis Monasterijs, seu Conuentibus, in quibus vel propter nimiam eorum Paupertatem, vel propter malitiam, aut propter iniuriam, vel negligentiam Superiorum *perfectè non obseruatur Vita Communis*, Pecunias à Religiosis proprio labore, industria, aut donatione acquisitas, & ijs concessas à Monasterijs, seu Conuentibus retinere in Deposito, seu in Ærario Communi, vt posteà extrahantur expendendæ pro singulorum Religiosorum necessitatibus, cum dependentia à Voluntate Superioris, & in hoc Casu Pecuniarum Administratio est penès Monasterium, simplex verò Vsus facti est penès Religiosum, dependens à voluntate Superioris, ac proindè Pecuniæ non incorporantur, nec confunduntur cum Bonis, & Fructibus Monasterij, ad differentiam Monasterij, in quo seruatur *perfectiùs Vita Communis*. Quòd si Religiosus dictas Pecunias retineat apud se in Cella, aut apud Exteros, cum animo celandi eas Superiori, si sint in quantitate Mortali, & non reponat in Ærario Communi; peccat contrà Votum Paupertatis Religiosæ, & veluti proprietarius punitur, cùm illas possideat contrà Voluntatem Superioris, qui designauit Depositarium, seu Officialem Monasterij, ad quem pertinet Administratio iuxtà *Concilium Tridentinum cit. Cap.* 2. Vide peroptimè regulatas *Constitutiones Vrbanas PP. Minorum Conuentualium S. P. N. Francisci in Cap. 4. Tit. 1., & 8.*, ac vide apud Lezanam cit. num. 23. *Decretum S. Congreg. Apostolicæ Visit. Iussu Vrbani VIII. sub die 13. Iulij 1627. pro Franciscanis* Conuentualibus Sanctorum Apostolorum Romæ, quod est huiusmodi: *Pecunia verò, aliæque Res quæcumque Fratrum intrà viginti quatuor horas tradantur Superiori in* Commune *Conuentus Ærarium reponendæ, triplicique Claue custodiendæ, quarum vna penès Guardianum pro tempore existentem, duæ*

*verò*

*verò aliæ penès, duos alios Fratres, singulo quoque Anno per Conuentum eligendos, conseruentur, ex quibus subministrato Exhibitori, quantum religiosæ eius necessitates (Status, Valetudinis, laborumque ratione habita) expostulare videbuntur; reliquum penès Ærarium remaneat, & arbitrio duarum ex tribus Partibus Capituli, seu Congregationis Prouincialis singulis Annis faciendæ erogetur.*

In Monasterijs quoque Monialium, in quibus ob Paupertatem, vel ob malitiam, aut incuriam, & negligentiam Præfectarum, vt suprà diximus, non seruatur perfectè Vita Communis iuxtà Formam *Concilij Tridentini*, licitum censeo, fieri Depositariam Communem, vt in Capsula seruet Omnium Monialium Pecuniam quouis Titulo acquisitam, cùm Depositaria inuenta sit non pro substantia, sed pro perfectione Paupertatis Religiosæ seruanda, & sic verificatur, quòd non Moniales, sed Monasterium retineat Pecunias; debent verò Moniales animum habere voluntati Abbatissæ resignatum, vt de Pecunijs disponat, sicuti vult, quàmuis Abbatissa ab Vsu talis Potestatis debeat abstinere iuxtà illud *Apostoli ad Corinthios 6. Omnia Mihi licent, sed non omnia expediunt*. Licitam propterea censeo Praxim, & Consuetudinem in huiusmodi Monasterijs, qua Propinqui Monialium in Professione assignant ipsis vltrà Dotem, Annuum Censum moderatum, seu Redditum pro honestis, & licitis Earum Vsibus, dependenter tamen à Voluntate Præfectæ, & reuocabiliter, in quantùm à Monasterio ratione Paupertatis non suppeditantur Monialibus necessaria ad Victum, Vestitum, Medicinalia, & alia ad decentiam Status, necnon ad exequenda Officia, quibus designantur à suis Præfectis.

35. At quid dicendum, si alicui Religioso legetur, vel donetur aliquid sub hac conditione, vt ad eum, & non ad Monasterium pertineat?

℞. Quòd hoc intelligendum sit iuxtà Conditionem Personæ, nimirùm de solo Vsu, & cum licentia Superioris ad nutum reuocabili, ità Sanchez lib. 7. Decal. Cap. 17. num. 4., eò quòd, vt benè obseruat Iason *in L. Quoties* 2.

 *ff. De Voto*

*ff. De Voto Obed. Voluntas Testatoris pro possibili semper est sic explicanda, ne careat effectu, & ne pereat eius voluntas.* Quòd si tali Religioso legetur, vel donetur aliquid sub ea conditione, vt ad eum etiam pertineat Dominum, & nullo modo ad Monasterium, vel vt ei, quàmdiù viuit, permittatur Vsus, vel independenter à licentia Superioris, tunc illa conditio habetur pro non adiecta, & tale Legatum, seu Donatio adhùc pertinet ad Monasterium, iuxtà illud vulgare dictum *Quidquid acquirit Monachus acquirit Monasterio*, & ratio est, quia talis Conditio est turpis, repugnansque Paupertati promissæ, *turpis autem Conditio habetur pro non adiecta* §. *Impossibilis Institut. De Hæredum Instit. Impossibilis Conditio in Institutionibus, Legatis, necnon Fideicommissis, & Libertatibus pro non scripta habetur, & L. Conditiones* 14. *ff. De Conditionibus instit. Conditiones contrà Edicta Imperatorum, aut contrà Leges, aut quæ Legis vicem obtinent, scriptæ, vel quæ contrà bonos Mores, vel derisoriæ sunt, aut huiusmodi, quas Prætores improbauerunt, prò non scriptis habentur, & perinde ac si Conditio Hæreditati, siue Legato adiecta non esset, capitur Hæreditas, Legatumue*, quapropter Conditio turpis præfata non vitiat Legatum, sed ipsa ab illo vitiatur, ac Legatum habetur pro valido. Contrarium dicas, si sub præfata conditione aliquid in Viuis detur Religioso, tunc enim irrita est Donatio, nec Donatum accipi potest etiam de licentia Superioris iuxtà Sanchez cit. num. 12., & alios, ratio est, quia quàmuis Conditiones turpes Legatis appositæ habeantur pro non adiectis, nec vitient Legatum, vt dicebam, contrarium tamen est in Contractibus inter Viuos, cùm in ipsis Conditio turpis adiecta totum vitiet Contractum §. *De Conditionibus ob turpem causam*, & hæc distinctio inter Legata, & Donata Religioso sub conditione turpi, & impossibili est benè notanda in aliis Casibus.

36. Quomodò autem discurrendum est *de Fratribus Obseruantibus Minoritis*, quoad acceptanda Legata, vt illesa seruetur Altissima Paupertas?

℟. Quòd *Fratres Minores Obseruantes* non sint capaces

Legatorum,

Legatorum, itaut Dominium directum ipsorum Capitalium, seu immobilium resideat penès ipsos, aut penès Syndicum Apostolicum, qui tunc haberet rationem interpositæ Personæ, quapropter hoc expresśè prohibet *Nicolaus III.*, & lęderetur Altissima Paupertas; sint autem capaces Legatorum, itaut Dominium directum ipsorum Capitalium, seu immobilium resideat penès Tertiam Personam, quæ raprę-sentat Personam Legantis, & dicitur *Amicus Spiritualis.*, vnde Testator potest grauare Hæredem ad elargiendam Fratribus Annuam Summam Eleemosynæ, vel ad vendenda ea Bona, vt inde conuertat pretium eorum in necessitates Fratrum., & hoc est dicere, quòd Obseruantes Minoritæ sint capaces Legatorum per Modum Eleemosynæ absque læsione Altissimæ Paupertatis, nec tunc dicantur Fratres habere Redditus per Se, vel per interpositam Personam. Sed quia hæc Materia de *Fratrum Minorum* capacitate, vel incapacitate ad Legata annua percipienda est satis prolixa, ideò à Minoritis legendam relinquo apud P. Felix Tom. 1. part. 2. cap. 4. à num. 1185. vsque ad num. 1200. satis fundatè; apud P. Matthæuccium in sua Cautela lib. 1. cap. 32. num. 10., vbi pulchra dubia; & in suo Officiali quoad Legata Tom. 2. cap. 9., vbi multæ *Declarationes Sacrarum Congregationum*; & præsertim *apud Constitutiones Generales Sambucanas Nostri Ordinis cap. 6. in toto §. 3. De Legatis Pijs, annuis Redditibus, & Capellanijs perpetuis non recipiendis, & de Missis*, vbi plura *ab Obseruantibus, & Reformatis* obseruanda in hac Materia statuuntur, ne lædatur Altissima Paupertas, quam *in Regula S. P. N. Francisci* promissimus. De mandato igitur *Vrbani VIII. Sacra Congregatio Fabricæ Anno* 1628. Nobis hæc obseruanda leguntur *in Constit. Sambucanis supracit. num. 2. Decernimus etiam, ac præcipimus per Sanctam Obedientiam., quòd quoties relinqui contigerit aliqua Legata perpetua aliquibus Personis, vel Hospitalibus, aut Republicæ, aut alijs Domibus, ea Lege, vt præstare teneantur Fratribus quotannis certam Eleemosynam, siue gratis, siue cum onere Missarum, vel Diuinorum Officiorum,*

*ciorum, Guardianus faciat Executoribus Testamentarijs protestationem, quòd ad illas, cùm nullum Ius habeant Fratres exui Legati, non possunt ad Missas, & Officia obligari: quòd si facta tali Protestatione voluerint tales Eleemosynas Fratribus dare, illisque talium Diuinorum Officiorum curam committere, tunc Fratres tuta Conscientia poterunt huiusmodi Eleemosynas recipere, prout declaratum fuit in Sacra Cangregatione Fabricæ per Vrbanum Octauum. Quòd à fortiori de Legatis factis Fratribus singularibus ordinamus, inhibentes Syndicis, ne similia Legata Fratribus destribuenda recipiant.*

37. Sed quale debet esse Legatum, vt valeat, & *à Fratribus Minoribus* licitè acceptetur absque lesione Altissimæ Paupertatis.

℞. Secundùm *Sacros Canones*, quòd Fratres Minores, vt licitè absque læsione Altissimę Paupertatis Legatum acceptent, attendere debeant, ne Legatum sit in nimia quantitate, ex qua fraus Paupertatis præsumi meritò possit *Clement. Vinco* §. *Quia igitur*; quęnam autem sit hæc quantitas excessiua, ex qua fraus Paupertatis præsumi possit, arbitrari debent Ministri, & Custodes, non item Guardiani, ex præsenti, vel imminenti Conuentuum necessitate *C. Exijt* §. *Insuper Vtensilia*, *De Verb. Signif. in 6.* Deinde attendere debeant, ne Legatum, vt valeat, & licitè acceptetur, sit tali modo factum, quòd *Pratribus Minoribus* non sit prohibitum in Regula, sicuti v.g. si Testator Legaret Vineam, vel Agrum ad excolendum, Domum ad locandum, aut similia Verba in similibus proferret, aut modos similes in relinquendo seruaret, nam ex *C. Exijt præcipitur, vt à tali Legato, & eius receptione per omnem modum Fratres abstineant*, & concordat *Clement. Exiui* §. *licet verò*, *vbi præcipitur, quòd si legaretur Ager, vel Vinea ad excolendum, vel Hortus, vt Olera, vel hortalitia pretio distrabantur, Fratres à tali Legato abstineant* & ratio additur, videlicet, *quia præmissa habere, vt pretium Fructuum statutis temporibus habeatur, ad formam Prouentuum* (qui Fratribus Minoribus sunt prohibiti), *appropin-*

*appropinquat*. Hæc in Decretalibus *Nicolaus III.*, *&* *Clemens V.* exponendo Regulam *S. P. N. Francisci*. E'contrà verò *Fratres Minores* licitè, & tutè possunt acceptare Legatum, si Testator legaret sic: Lego Pecuniam pro Fratrum necessitatibus expendendam, vel Domum, Agrum, Vineam, & similia, ad hoc quòd per certam Personam, vel personas idoneas distrahantur, & Pecunia de Rebus ipsis accepta, in Ædificia, vel alia Fratrum necessaria conuersantur aut in legando similibus Modis, vel Verbis vtatur, in quacumque igitur Re siue mobili, siue immobili consistat Legatum, securè potest accipi à Fratribus, prout expresse deciditur in cit. *C. Exijt*. Possunt pariter *Fratres Minores* absque scrupulo acceptare quoduis non excessiuum Legatum, si Testator in Testamento non addat expresse Conditionem licitam, si videlicet aliquid generaliter leget absque modi expressione, vt v.g. quòd Bona immobilia vendantur, & in Fratrum necessitas conuertatur pretium, quia tunc censetur Legans voluisse modo debito subuenire Fratribus, ac vt inquit *Nicolaus III. in Cit. Const. Exijt. De Verb. Signific. in 6. Tale Legatum sub modo licito intelligitur, & præsumitur relictum, ità quòd nec Legans meritò, nec Fratres ipsi effectu Relicti fraudentur*.

38. An verò *Fratres Minores de Obseru.* possint iudicialiter compellere Hæres ad soluenda Legata à Testatore relicta?

℞. Quòd quidem Episcopus possit, vel ex vi sui Officij, cùm sit ordinarius Executor Piarum Dispositionum ex *Cap. Nos quidem de Testam.*, vel possit ad instantiam Vnius de Populo compellere Hæredes, vt soluant Fratribus Eleemosynam legatam, ne scilicet Testatoris Anima debitis remaneat defraudata Suffragijs; immò, & possit Syndicus non tamquàm Syndicus, sed tamquàm vnus de Populo instare coràm Episcopo, non tamen possint præfati Fratres per Se, nec per Alios ab Hæredibus, vel ab alijs Iudicialiter petere, aut exigere coràm quocumque Iudice annuas Legatorum Præstationes, aliàs Excommunicationem ipso facto incurrunt præfati Fratres iuxtà *Decretum Sacræ Congreg.*

*greg. Reu. Fabricæ sub die* 24. *Februarij* 1633., nec enim Fratres Ius Ciuile, aut actionem vllam habent circà huiusmodi Donationes, cùm non sint illis debitæ, sed gratis, & liberaliter dentur, idcircò, vt pateat, quòd Fratres Minores nihil Iuris habent in talibus Donationibus, & quòd non ex Vi Legati, seu non vt Legatarij, sed solùm per viam simplicis Eleemosynæ iuxtà *Regulam S. P. N. Francisci* eas recipiunt, ne lædatur Altissima Paupertas Guardiani, & Discreti Conuentus Protestationem iuridicam tenentur facere Executoribus Testamentarijs, seu Hæredibus Legantis, quòd huiusmodi Legata *Nos Fratres Obseruantes* acceptare non possumus, quia incapaces sumus acceptandi illa per modum Legati, benè quidem per modum simplicis Eleemosynæ. Dictæ Protestationis Exemplar vide *in Nostris Statutis Sambuc. supracit. n.* 3. Cum hoc tamen stat, quòd ipsi etiam *Fratres Minores Obseruantes* possint extràiudicialiter monere, & rogare Episcopum, aut alium Iudicem, vt officio suo fungatur & ratio est, quia sic monendo, & rogando nec iudicialiter Actionem instituunt, prout non possunt ex *Clement. Exiui* §. *Cupientes. De Verb. Signif.*, nec Ius aliquod ciuile in Legatum licito modo relictum prætendunt contrà Hæredes recusantes soluere, ideò nec *Sedis Apostolicæ*, *nec Sacrarum Congregationum Declarationibus*, nec Altissimæ suæ Paupertati aduersarentur, cùm non dicerentur Iudicem monendo, & rogando compellere iudicialiter Hæredes ad dandas debitas Legatorum Præstationes, ita Syluester Verb. Hæreditas 1. qu. 7. Dicto 1. num. 10., Corduba, Rodriquez, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 26. num. 61., 62.

39. Numquid autem *Reuerenda Fabrica S. Petri* poterit se ingerere contrà *Fratres Min. De Obseru.* dicendo, quòd sint incapaces Legatorum?

℞. Non posse, quando *Fratres Minores de Obseru.* reuerà acceptent Legata siue Bonorum mobilium, siue immobilium per modum puræ, & simplicis Eleemosynæ, siue huiusmodi Legata sint annua cum Onere adiecto Fratribus,

tribus, siue sint sine Onere, & debitam Fratres faciant Protestationem Ei, qui Testatoris voluntatem adimplere tenetur. De omnibus Dubijs quantùm ad Legata *Fratribus Minoribus de Obseru.*, *& Reformatis*, relicta Fagnanus *Cap. Nimis praua De Excessibus Prælatorum* Vir omni exceptione Maior, Prælatus nulli in Studijs, in Laboribus, in Doctrinis secundus, accurate discurrit, prout resoluta fuere tùm pro præfatis Fratribus, tùm pro Fabrica S. Petri *iuxtà Decretum Sacræ Congreg. eiusdem Reuerendæ Fabricæ Principis Apostolorum de Vrbe ex Ordine, & Mandato expresso Vrbani Papæ VIII.*; deinde idem Fagnanus, vt videre est *Cap. Nulli De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, *adducit Daclarationes Sacrarum Congreg. pro Fratribus Minoribus de Obseru.* Videas insuper in Calce Statutorum, quæ in nostro Capitulo Generali celebrato in Ciuitate Victoriæ *die* 29. *Maij* 1694. in fauorem Fratrum Minorum edita fuere, vbi inseritur *Constitutio Clementis X. Incipien. Nuper pro parte Dilecti Filij Syndici sub die* 22. *Augusti* 1674., *confirmans Decretum Sacræ Congreg. Episcoporum, & Regularium in famosa Causa Turritana Legatorum*, quod erat huiusmodi: *Sacra Congregatio Eminentiss. S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotijs, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præposita, Procuratore Archidiaconi Turritani sepiùs citato, referente Eminentissimo Domino Cardinali Portocarrerio, decreuit esse dandas Declarationes sepè aliàs factas; videlicet Fratres Minores de Obseru. non posse possidere Census, & Bona Stabilia, posse tamen recipere per viam Eleemosynæ quidquid eis traditur ab exequutoribus vltimarum Voluntatum pro Celebratione Missarum, & Anniuersariorum, & propterea censuit committendum, prout præsentis Decreti tenore committit Archiepiscopo Turritano, vt ad limites prædictæ Declarationis in Causa, de qua supra agitur, procedat, & ad illius Obseruantiam, quatenùs opus fuerit, Iuris Remedijs, & in subsidium etiam Censuris Ecclesiasticis compellat. Romæ* 3. *Augusti* 1674.; quare confirmatum fuit hoc Decretum à præfato Pontifice hisce Verbis: *Decretum præinsertum Auctoritate Apostolica*

*tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die 22. Augusti 1674.* Additur in Statutis cit. *Declaratio Sacræ Congreg. Episcoporum, & Regularium in Vna Lucana sub die 26. Martij 1677. Superadduntur Declarationes Sacræ Congreg. Reu. Fabricę S. Petri sub die 28. Maij 1639. in Vna Vrbanię; sub die 28. Augusti 1640. in Vna Ciuitatis Castelli, & sub die 31. Decembris 1639. in Vna Anconitana*, & in his omnibus Declarationibus, quæ sunt ex vltimis, prouisum fuit circà Legata perpetua *Nostri Ordinis Minorum de Obseruantia*. Inseritur tandem in ijsdem *Nostris Statutis Generalibus Victoriensibus* Mandatum præsentandum *Carolo II. Hispaniarum Regi Catholico*, & Executiuum etiam Sententiarum conformium circà Legata perpetua pro Missis *à Tribunali Signaturæ Iustitiæ S.S. D. N. Papæ Innocentij XII. sub die 7. Augusti 1692.* Legas etiam attentè Matthæuccium, cit., vt scias *ex Declarationibus Sacrarum Congreg.*, quando quoad Legata relicta *Minoribus de Obseru. possit Reu. Fabrica* se ingerere, & quando non possit. Hìc quoque nota, quòd si annua Legati præstatio in pecunia numerata consistat, solùm à Syndico Apostolico pro Fratrum necessitatibus recipi potest, si verò sit in alijs speciebus, & accipiatur in ea tantùm quantitate, quàm præsens, & imminens Fratrum necessitas postulat, ab ipsis Fratribus licitè recipi potest iuxtà *Declarationem Sacræ Congreg. Reu. Fabricę*, quæ etiam inhibet, ne super annuis Legatis relictis *Fratribus Minoribus de Obseru.* fiat Compositio, & ne Legata per Compositiones extinguantur, aliàs eo ipso irritæ, & nullæ declarantur huiusmodi Compositiones.

40. At numquid *Fratres Minores de Obseruantia* capaces acceptandi per modum Eleemosynę Legata à Testatoribus relicta, sint etiam capaces aliarum Eleemosynarum?

℟. Vtique esse capaces aliarum Eleemosynarum, quarum Dominium, & Proprietas residere dicitur apud Sedem Apostolicam, & nomine eiusdem apud Syndicos, & Pro-

curatores

curatores Apoſtolicos, qui recipiunt, retinent, & ſubminiſtrant Eleemoſynas pro Vſibus, & neceſſitatibus Fratrum, de Superiorum prævio aſſenſu, & conſilio, ſicuti loquuntur *Bullæ Pontificiæ*; Eleemoſynarum verò, quarum Vſus nudus facti conuenit *Fratribus Minoribus*, *Sedes Apoſtolica* trahit ad ſe Dominium, & Proprietatem, non tamen omnem Proprietatem ſimpliciter, ſed illarum dumtaxat Eleemoſynarum, quarum Vſus eſt licitus ipſis Fratribus iuxtà ſuam Profeſſionem at Eleemoſynarum ſuperfluarum, quarum Vſus eſt illicitus *Fratribus Minoribus*, *Sedes Apoſtolica* non trahit ad ſe Dominium, & Proprietatem, benè quidem *Fratres Minores* dicuntur ad ſe trahere Proprietatem contrà Regulam, quam promiſerunt obſeruare cum Sancta Paupertate iuxtà *Clementem V. in Clementina Exiui*, vbi ſic: *Superfluitas autem, aut nimia pretioſitas, vel quæcumque curioſitas in ijs, vel alijs quibuſcumque non poteſt ipſorum Profeſſioni*, vel *Statui conuenire*; non igitur debent *Fratres Minores* mendicare Eleemoſynas ad ſuperfluitatem, ſed ad ſolam neceſſitatem, aliàs foret alienum accipere, & prætendere Paupertatem, vbi non eſt, ac foret pernicioſa hypocriſis, & manifeſtum Mendacium, ſic Piſanus de Paupertate Euangelica, D. Bonaüentura, & alij Doctores Ordinis Minorum in Expoſitione *Regulæ Seraphici S. P. N. Franciſci*, quapropter non debent *Fratres Minores* abundanter, & cum ſuperfluitate viuere ad modum, quo viuunt Diuites de Facultatibus ſuis, ſed iuxtà modum Altiſſimæ Paupertatis, quam profeſſi ſunt, ſic loquente *Nicolao III. in Bulla Exijt*: *Inſuper nec Vtenſilia, nec alia præter eorum Vſum ad neceſſitatem, & officiorum ſui Status executionem liceant, non enim omnium Rerum Vſum habere debent ad vllam ſuperfluitatem, Diuitias, ſeu copiam, quæ deroget Paupertati, vel ad Theſaurizationem.*

Secundò conuenit *Fratribus Minoribus* Vſus facti Moderatus Rerum illarum, quæ licet in Regula non ſint explicitè conceſſæ, implicitè tamen non ſunt prohibitæ, ſed licitè concedi poſſunt à Prælatis ſecundum quamdam mediocritatem pro neceſſitate, & executione officiorum Ordi-

dinis, attenta qualitate Perſonarum, & Officij, quæ mediocritas non conſiſtit in puncto, ſed relinquitur Iudicio boni Viri, dummodò non concedantur Minoribus, niſi Res illæ, quæ exiſtimantur conuenientes Statui *Fratrum Minorum* intrà mediocritatem, *ſic præcitati Pontifices*, ſic Corduba, Politius, Sanctes Romanus, & alij Doctores in *Expoſitione Regulæ D. Franciſci*.

Tertiò conuenit *Fratribus Minoribus* Vſus facti arctus illarum Rerum, quæ in Regula ſunt explicitis Verbis conceſſæ, non verò illarum Rerum, quæ in Regula non ſunt conceſſę; conceduntur autem in Regula duæ Tunicæ, quarum vna ſit cum Capuccio, & altera ſine Capuccio, conceduntur Chorda, Fęmoralia, & Breuiarium ad perſoluendas Horas Canonicas; *nam aliud quoduis Veſtimenti genus vltrà prædicta [excepto Mantello ab initio Religionis licito] vt Induſia, ſeu Camiſiæ, Sudariola, Tunicellę, & ſimilia ſunt contrà Regulam, niſi adſit vera neceſſitas excuſans à Præcepto, per Prælatum approbata ex Innocentio XI. in Bulla Incipient. Solicitudo Paſtoralis Officij, edita die 20. Nouembris de Anno 1679. in* §. 2. Vſus verò cęterarum Rerum non eſt expreſsè conceſſus ex Vi Regulæ, vnde talem vſum nequeunt *Fratres Minores* habere ſine neceſſitate, & ſine expreſſa licentia ſuorum Superiorum, quòd ſi vna, vel altera deficiat, ſequitur Proprietas dictarum Rerum, ſicuti determinauit *Clemens V. ſupracit. dicens*: *Fratres Minores ex Profeſſione ſuæ Regulę ſpecialiter eſſe obligatos ad arctos Vſus, ſeu pauperes, qui in ipſorum Regula continentur, & eo obligationis modo, ſub quo continet, ſeu ponit Regula dictos Vſus*, & ſic loquuntur Doctores *in Expoſitione Sanctę Regulæ*.

41. An autem *Fratres Minores de Obſeru.* poſſint ſine licentia ſuorum Superiorum deponere Libros, aut alias res ſuo Vſui conceſſas apud Sęculares, & an apud ſe poſſint recipere, inſcio Superiore Locali, depoſita Sęcularium?

℞. Ad primum non poſſe Libros, aut alias quaſcumque res ſuo Vſui conceſſas deponere apud Sęculares, quia ſic exercerent actum Dominij, ſicuti nec poſſe deponere apud

Syndicum

Syndicum Apostolicum Pecuniam, aut Eleemosynam sine licentia Superioris Localis, aliàs notam Proprietatis incurrunt, & auctoritatiuè se gerunt. Ad secundum similiter, nec posse, nisi ex graui causa, & hoc ad euitanda multa inconuenientia, & vt Paupertatis Statui vndequaque prospiciatur propterea prohibetur *per Nostra Statuta Sambucana Cap. 6. §. 3., in Locis nostris Aurum, Argentum, seu aliud quidpiam Depositi nomine reponatur, nisi sine scandalo Secularium, vel Fratrum damno negari non possit; & tunc non recipiantur, nisi de Discretorum consilio, & Superiorum licentia, ac à Fratribus omninò videantur, qui sciant, cui, & qualiter reddi debeant, & hec omnia Scriptura authentica, vel deponentis Sigillo, si habet, protestatione semper premissa, quòd Fratres, ad custodiendum Depositum, nullatenus se obligare intendant, sicuti, nec possunt, nec debent: Quæ Deposita loco Communi, & tuto per Superiorem assignato, semper asseruentur, & eo modo, quo recepta fuerint, reddantur.*

42. Petes. An Vsus Denariorum prohibitus sit *Fratribus Minoribus de Corpore Obseruantię?*

℟. Quòd sine dubio sit prohibitus *ex Cap. 4. Regulæ S. Francisci*, vbi sic: *Præcipio firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo Denarios, vel Pecuniam recipiant per se, vel per interpositam Personam, tamen pro necessitatibus Infirmorum, & alijs Fratribus induendis, per Amicos spirituales Ministri, & Custodes solicitam curam gerant*, ità etiam præcipiunt *Nicolaus III., Clemens V., & Innocentius XI.* cit., qui in §. 3. habet hæc Verba: *Ac demùm teneri ad Capitale Præceptum Religionis Fratrum Minorum de non recipiendis Denarijs per se, vel per interpositam Personam.* Immò licet aliarum Rerum necessariarum præfatis Fratribus prohibeatur Dominium, & non Vsus, Denariorum tamen prohibetur & Dominium, & etiam Vsus, ità *Nicolaus III., Clemens V., ac Innocentius XI.* cit. in §. 4., vbi sic: *Aliarum enim Rerum necessariarum possunt Fratres Minores de Corpore Obseruantiæ huiusmodi habere Vsum, licet non Dominium, Denariorum autem nec Dominium, nec*

*Vsum*,

*Vsum*, & subdit idem *Innocentius*: *proinde quæuis contrectatio Pecuniæ*, *seu Denariorum*, *quæ non sit purè naturalis*, *seu quæ sit quouis modo politica*, *cuiuscumque Domini sint Denarij*, *seu Pecunia*, *Fratribus Minoribus Obseruantibus*, *seu de Obseru.*, *est omnino prohibita*, quapropter non erit prohibita receptio materialis Denariorum iisdem Fratribus, vt si v.g. quis Monetam curiositatis gratia tangeret, aut eleuaret de Terra, vel contrectaret ad discernendam qualitatem Auri, aut Argenti, eò quòd non esset contrectatio Denariorum aliquo modo politica, & ciuilis, *Innocentius* autem prohibet omninò *Fratribus Minoribus de Corpore Obseruantiæ* Contrectationem Denariorum solùmodò politicam, & ciuilem, & dum ait: *Cuiuscumque Domini sint Denarij*, *seu Pecunia*, dat intelligere *Innocentius*, quòd prohibitum sit eijsdem Fratribus recipere, & contrectare Denarios etiam non suos, & hoc taliter prohibetur, vt ipse *Summus Pontifex* Zelantissimus nostræ Salutis addiderit in §. 5. sic: *Omnes*, *& singulas Dispensationes*, *Concessiones*, *& Consuetudines*, *si quæ contra præmissa in Corpore Obseruantiæ Ordinis prædicti reperiantur*, *motu*, *scientia*, *Deliberatione*, *&*, *Potestatis plenitudine partibus*, *reuocamus*, *cassamus*, *irritamus*, *annullamus &c.*

43. Sed quid importat Prohibitio *in Regula*, *& in Constitutionibus Pontificijs*, *ne Fratres Minores* per se vel per interpositam Personam Denarios recipiant?

℞. Quòd *Fratres Minores* tunc dicantur *per se* recipere Denarios, quando illos absque interuentu alteriùs Personæ recipiant, in proprios Vsus conuertendo, expendendo, permutando, donando, consumendo, dicantur verò *per interpositam Personam* recipere Denarios, quando sua priuata auctoritate, siue potiùs temeritate substituant aliquam Personam, quæ nomine ipsorum Denarios recipiat, aut aliquem ex dictis actibus, exerceat, & tunc *per Regulam & Constitutiones Pontificias* prohibita est *Fratribus Minoribus* Receptio Denariorum vtroque modo. Secùs verò dicendum est, si receptio Denariorum fiat per Syndicum Apostolicum, aut per Amicum spiritualem, cùm hæc non

sit Re-

fit Receptio Denariorum *per se, vel per interpositam Personam*, qualis prohibetur in *Regula* S. *P.* N. *Francisci*, *& in Pontificijs Constitutionibus*.

Dixi, *si fiat per Syndicum Apostolicum*, quia hic nomine *Sanctæ Sedis* Dominium recipit omnium tàm Mobilium, quàm Immobilium, & Eleemosynarum, quibus Fratres vtuntur, *& nomine Sedis Apostolicę ad Fratrum requisitionem, & assensum iuxtà Paulum IV. in Bulla Ex Clemente* 1555. *emit, vendit, aliosque actus politicos; & ciuiles exercet, qui ad Fratrum necessitates, & vtilitates spectant, itaut omnium Rerum Dominium immediatè apud Sanctam Sedem resideat, concesso Fratribus solo Vsu facti*, vnde in nostro Ordine non prohibentur Syndici Apostolici iuxtà *Innocentium XI. supracit. in* §. 6. *Cùm eorum Vsus non sit Dispensatio in Regula, sed modus à Romanis Pontificibus Prędecessoribus Nostris prouisus pro puriori illius Obseruatione*, propterea possunt *Fratres Minores* Syndicorum Apostolicorum Opera vti.

Dixi, *aut si fiat per Amicum spiritualem*, & hic est quędam tertia Persona, cui ex sua libera Electione Deuotus Fratrum dat Denarios, vt eos suo nomine retineat, & suo nomine pro licitis Fratrum necessitatibus expendat, in quo Casu Dans vsque ad consumptionem Summæ Denariorum datę Dominium habet, & ille, qui pro Fratrum necessitatibus recipit Denarios, expendit illos nomine Dantis, Religiosus verò solùm habet simplicem Vsum facti, qui est licitus *Fratribus Minoribus*, & sic non dicerentur per se, vel per interpositam Personam recipere Denarios, neque per *Sanctam Regulam* hoc ipsis prohiberetur.

44. Num autem *Fratres Minores de Corpore Obseruantium*, etiam Subditi, possint pro suis necessitatibus recurrere ad Denarios?

℞. In primis, quòd si loquamur de necessitate Extrema, indubitatum est, quòd possint, quia de Iure naturę tenetur quiuis Homo ad sui indiuidui Sustentationem, ideò *Fratres Minores* etiam à trangressione Regulæ excusat *Nicolaus III. his Verbis; Nec ipsis Fratribus Iure Poli in Ex-*

*treme*

*tremæ necessitatis articulo ad prouidendum Sustentationi Naturæ. Via omnibus Extrema necessitate detentis concessa præcluditur, cùm ab omni Lege Extrema necessitas sit exempta*, quare non prohibetur *Fratribus Minoribus de Corpore Obseruantiæ*, quàmuis arctissimam profiteantur Paupertatem, recurrere ad Denarios, quomodò etiam declarauit *Vrbanus VIII.*, posse *Fratres Minores de Obseru.* Missionarios in Locis Terræ Sanctæ apud Infideles, vbi non reperiuntur Syndici Apostolici, recurrent ad Denarios pro Victu, & pro conseruatione propriæ Vitæ, quia Ius naturale præualet semper Iuri Positiuo. Coactos necessitate imminenti recurrendi ad Denarios similiter dicerem Prouinciales, & Custodes, qui ex Præcepto Regulæ longissimum Iter assumunt ad Comitia Generalia celebranda, nec potentes Vitam suam diù conseruare in Itinere, cum summa cautela vtuntur aliquo Sęculari, vel Tertiario, qui à Syndico Apostolico, est Substitutus, vt eius Auctoritate recipiat, retineat, & expendat Denarios in sustentationem ipsorum. Secundò, si loquamur de alia necessitate, prohibetur vtique *Fratribus Minoribus de Obseru.* recurrere ad Denarios, ex *Nicolao III. Clemente V.*, *D. Bonauentura*, *ac Sanctis Bernardino*, *& Ioanne à Capistrano*, necnon *ex Statutis Vallisolet. Nostri Ordinis* 1593., *deinde nouissimè ex Constitutionibus Nostris Generalibus Sambucanis Cap.* 4. §. 1. *num.* 14. *vbi sic: Nullus ad pecuniam recurrat, nisi existente vera præsenti aut imminenti necessitate propria; quam antea suo Prouinciali manifestet, & de illius licentia in Manus Syndici tantùm reponi, & eius interuentu, expendi faciat. Quòd si Necessitas vrgeat, & Prouincialis haberi non possit, id de Consensu, & Licentia Guardiani faciat, si autem, antequàm expendatur Pecunia, Prouincialis aduenerit, teneatur ipsum vt supra conuenire. Qui aliter pecuniam habuerint, vel expenderint, in Pœnas Proprietariorum incidant.* Et hic est modus recurrendi ad Pecunias absque lęsione Altissimæ Paupertatis. Deinde in num. 15. ita legitur: *Necessitatis autem iudicium ad Prælatos spectat, quibus in dubijs stare sub peccato Inobedientiæ, aut Temeritatis,*

*ritatis* , *&* *alijs Censuris* , *&* *Pęnis arbitrio Superioris imponendis* , *Subditi omninò teneantur* ; *cùm enim necessitas attendi debeat secundùm qualitatem Personarum* , *varietatem Temporum* , *&* *Locorum conditionem* , *non ità facile est necessitatem à superfluitate* , *vel curiositate discernere* , *ideò per Summos Pontifices* , *&* *Regulæ Expositores rationabiliter cautum est* , *vt non per Subditos* , *sed per Prælatos talis necessitas iudicetur* , *Superfluitates siquidem* , *vel curiositates in aliquibus Locis introductæ* , *non offendunt Fratres illis in aliqua necessitate vtentes* , *vel ad euitandum Scandalum* , *&* *eas introducentes* , *vel introducere consentientes* , *aut negligentes obuiare* , *si possint*. Hæc ex Nostris Statutis Sambucanis sunt omninò obseruanda.

45. At numquid *Frater Minorita* , qui officio fungitur Sacristæ , sicuti non prohibetur contrectare Calices, Candelabra , & alia Vasa Argentea , ità nec prohibeatur contrectare Denarios Charta saltem inuolutos, qui pro Missarum Eleemosynis offeruntur ?

℟. Quòd licet non prohibeatur primum , prohibetur tamen secundum , etenim contrectare Calices , Candelabra , & alia Vasa argentea licitum est Sacristæ Minoritæ , quia huiusmodi contrectatio est generalis , & purè naturalis , at contrectare Denarios pro Missarum Eleemosynis oblatos , licet Charta inuolutos , est ipsi omninò illicitum , cum tactus huiusmodi Denariorum , estò sit mediatus , dicatur adhùc contrectatio ciuilis , & politica , scilicet ad expendendum , consequenter ab *Innocentio XI.*, *ab eius Prædecessoribus* , *&* *à Sancto P. N. Francisco prohibita Fratribus Minoritis*. Attamen in casu necessitatis , idest si non præstò sit Persona Secularis apta , & destinata ad tunc recipiendos Denarios pro Missis oblatos , & Benefactor dans Eleemosynam , non possit tàm commodè mittere eam ad Syndicum Apostolicum , vel nolit , nec alius suppetat recipiendi modus , non condemnarem peccati Sacristam , si in hoc casu necessitatis Denarios Charta inuolutos , & pro Missis oblatos reciperet , eò vel maximè , quia hac adhibita cautela Benefactor non scandalizaretur , sciens , quòd necessitas

non habet Legem, & Monasterium necessitatibus pressum subleuaretur? Et hic nota, quòd ad tollendam omnem suspicionem contrectandi ciuiliter, & politicè Denarios per se, vel per interpositam Personam prohibitum fuit *Fratribus Minoritis Iussu Vrbani VIII. de anno* 1628., ne Capsas, vel Truncos habeant ad Eleemosynas pecuniarias percipiendas etiam pro Missis oblatas, & etiamsi Syndicus Apostolicus teneat Clauem, voluitque *Vrbanus*, quòd Capsę; & Trunci ad recondendos Denarios auferantur non solùm ab Ecclesijs, sed etiam à Sacristia, & à quacumque parte, quæ, sit intrà Clausuram Conuentus, & hoc sub pęna Excommunicationis maioris, Guardianus autem, qui contrarium permiserit, priuetur officio suo. De hoc *Fratres Minores de Obseru. videant Statuta Samb. Cap.* 4. §. 1. *n.* 10., 11.

46. Dices: licet prohibeatur Personæ Sęculari tangere Calicem, Patenam, & alia Sacra tactu immediato, ei tamen permissum, & licitum est tangere tactu mediato, nimirùm mendiante Velo, Strophiolo, & alio simili, ergo licet *ab Innocentio XI., & ab eius Prædecessoribus* prohibeatur Fratri Minori Sacristæ tangere, seu contrectare Denarios pro Missis oblatos contactu immediato, ei tamen permissum, & licitum est tangere, seu contrectare Denarios contactu mediato, nimirùm mediante Charta, & hoc eò magis, quia *cùm simus in Odiosis*, videtur, quòd prohibitio ciuiliter, & politicè contrectandi denarios restringingatur solùmmodò ad tactum, & contrectationem immediatam, non autem extendatur ad mediatam.

℞. Concesso antecedenti negando consequentiam, & paritatem nam propter reuerentiam Calicis, Patenæ, aliorumue Sacrorum prohibetur Personæ Sęculari ipsa tangere contactu immediato, & non prohibetur, sed fit licitum eadem tangere contactu mediato, quia contactum mediatum Ecclesia iudicat sufficientem ad saluandam reuerentiam debitam Rebus Sacris, quòd verò Frater Minor Sacrista tangat, & contrectet contactu siue immediato, siue mediato Denarios pro Missis oblatos, non euitatur omnis Vsus

politicus

politicus, & ciuilis Pecuniæ, & ideò non saluatur Finis receptionis Pecuniæ per solùm contactum mediatum, scilicet factum mediante Charta, nisi ad solùm casum necessitatis, vt dicebam anteà, ex Donato Tom. 3. tract. 15. qu. 49., & hoc expresè habetur *in Cap. 4. Regulæ* S. *P. N. Francisci sic*: *Præcipio firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo Denarios, vel Pecuniam recipiant per se, vel per interpositam Personam*, & nota ly *nullo modo*, ideſt siue contactu immediato, siue mediato recipiant, & licet omnem contrectationem expresè S. *Pater* non prohibeat, attamen virtualiter prohibet, eò quòd nulla Denariorum politica, & ciuilis contrectatio est, quæ non sit receptio, consequenter receptio Denariorum æqualiter extenditur ad contrectationem politicam, & ciuilem, siue sit immediata, siue sit mediata, prout significat ly *nullo modo*.

47. Quęnam verò sint Pęnę statutæ *contrà Fratres Minores de Corpore Obseruantiæ* Proprietarius?

℞. Quod præter Pęnas statutas *per Ius Canonicum*, de quibus infrà, *& per Concilium Tridentinum sess.* 25. *de Ref. Regul. Cap.* 2., vbi sic: *Quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & passiua Voce priuatus sit, atque etiam iuxtà suæ Regulę, Ordinis Constitutiones puniatur*, adsunt etiam Pęnę *in Nostris Constitutionibus Sambucanis* Cap. 7. §. 6. *num.* 5., vbi sic decernitur: *Pęna Proprietariorum est priuatio Actuum Legitimorum, & Carceratio per Mensem, ac Sepulturæ Ecclesiasticæ destitutio, si (quod absit) ab hac luce quis Proprietarius migrauerit*. Explicant verò citatæ Constitutiones num 3., quid sit Priuatio Actuum Legitimorum sic: *Priuatio Actuum Legitimorum est Inhabilitatio ad omnia Ordinis Officia, quæ cum Dignitate, & Superioritate coniuncta sunt, vt Ministeriatus, Diffinitoriatus, Guardianatus; potest autem sic priuatus Sacras Ordinum Functiones exercere, & ad Sacros Ordines promoueri; potest quoque Prædicationes, & Lectiones exercere, sed non Confessiones, saltem Sęcularium, audire; potest tamen Monialium Confessarius institui, ac Magister Nouitiorum esse, & pro eis ad*

 *Profes-*

*Professionem admittendis Suffragia ferre*. In quo etiam consistat Pęna Carceris, sic legitur ibidem num. 6.: *Carceris Pęna est reclusio alicuius in aliquo obserato loco, sine Capucio, & Chorda, Generalis, aut Prouincialis auctoritate facta, & consequenter est Actuum Legitimorum priuatio, nam ex quo quis est Carceri Mancipatus, eo ipso intelligitur actibus legitimis priuatus, vnde quamuis liberetur a Carcere, non intelligitur tamen ad Actus legitimos restitutus*.

48. Petes Quinam sint illi *Fratres Minores de Corpore Obseru.*, qui incidunt in hunc *quartum Casum Clementinum*?

℞. Quòd sint omnes illi, qui incurrunt *in Casus* 11., 13., 14. *Reseruatos in Constitutionibus Nostri Ordinis*, quos recensui in Tabella Casuum enumeratorum suprà in Pag. 120. *Casus vndecimus* igitur est: *Denarios contrà Regulam accipientes, tenentes, vel asseruantes*, excluduntur proptereà *Fratres Minores de Obseru.*, qui vel reperiuntur in Extrema necessitate, vel in Locis Terræ Sanctæ apud Infideles. *Casus* 13. *est*: *Religionis Dona extrà Ordines Dono Dantes*, excluduntur proptereà *Fratres Minores de Obseru.*, qui Fratribus nostri Ordinis dant Dona, immò etiam, qui extrà Ordinem cum debita licentia dant Dona, seruando tamen *Bullas Clementis VIII.*, & *Vrbani VIII. De Largitione Munerum*, de quibus infrà erit Sermo. *Casus quartusdecimus est*: *Fratribus, vel Secularibus vendentes, aut quouis modo alienantes*, & ille dicitur alienare, qui Dominium Rei directum, vel vtile, aut Vsufructum, seu Ius in alterum quoquo modo transfert. Quinam verò in particulari sint Religiosi *de Corpore Obseru.* Proprietarij, & Pęnis Proprietariorum punibiles, accipe sparsìm *ex Nostris Constitutionibus Generalibus Sambucanis*, & sunt isti.

Religiosus, qui sibi appropriat vel Domum, vel Locum, vel aliquam Rem contrarium quippe præcipitur expressè *à Nostra Sancta Regula in Cap. 4. vbi sic*: *Fratres nihil sibi approprient, nec Domum, nec Locum, nec aliquam Rem*, quia tunc dominatiuè, & auctoritatiuè se gerit contrà Votum Altissimæ Paupertatis, vnde tunc dicitur Proprietarius, qui sibi Locum, aut Cellam appropriat, idest,

qui,

qui, post acceptam à Superiore Licentiam recedendi procurat in aliquo loco, aut Cella remanere, aut qui extraneos siue Subditos, siue Superiores in Loco natiuo habere recusat.

Qui aliò ire destinatur, & Cellæ, ac Arculæ, si quam habet, Clauem, Superiori, vel alteri Fratri de Superiori Licentia non consignat.

Qui Libros, aut alia suo Vsui à Superiore assignata, apud Sęculares sine Superioris licentia deposuit, aut extrà Ordinem donauit.

Qui per se, vel per alios sub quouis prætextu Libros quoscumque vendere, alienare, commutare, donare, aut quouis modo distrahere audet, & vltrà Proprietatem, quam committit, incurrit, in grauissimas Pęnas decretas *à Statutis Sembucanis*.

Qui Denarios, vel Pecuniam recipit, aut propria auctoritate ad recipiendum, & in proprios Vsus conuertendum quempiam substituit.

Qui Denarios propria manu contrectet ciuiliter, & politicè (non verò materialiter, & curiositatis gratia), aut retinet in Cella, vel alibi, vel in Manibus Sęcularium Depositos habet.

Qui sine Procuratore, vel eius Substituto aliquid emit, aut vendit, aut de Eleemosynis Pecuniarijs sub quocumque prætextu disponit; & idem dicitur de Guardiano, si non in Manibus Syndici, aut eius Substituti Eleemosynas pecuniarias teneat, vel per manus aliorum expendat.

Qui sine sui Superioris licentia Eleemosynam pecuniariam pro se, vel pro alijs Fratribus quærere, aut accipere audebit. Item qui sine sui Superioris licentia Eleemosynam pecuniariam in Manu Syndici Apostolici tenuerit, & qui quouis modo Debita contraxerit, & Libros, aliasque Res suo Vsui concessas oppignorauerit.

Qui Contractus Instrumenta, aut cuiusuis generis Scripturas facit, ex quibus se recepisse Pecunias, vel Denarios testificatur.

Qui inter Ecclesias nostras quouis prætextu, & titulo, siue

siue inter predicandum, siue alio quouis tempore Eleemosynas pecuniarias peti, aut fecerit, aut permiserit.

Qui Eleemosynas prætextu Prædicationis oblatas recipit, aut suo aliquo prætextu, vel quæsito colore de illis disponit, aut quomodolibet tractat, cum prohibeatur Prædicator eas ab Offerentium Manibus, in quas recipere, aut in Manibus Procuratoris, vel alterius deponere, sed debeat easdem integras Superiori Prouinciali notificare, qui de illis iuxtà Regulæ Præscriptum disponat ex *Vrbano VIII. in Constitut. Militantis sub die* 1. *Iunij* 1640.; adduntque *Statuta Generalia Cap. 9. §. 2.: easque Prouincialis applicet, vel Conuentui, in cuius quæstuatione prædicatur, vel de cuius Familia Prædicator ipse dignoscitur*, aliàs Prædicator puniendus est non solùm Pęna Proprietatis, verùm etiam Pęna Priuationis Officiorum, quæ obtinet, & perpetuæ inhabitabilis ad quæcumque Officia, Gradus, & Dignitates imposterum ipso facto incurrenda, sic *ex ipso Vrbano*.

Qui cùm sit, Superior Conuentus, pro Vestimento dat Pecuniam Subdito, nam tunc & Superior dans, necnon Subditus recipiens sunt Proprietarij.

Qui Vestimentum sibi assignatum à Prouinciali, commutat, in aliud, aut illud vendit, & tunc est Proprietarius.

Qui Officium gerit Aromatarij, si quid minimum de Aromataria venale exhibeat, dum ad Fratrum Vsum solùmmodò manutenere obligetur, est Proprietarius, additis Pęnis ipsi, & Superioribus.

Qui Eleemosynas elargiri, Esculenta, vel Poculenta (intelligas innotabili quantitate) Vestes, vel cuiusuis generis Conuentus Bona dare, donare, distrahere audet, vel præsumit.

Qui Horologia habet pretiosa, curiosa Scriptoriola, Imagines valoris, prophanas Bibliothecas ad ostentationem magis, quàm ad vtilitatem deseruientes. Item qui habet Camisias, seu Petias albas, easque portat sine necessitate, & sine expressa licentia Prouincialis, aut habet Anaclynteria, Linteamina, Interulas, & alia similia,

quæ

quæ contrariantur Altiſſimæ Paupertati.

Qui vltrà illud; quòd ſibi permiſſum fuit, aliquod aliud retinere præſumpſerit, ſuo Superiore inuito.

Qui Hortos, Vineas, Prata, Viridaria, & Domos pręſertim Conuentuum, qui extrà Ciuitates, & Terras ex quauis cauſa deſtructi ſunt, per Syndicos Apoſtolicos locauit, *ex Nicolao III., & Clemente V.*, cum Pęnis.

Qui intrà Locorum Noſtrorum Septa Frumentum, vel aliud alicuius generis Triticum ſeminari fecit, cùm hoc ſit contrà Altiſſimam Paupertatem. Item ſi Olera, Fructus, aut Fęnum vendi Sęcularibus mandat. *Alios Caſus habebis infrà in Serie Incidentium.*

Monialis, quæ Denarios extrà Communem Eleemoſynarum Capſulam habet, & veluti proprios tenet, vel apud Sęcularem Depoſitos habet, eò quòd quidquid habet Monialis ad ſuos neceſſarios Vſus, debet deponere in Capſula Communi, ad quam deputatur Monialis particularis Iuſſu Abbatiſſæ, vt recipiat Depoſita; detinere ſimiliter Denarios apud Sęcularem eſt Palium Inobſeruantiæ, & Violatio Religioſæ Paupertatis.

Monialis, quæ ſine vlla licentia Abbatiſſæ aliquid emit, vel vendit, commodat, locat, permutat, diſtrahit, vel conſumit contrà illud Axioma: *Religioſus, aut Religioſa non habet nec velle, nec nolle*, ſub intelligas tamen ſemper in quantitate notabili.

Monialis, quæ Munera magni valoris dat alteri, aut ab alio accipit, niſi ex aliqua iuſta Cauſa id ei permiſſum fuerit ab Abbatiſſa.

Monialis redditus moderatos habens vltrà Dotem, ſi eos exigat nomine proprio, & non nomine Monaſterij, nam actum Proprietatis eliceret, quia hos exigere ſpectat ad Abbatiſſam.

Monialis, quæ Veſtes ſuas non aſſeruat in Communitate Monaſterij, nec enim in Cella, nec in priuato loco quidquàm, quòd tunc temporis non ſit neceſſarium reponere poteſt, aliàs euadit Proprietaria. Hæc *ex Conſtitutionibus Generalibus Sambucanis* ſparſim habes.

49. Priuſ-

49. Priusquàm verò ad Religiosos descendamus cæterorum Ordinum vt Seriem demus Incidentium, & non Incidentium *in Quartum Casum à Clemente VIII.* positum inter Reseruabiles à Superioribus Regularium, hoc *primò* Nobis aduertendum proponitur, quod vtique secundùm Sententiam Probabiliorem iuxtà dicta num. 11. Materia notabilis, ob quam Religiosus incidit in præsentem Reseruationem, completur in duobus Iulijs sine consensu Prælati retentis, attamen hoc non est ità verum apud omnium Ordinum Religiosos, vt Proprietas Reseruata semper finiatur in duobus Iulijs, etenim in Religionibus præsertim Diuitibus videmus, Prælatos Regularium in Capitulis extendere Proprietatem Reseruatam etiam ad tres Iulios, sicuti extendunt *Patres Minores Conuentuales S. P. N. Francisci*, quapropter quiuis Religiosus attendat Constitutionibus, & Ordinationibus propriæ Religionis, ne in Negotio suæ Salutis erret. Quod *secundò* Nobis aduertendum proponitur, est, quòd Religiosus spem suæ Saluationis non ponat in Consuetudinibus irrationabilibus, nec in Abusibus, sed in licita, & debita licentia suorum Superiorum, vt tuta Conscientia suam apud Deum operetur Iustificationem. His notatis.

## IN RESERVATIONEM INCIDVNT.

### *Proprietatis contrà Votum Paupertatis, quæ fit peccatum Mortale.*

50. Religiosus, qui est Officialis, & administrat Bona Monasterij, si ea in notabili quantitate expendat in alios Vsus, quàm à Superioribus deputata fuerint, quia citrà Superiorum Licentiam expressam, aut rationabiliter præsumptam expendit, propterea *Tridentinum præcipit, vt Administratio Bonorum Monasterij ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat*.

Religiosus, qui est Superior, & apud quem præcipuè stat cura,

ſtat cura, & Adminiſtratio Bonorum Monaſterij, ſi ea ad libitum in quoſuis Vſus expendat, quia Superior non eſt Dominus, ſed Adminiſtrator *Cap. Fraternitatem De Donat.*, & tenetur ea Bona diſtribuere in illos tantum Vſus, in quos deſtituta ſunt ex Nauarro in Cap. Nullam 18. q. 2.

Religioſus, qui eſt Subditus, & ex ijs Bonis, quæ deputata ſunt ad proprios Vſus, notabilem quantitatem diſpenſat alijs ſiue intrà, ſiue extrà Monaſterium, etenim cùm ſit ſolùm Vſuarius eorum Bonorum, quæ ad ſuum proprium Vſum conceſſa ſunt, nequit de illis diſponere in alios Vſus, ſicut inuitatus ad Cęnam nequit Eſculenta, & Poculenta ad alios tranſmittere, aut ad Domum propriam portare, eò quòd Dominus Cęnæ non dedit ei talem facultatem, ſic dicamus à pari ex Soto de Iuſt. q. 1. a. 1.

Religioſus, qui de licentia ſui Superioris Bona Monaſterij expendit in Vſus illicitos, & turpes, ludendo ſcilicet, & mæretricando, hæc enim licentia inualida eſt, & nulla, cùm tendat in deſtructionem Bonorum Monaſterij, quorum Superior non eſt Dominus, ſed Adminiſtrator; tum quia Superior non poteſt dare licentiam Subdito, vt Bonis Monaſterij vtatur ad peccandum, quidquid dicant aliqui nimis laxi, & ideò vterque peccat contra Votum Paupertatis Religioſæ, vterque eſt Proprietarius, & qui dicta Bona à Religioſo accipit, tenetur ad reſtitutionem illorum, vtpote acceptorum ab eo, qui diſponendi ad tales vſus facultatem non habet, ex Sanchez in Decal. lib. 7. c. 9. num. 30.

Religioſus, qui de licentia ſui Superioris habet Superflua, vt ſi habeat Arma, Sclopetas, Monilia, Gemmas, Picturas pretioſas, Horologia argentea, Veſtes ſericas, numerum excedentem Camiſiarum, & alia ſimilia ſtatui Religioſo, nec neceſſaria, nec decentia, & iſti exceſſus tum in Diſpenſante, tum in Diſpenſato valdè lędunt Votum Paupertatis Religioſæ, nec talis licentia data à Superiore eſt valida, & quia eſt inualida, & nulla, & ideò non cenſetur licentia, nec legitima Diſpenſatio, ſed potiùs

Dissipatio; Sententia verò contraria, & adhùc practicata est nimis laxa, & apertè damnata à *Tridentino Sess.* 25. *Cap.* 2. *Mobilium verò Vsum ità Superiores permittant, vt eorum Supellex Status Paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque Superflui in ea sit*, & iterum definitum fuit à *Sacra Congreg. Concilij: Superiori verò dicenti, se posse concedere licentiam Religioso habendi Superflua; non est credendum*. Addunt proinde *Clemens VIII.*, & *Vrbanus VIII. in suis Decretis pro Reformatione Regul. sic: Fratribus Vestitus, & Supellex Cellarum ex communi Pecunia comparetur, & omninò vniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, Statuique Paupertatis, quam professi sunt, conueniat, itaut nihil superflui admittatur, nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur*.

Religiosus, qui cum licentia coacta, Vi scilicet, metu, & dolo extorta à Superiore Rem notabilem accipit, retinet apud se, vel sine necessitate expendit, nam certum est, talem licentiam esse nullam, quia Vis, & Metus causant inuoluntarium, & idem est de dolo, & fraude, vnde Religiosus est Proprietarius iuxtà Suarez Tom. 3. de Relig. lib. 8. Cap. 11. num. 14.

Religiosus, qui cum licentia subreptitia, & ex falsa causa rem notabilem accipit, retinet, aut expendit, vel si tâceat aliquas circumstantias, quæ rationabiliter mouere possent Superiorem, vt talem licentiam non concederet, quia tunc sufficienter ignorantia illa Superioris causat inuoluntarium, & sic Religiosus ille est Proprietarius, ita Suarez loco supracit.

Religiosus, qui cum licentia sibi irreuocabiliter, & perpetuò concessa à Superiore Rem notabilem accipit, retinet, vel expendit, etenim licentia hæc est inualida, & licentia inualida non est licentia; tum quia licentia irreuocabilis, & perpetua facit Religiosum Proprietarium, quatenus per huiusmodi licentiam Religiosus habet Dominium vtile disponendi pro suo libito, quod repugnat Voto Paupertatis Religiosæ. Nequit ergo Superior hanc licentiam absolutam, & illimitatam concedere Subdito, sed solùm limitatam,

limitatam, & ad nutum reuocabilem pro Vsibus ipsius tantùm licitis, & honestis, itaut Subditus semper operetur dependenter à voluntate Superioris ex Bordono Resol. 43. num. 32., & 33.

Religiosus, qui ab aliquo Sęculari aliquid notabile accipit ea Lege, ne Monasterio acquiratur, & in hoc Casu Religiosus fit Proprietarius, dum absque Superioris licentia accipit, non tamen esset Fur, quia non contrà voluntatem Domini accipit, & nihil refert, quòd Monasterium sit inuitum, quia nihil illi est acquisitum, ex Iunipero part. 3. disp. 6. qu. 4. num. 3., qui idem dicit de Religioso, cui ab aliquo Sęculari dantur Redditus annui, Vestes prætiosæ, Arma, & alia huiusmodi, est enim Proprietarius, quia absque Superioris licentia accipit, sed non est Fur, cùm ex voluntate Domini accipiat.

Religiosus, cui dantur ab aliquo Sęculari quædam Res pretiosæ, quarum Religiosus est incapax, & ex quo non possit eas acceptare, Veniam petit à Domino, vt suis Consanguineis, vel Amicis nomine suo dare possit, & Dominus libenter annuit, vnde Religiosus fit Proprietarius, cùm Dominus intendat à se illarum Rerum abdicare Dominium, & Religiosus independenter à voluntate Superioris disponat de illis Rebus, & hoc est verum saltèm, si Religiosus sit Minorita *L. 2. De Calumn. Non refert, an ipse Pecuniam acceperit, an iusserit dari*, ita Rodriquez, Layman, Cenedus, Turrianus contrà Dianam De Paupert. Relig. Resolut. &c.

Religiosus, qui ab Amico Sęculari aliqua Comestibilia in ea quantitate, quæ arbitrio boni Viri est notabilis Valoris, sine licentia Superioris expressa, aut tacita accipit, etenim contra voluntatem Superioris vsurpat sibi Vsum Rei notabilis, quem ratione Voti Peupertatis à se abdicauerat, consequenter fit Proprietarius ex Sanchez in Decal. lib. 7. Cap. 19. num 53.

Religiosus, qui absque Superioris licentia expressa, aut tacita accipit Comestibilia, aut Fructus ab Horto Monasterij in quantitate notabili, etenim ad libitum Bona Mo-

nasterij, ad proprium vsum conuertit, dum in illa tamquàm sibi debita actum Dominij exercet, nulla habita licentia, immò Superiore inuito, quod est verum, præsertim in illis Religionibus, vbi Monasteria sunt pauperrima, & quantitas Comestibilium, aut Fructuum est tanta, vt possit sufficere ad Religiosos sustentandos pro vna saltem Refectione, ita Corduba, Nauarrus, Azorius, Sayrus, & fauet Sanchez vbi suprà, dicens, inter Comestibilia, & alia Bona Monasterij nullam esse differentiam.

Religiosus, qui aliquid notabile donat alteri ex his, quæ ad proprios Vsus sibi collata fuerunt à Superiore, quia tamquàm Dominus Rem vsurpat independenter à voluntate Superioris, eò vel maximè, quia Religiosus habet solùm Vsum facti, & qui est Vsuarius alicuius Rei, nequit eiusdem rei tradere Vsum alteri, quia non esset Vsuarius, sed Vsusfructuarius, sic pro *Nobis Minoribus*, *omnes Nostræ Regulæ Expositores*, & in hoc Casu Donatarius debet restituere Donanti, vel potiùs Monasterio, si dubitaret, Recipientem iterum esse abusurum, ex Bordono Resol. 43. num. 72.

Religiosus, qui ex propria auctoritate sibi, vel alijs assumpsit in Vsum specialem aliquam Rem notabilem communem alijs Fratribus, puta libros, Vestes, & alia similia contrà voluntatem expressam, vel probabilem sui Superioris, etenim Religiosus se habet quodammodò ad instar Serui *L. Id Vestimentum ff. De Peculio*, & ideò sicut Seruus Vsum habet Vestium ad libitum Domini, à quo conceditur, ità & Religiosus in tantùm Libris, Vestibus, & alijs huiusmodi vti potest, in quantùm Superior concedit ipsi Vsum talium Rerum, aliàs si contrà voluntatem expressam, vel probabilem Superioris Subditus sibi, vel alijs Vsum assumat, fit Proprietarius.

Religiosus, qui habet aliquid de licentia illius, qui priùs fuit sui Conuentus Superior, cælat posteà illud Prælato præsenti, vel Claues abscondit, ne id inueniatur, quando Prælatus id interrogat, vel præcipit fieri Inuentarium Rerum, quas habet ad sui Vsum, etenim Religiosus sic ab-

scondit,

scondit, quia vult retinere aliquid contrà voluntatem Superioris, timens, ne Prælatus tollat, aut de illo ad libitum disponat, & sic Religiosus est Proprietarius. Neque obstat dicere, quòd à Superiore habuerit licentiam; non inquam, obstat, eò quòd secundus Superior potest eam licentiam ad libitum reuocare, & tenetur Religiosus ratione Voti Paupertatis eam liberam reuocationem non impedire, impedit verò, quando Rem cælat, ne à Superiore auferatur.

Religiosus Superior, qui sibi ipsi concessit Licentiam expendendi, donandi, distrahendi, acquirendi, & contrectandi Bona Temporalia expleto Officio suo, & postquàm factus est Subditus, nam finito Officio nequit quis sibi ipsi talem concedere Licentiam, sed solum potest Superior, Gratiæ quippe fiunt à Superiore, nec tunc ipse ampliùs est Superior post terminationem Officij, cum Mendò Verb. Paupertatis Votum num. 13.

Religiosus, qui contrà voluntatem Superioris coràm eo cum aliquo Fratre de Re aliqua sibi approprianda contendit, aut, qui in Cella aliqua, vel in particulari Conuentu permanere procurat, sic igitur faciens Religiosus committit actum Dominij contrà Votum Paupertatis Religiosæ, quæ in eo sita est, vt Religiosus careat Proprio *Cap. Non dicatis* 12. *qu.* 1. *Non dicatis aliquid Proprium, sed sint Vobis omnia communia*, quibus in Verbis permittitur Religioso habere Bona Omnibus Communia, & prohibetur habere Propria.

Religiosus, qui Pecuniam, aut aliud quidpiam notabile sine licentia Prælati apud Extranos reponit, & custodit, quandoquidem militat hìc illa Regula: *Qui per alium facit, perinde est, ac si per se ipsum faciat*, ac meritò in manus Secularium rem notabilem deponere sine licentia Prælati ponitur inter actus Proprietarios, *maximè inter Fratres Minores*, ex Aluaro lib. 7. De Planctu Ecclesiæ Cap. 67.

Religiosus, qui de Re notabili sibi concessa, vel à se quocumque modo, vt laboritio ratione Prædicationis, aut

Lectionis

Lectionis acquisita dispoſuit propria auctoritate, vel independenter à Voluntate Prælati contrà illud ex *Cap. Si Religioſus De Elect. lib. 6. Religioſus non habet nec velle, nec nolle*, & contrà illud: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*.

Religioſus, qui Contractus, vel Schedulam fecerit, in quibus ſe aliquid dare teneri, vel ſibi ab alio deberi confitetur, aut qui in lucro Mercaturæ cuiuſcumque generis, ſiue Poſſeſſionum, ſiue Animalium, ſiue Mercium omnis generis partem habet, etenim in his omnibus Dominium ſibi vſurpat Religioſus, & fit Propriatarius.

Religioſus, qui Voluntati ſui Superioris reſiſtit, volentis illi aliquam Rem notabilem anteà conceſſam auferre, etenim, cùm non ſit animo paratus ad nutum Superioris ſe priuare tali Re, peccat, contrà Votum Paupertatis, & in hoc conſiſtit aperta Proprietas, ex Leſſio lib. 2. Cap. 4. dub. 5. n. 31. & 32.

Religioſus, qui Cellam proprijs expenſis, vel Parentum, vel Conſanguineorum, vel Amicorum ſibi ipſi ædificauit, & recuſat ad nutum Superioris dare eam alteri Religioſo, ſicuti multoties contingere ſolet in Monaſterijs non adeò Reformatis, qua propter cùm non ſit animo paratus ad nutum Superioris illam relinquere, euadit Proprietarius ex Graffio lib. 2. Deciſ. dub. 3. Cap. 19.

Superior, qui concedit, & Subditus, qui tenet Bona Stabilia ad Vſum, Vſufructum, Adminiſtrationem, vel Commendam, etiam nomine Conuentus, ac vterque euadit Proprietarius obitando *Decretis Tridentini, Summorum Pontificum, & Declarationibus Sacrarum Congregationum*.

Monialis, quæ Cenſus, & Annuos quoſdam Redditus, & Prouentus percipit ſub diuerſis Contractuum ſpeciebus, ſicuti Nos diximus ſuprà *ex Declaratione Sacræ Congreg. Concilij*, vbi non excuſat licentia Abbatiſſæ.

Monialis, quæ pretium ſui laboris ex aliqua Recamatura, aut ex alia Opera acquiſitum non confert in Commodum commune Monaſterij, ſed donat extra Monaſterium,

nam *quidquid*.

nam *quidquid acquirit Monachus, seu Monialis, acquirit Monasterio.*

Monialis sponté remittens Parentibus Portionem annuorum Reddittuum (vulgo Liuello) sibi ex Iustitia debitam, eò quòd talis Remissio est species Alienationis, & alienare est interdictum Religiosis ratione Voti Paupertatis. Tum quia Redditus illi sunt Monasterij iuxtà id, quod supradiximus. *Quidquid acquirit Monachus, seu Monialis, acquirit Monasterio.* Tum quia Remissio illa est quadam Donatio, nequit autem Monialis sine licentia Abbatissæ Donationem facere de Rebus Monasterij, quantùmuis suo vsui concessis. Tum quia hæc Monialis disponeret de illa Annuorum Redditutum Portione, ac si esset Domina, vnde cùm habeat simplicem Vsum facti, & sit solùm Vsuaria, nequit ipsum Vsum, nedum Dominium Parentibus concedere sine Violatione Voti Paupertatis.

Monialis, quæ alteri Moniali Res valoris notabilis mutuat, vel commodat sine licentia, etiamsi concessas suo Vsui, & hoc propter rationem vltimo assignatam, cùm hæc Monialis propria auctoritate nec Dominium nec Vsum possit alteri concedere, in mutuo autem Dominium, & in Commodato Vsus Rei transfertur, & idem dicitur de Moniali, quæ reciperet Mutuum, vel Commodatum Rei notabilis sine licentia, eò quòd per Votum Paupertatis est prohibitum acquirere Dominium, aut Vsum Rei pretio æstimabilis independenter à Voluntate Superioris, quapropter vtraque Monialis esset Proprietaria. Hoc multò magis verificatur, si Monialis mutuet, aut commodet Exteris.

Religiosus, qui degens in Conuentu, aut Monasterio, *vbi est Vita Communis*, non obseruat Vitam Communem, est Proprietarius, & Proprietariorum Pœnis puniendus, etenim contrà intentionem Regulæ professæ, contrà *Decreta Summorum Pontificum, qui sunt Supremi Religiosorum Superiores, contra Tridentinum Sess. 25. De Ref. Regul. Cap. 1. Præcipiens omnibus Regularibus tam Viris, quam Mulieribus, vt Communem Vitam, Victum, & Vestitum fideliter obseruent*, & contrà sui Superioris voluntatem agit,

retinens,

retinens, aut possidens Peculia aliqua, seu Portiones, aut singularitatem, aliquam, ità Bartholomeus à S. Fausto De Voto Paupertatis qu. 195.

Religiosus, qui alteri donat aliquid notabile, quod sibi ipsi subtraxit parcè viuendo, vt si à Superiore concedatur illi Aloyseus pro itinerando, & Religiosus vel ambulet pedester, vel parcè edat in Itinere, adeò vt partem Aloysei tantùm impendat, & aliam partem superstitem donet alteri sine vllo consensu Prælati, immò nec potest Religiosus eam partem Aloysei, quam non consumpsit in itinere, expendere in alios Vsus, v. g. emere sibi Librum, sed tenetur restituere Monasterio, etenim sine vllo Prælati consensu vsurparet sibi Dominium, & disponeret de illa portione tamquàm sibi propria, hinc esset Proprietarius.

Religiosus, qui interiùs vtitur Vestibus Sericis, vel pretiosis, vel exteriùs vtitur Habitu nimis delicato, nec in sua Religione vsitato, nam propter Scandalum, quod gigneret apud Videntes, bono Religionis Nomini detraheret, ac Paupertatem Religiosam maximè læderet, nec circà id præsumi potest licentia Superioris, vt constat.

Religiosus, qui in conseruandis Rebus ad vsum sibi permissis, debitam non adhibet diligentiam, nam peccat contrà Paupertatem Religiosam, eò quòd non conseruare illas debito modo est illas quasi expendere, & consumere contrà voluntatem Superioris, ex Sanchez cit. num. 115.

Religiosus, qui recipit aliquid, quod Superior præcipit non recipi, nisi ab alio Religioso, vt si reciperet Stipendia Missarum, quæ non vult recipi nisi à Sacrista, vel à Procuratore, etiamsi tales Missas celebret, vnde accipiendo contrà voluntatem Superioris Stipendia fit Proprietarius, nam vtique pro Missis celebrandis Stipendia possunt accipere Religiosi Sacerdotes, nec vllo Iure prohibentur recipere, secùs si sint Religiosi ex Societate Iesu, aut de illis Religionibus, in quibus sunt *Constitutiones* in contrarium, & prohibentes Stipendia accipere pro Missis, vel Prædicationibus, vel Lectionibus, vel alicuius Sacramenti Administratione, si verò isti recipiant Stipendia, contrà Paupertatem

pertatem Religiosam peccant.

Religiosus, qui sine licentia Superioris Rem Monasterij ad vnum Vsum deputatam immutat in aliam proprio Vsui applicatam, ex Mappa v. g. faciendo Linteamen, nam hoc est vti Re tamquam propria, & importat actum Dominij.

Religiosus, qui habet licentiam à suo Superiore dandi solùm, & vendit, aut licentiam habet accipiendi tantùm, & emit, nam venditio continet acceptionem, & acquisitionem prætij, quæ non est Datio, sicuti Emptio continet solutionem prætij, quæ nullo modo est acceptio, vnde Religiosus alio modo disponit ad libitum, ac licentiam habuerit à suo Superiore, ex Nicoluccio Ordinis Prædic. De Paupertate Religiosa Decis. 12. num. 8.

Religiosus, qui à suo Superiore licentiam habet donandi Petro, & donat Paulo, vel donandi Librum, & donat Camisiam, hæc enim faceret sine licentia, & consensu Superioris, ac exerceret actum Dominij contrà Votum Paupertatis ex Nicoluccio cit.

Religiosus, non solùm qui sine licentia Superioris Rem maximi Valoris donat alteri, sed etiam Religiosus ille, qui sine licentia Superioris Rem huiusmodi recipit, nam sicut diuersum est dare ab accipere, sic distincta debet esse licentia dandi à licentia accipiendi, & sicut vna licentia aufert impedimentum ad dandum, sic altera licentia aufert impedimentum ad accipiendum.

Religiosus, qui pecuniam, & aliam Rem notabilem suo necessario vsui concessam à Superiore ludit, etiamsi Superior dederit ludendi licentiam, nam hoc esset expendere in Vsus non necessarios, nec vtiles, & esset iacturæ illicitæ pecuniam, & Rem notabilem exponere contrà Votum Paupertatis, nec Superior talem potest dare licentiam, prout ipse non est Bonorum Conuentus Dominus, sed prudens administrator, & hoc est verum, siue Rem notabilem exponat in ludo prohibito, siue permisso, vt dicemus infra.

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT

*Proprietatis contrà Votum Paupertatis, quæ sit peccatum Mortale.*

51. RELigiosus, qui mente solùm machinatur modum, quo Dominium, vel Vsum sibi comparet alicuius Rei notabilis, sed de facto nihil in Re est exequutus, etenim ex dictis alibi Reseruatio non respicit solùm affectum, benè quidem effectum, & opus consummatum.

Religiosus, qui cum affectu, & effectu simul sine Superioris licentia accipit, aut retinet aliquid pretio æstimabile, non tamen in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale, sicuti exigit Littera Præsentis Casus iuxtà illud: *De Minimis non curat Prætor*.

Religiosus, qui in Monasterijs, in quibus non obseruatur *Vita Communis*, vel ob nimiam Paupertatem eorumdem, vel ob malitiam, incuriam, aut negligentiam Superiorum, si necessarijs simpliciter ad Vitam non prouideatur, sibi necessaria accipit tàm ab alijs Religiosis sui Ordinis, quàm ab Extraneis sine suorum Superiorum licentia, immò etiam ipsis inuitis, eò quòd Religiosus non se obligauit per Professionem ad carendum necessarijs simpliciter ad Vitam, propterea potest vti Iure suo accipiens, & postulans taliter necessaria; caueat tamen, ne minùs necessaria exquirat sub prætextu necessariorum simpliciter ad vitam, ex Voto enim Paupertatis Religiosus carere debet Rebus aliquo modo necessarijs.

Religiosus, vel Monialis in Conuentibus, vel in Monasterijs, in quibus propter supradicta non seruatur, vel seruari non potest *perfecta Vita Communis*, si Peculium, Census, & annuos Redditus habeant in Vsus licitos, & honestos, ex iusta causa, de licentia Superiorum, & ad istorum nutum reuocabiles, & eos teneant in *Ærario Communi, & in Capsula Communi Depositorum*, absque incorporatione, & confusione cum Bonis Conuentus, vel Mo-

nasterij,

nasterij, ipsisque vtantur in suis necessitatibus, media Administratione Officialium Deputatorum iuxtà *Concilium Trid. sess.* 25. *de Ref. Regul. Cap.* 2., non peccant contrà Paupertatem Religiosam, nam iste modus deponendi Pecunias in Æratio Communi, & expendendi eas medio Officiali, *licet non dicat perfectam Vitam Communem, disponit tamen proximè ad Introductionem perfectæ Vitæ Communis*, & hunc modum obseruant *tuta Conscientia Patres Minores Conuentuales S. P. N. Francisci*, sicuti modo parùm diuerso faciunt aliæ benè ordinatæ Religiones, *Concilium Tridentinum, Summi Pontifices, & Sacræ Congregationes* loquuntur solùm de Religiosis degentibus in Conuentibus, vel in Monasterijs, *in quibus seruatur perfecta Vita Communis*.

Religiosus degens in Monasterijs, in quibus *non seruatur perfecta Vita Communis*, regulariter loquendo, non est Proprietarius, si vrgente Consuetudine recepta in sua Religione sibi concedantur Pecuniæ expendendæ pro Hospitatione, pro Equitatione, & alijs similibus honestis indigentijs, immò etiam sic practicatur, vbi seruatur *perfecta Vita Communis*, nam hæc Consuetudo est rationabilis, & consentientibus Superioribus habet Vim licentiæ saltem tacitè ex Sanchez, Mastrius, Lezana Tom. 1. Cap. 6. n. 56., & Faber disp. 45. num 131.

Religiosus, cui à Superiore iniustè denegantur necessaria ex Bonis Communibus Monasterij non laborantis egestate, si ea accipiat, Superior enim sua abutitur Potestate, & quoad hoc censetur quasi non Superior, cùm sic facultas vtendi Bonis communibus Monasterij deuoluatur ad Subditos; quòd si Monasterium laboret egestate, nec Superior possit consulere omnibus necessitatibus Religiosorum, tunc Casus mutat formam, & licentia non est debita, ex Sanchez supracit. num. 54.

Religiosus, qui non sibi, sed Communitati aliquid accipit, & ipsi tradit, non indiget licentia, quia præsumitur licentia data à Superiore, nec Religiosus de accepto appropriat, sibi Dominium, Ius, aut, Vsum.

Religiosus, qui licentiam habet à Superiore Maiori retinendi aliquid apud se, si illud idem occultet Superiori Minori, eò quòd sufficit illa dependentia, ne dicatur Proprietarius.

Religiosus, qui sine licentia Superioris Pecunias Exterorum accipit apud se in Depositum, in quo Casu Religiosus, nec Dominium, nec Ius, nec Vsum acquirit, sed solùm Onus Custodiæ. Quòd si Depositum pereat, aut deterioretur ex Culpa Religiosi, non tenebitur Monasterium resarcire Depositum, quia *Monasterium se habet vt Pupillus, & Minor, qui non tenetur ex Contractu, & Culpa sui Tutoris, ac Curatoris*, tenebitur verò Religiosus resarcire, si Peculium habeat in Ærario Communi.

Religiosus, qui Sæculari volenti dare illi aliquas Pecunias dicit, quòd eas ponat in Depositum apud alterum, vt ijs de licentia sui Superioris vtatur, & Dominium illarum maneat apud Secularem, etenim in tali Casu non acquirit Dominium, nec Ius, sed simplicem Vsum facti, quod non repugnat Paupertati Religiosæ, & Sæcularis recipiens Pecunias, vt pro necessitatibus Religiosi licitis, & honestis expendat, dicitur *Amicus Spiritualis*, qui nec per Regulam *S. P. N. Francisci prohibetur, ità S. Bonauentura in Exposit. Regulæ Fratrum Minorum Cap.* 4. *& QQ. Regul. qu.* 26.

Religiosus, qui quidem sine licentia Superioris accipit Libros de Bibliotecha, aut Vestem de Conseruatorio Communi, vt ad certos dies vtatur, & ea tenet exposita in loco patenti, tamquàm dependentia à Voluntate Superioris, deinde ea reponit in loco suo, vnde non vtitur illis tamquàm sibi proprijs, nec contrà Voluntatem expressam, vel probabilem sui Superioris, ità Azorius lib. 12. cap. 12. qu. 3., & Quaranta Verb. Casus Reseruati num. 6.

Religiosus, qui ab Externo Denarios accipit, & Libros emit, quos inter cæteros sibi à Superiore concessos, & palàm expositos, omniumque Religiosorum oculis obiectos tenet, etenim si *nulla Regula, vel Constitutione*, ipsi prohibeatur Pecuniam per se, vel per alios recipere [ *sicuti*

*prohibetur*

*prohibetur Fratribus Minoribus* ] talis Religiosus non est Proprietarius, quia statim ac Libros in Cubiculo palam expositos, omnibusque Religiosis obiectos tenet, optimè intelligitur, quòd quidquid habet, sui Superioris voluntati, & potestati subijciat, secùs dicendum, si eos cælet, ne sibi auferantur, ita Coriolanus part. 2. Casu 4. num. 19.

Religiosus, qui aliquid fruatur, & illud tradit Monasterio, vt vtatur eo cum licentia Superioris, in quo casu est quidem Fur, sed non est Proprietarius, cum talis Rei non acquirat sibi Dominium, aut Vsum sine licentia Superioris, ex Sanchez in Decal. Cap. 19. num. 55.

Religiosus, qui aliqua Bona Monasterij pertinentia ad Cibum, & Potum accipit sine licentia Superioris, & ad proprium Vsum actualem, ac transitorium consumit, & suppono, quòd sint exiguæ quantitatis, nec Monasterium accipiat notabile Damnum.

Religiosus, qui sine licentia sui Superioris aliquid accipit à Sęculari dandum alicui Pauperi determinato ab ipso Sęculari, illique dat, in quo casu Religiosus se habet ad instar Famuli, nec vllum Dominium, nec Administrationem, nec Vsum Iuris talis Rei habet; quòd si Sęcularis det Religioso aliquid præstandum Pauperi, nec designet Pauperem, sed remittat arbitrio Religiosi, probabiliùs est, incurrere in Proprietatem Reseruatam, eò quòd cùm possit eam dare, cui voluerit, quando, & quantum voluerit, hoc videtur importare Administrationem Rei, & quòd Religiosus liberè disponat.

Religiosus, qui alteri Religioso clàm tollit superfluum, quod tenet contrà voluntatem Superioris, & ideò tollit, vt necessitati alteriùs Religiosi maximè indigentis subueniat, vbi supponitur Voluntas Superioris, nimirùm, quòd Res superflua vni applicetur alteri valdè indigenti; attamen cauendum est propter Scandala; Quęrelas, suspiciones &c.

Religiosus, qui de licentia sui Superioris habet Peculium necessarium ad decentiam, & conforme ad statum sui, vnde in tali Religioso consideranda est qualitas Personæ ipsius, qualitas conditionis, loci, temporis, & aliarum circumstantiarum

cumſtantiarum concurrentium, etenim pluribus indiget Prælatus, quàm Subditus, & pluribus Magiſter Ordinis, quàm Simplex Sacerdos, & quod Superfluum eſt vni, poteſt non eſſe ſuperfluum alteri, item conſiderandum venit, an talis Religioſus ſua induſtria Monaſterio plura comparauerit, hoc enim præſertim in Religionibus non adeò Reformatis patet ex Vſu, Conſuetudine, & permiſſione Superiorum. Idem dicatur de Monialibus, in quibus conſiderandæ ſunt Expenſæ, quas ſolent in Exercitijs Monaſterij facere; ſimiliter an partem ſuorum Reddituum applicauerint in Bonum Monaſterij. Numquàm tamen Superiores Superflua Peculia concedant, aut ad malos Vſus, aut ad peccandum.

Religioſus, qui habet Ius ſuper Spiritualia, & ſuper Officia ſibi in Religione conceſſa, non enim facit contrà Votum Paupertatis, quæ eſt abdicatio Rerum temporalium, & pretio æſtimabilium, deinde habet Ius ſuper Officia, cùm ab ipſis ſine legitima cauſa remoueri non poſſit *Cap. Monachi ad Fidem De Statu Monach.*

Nouitius, qui nondum profeſſus eſt in ſua Religione, & ideò non eſt verè Religioſus, nec ſe obligauit Voto Paupertatis, de cuius ratione eſt à ſe abdicare omne Ius Proprietatis.

Religioſus, qui Rem exigui valoris ludit cum licentia ſui Superioris, quòd ſi ludat Ludis permiſſis, nullatenus peccat, ſi verò ludat Ludis prohibitis, mortaliter quidem peccat, & eſt punibilis in Foro Fori, licet non incidat in Reſeruationem, quia Res, quam ludit, eſt exigui valoris.

52. Petes. Quinam ſint Ludi prohibiti, & quinam permiſſi Religioſis?

℞. Quòd Ludi prohibiti ſub mortali Clericis, ex Lezana Verb. Ludus n. 4., per Sacros Canones, quos innouauit *Concilium Tridentinum Seſſ. 22. Cap. 1. De Reform.*, ſint Ludi Alearum, & Taxillorum, qui ſcilicet innituntur Fortunæ, aut Caſui, non vero Arti, & Induſtriæ humanæ, conſequenter dicti Ludi multò magis ſint prohibiti Religioſis,

giosis, qui Mundo, cui mortui sunt abrenunciarunt, vt viuant cum Christo; in aliquibus tamen Religionibus Consuetudo inoleuit, vt dictis Ludis Religiosi colludentes inter se recreationis gratia, raro, sinè Scandalo, & cum licentia Superioris in modica quantitate non peccant saltem grauiter, at in hoc Religiosi suas consulant *Constitutiones*, & *Ordinationes*, Nostra siquidem *Statuta Sambucana Cap.* 7. §. 6. *num.* 68. sic decreuerunt: *Nullum Fratrum Aleis, vel Taxillis ludere audeat sub pęna Carceris arbitrio Superioris, & etiam priuatione Suffragiorum per Triennium*, vnde ex Nostris Statutis Nos prohibemur sub graui ludere Ludis Alearum, & Taxillorum minimam etiam Rem, etiam alienam, & nomine alterius, etiam Preces, Orationes, Suffragia, & Sacrificia pro Animabus Purgatorij ad nutum Victoris. Ludi permissi, & liciti Religiosis inter se, nisi obstent particularia ipsorum Statuta, sunt Ludi Trochorum, Pillarum, Globorum per Anulum versatilem in Terra defixum impellendorum, vel etiam Pyramidularum lignearum Globulis pariter ligneis iaciendis, Tabularum, *vulgo à Dama* Scachorum, seu Latrunculorum, Tabularum cum Taxillis, idest *di Sbaraglino*, & alij similes Ludi, in quibus non præualet Fortuna, sed Ars, & Industria humana, permittuntur siquidem inter Religiosos, Consuetudine saltem approbante, si ad recreationem Animi ludant, sine scandalo, & non frequenter, ne tempus aptum ad Studia, ad Orationes, ad Cultum dandum Deo teratur, ac si Religiosi cum Superioris licentia in huiusmodi Ludis modicam quantitatem exponant.

53. Quam Summam in Ludis honestis possit Superior Regularis concedere suis Subditis?

℞. Quòd hoc dubium communiter resoluant Doctores iuxtà Opinionem Nostri Portelli Verb. Ludus num. 2., qui habet hæc Verba: *Ego credo Religiosum posse ludere illam quantitatem, quam extra Ludum licitè donare, vel alienare potest iuxta suam Regulam, & Constitutiones Hæc enim regula certa est, & generalis; si enim v. g. tres Regales donare potest, iuxta suam Regulam, & Constitutiones, vel*

*quid*

*quid simile, minùs, aut maiùs, idem etiam poterit alienare ludendo, parùm enim interest, si potens donare, vel alienare, donet, aut alienet gratis, vel per Ludum sibi aliàs licitum; Quod semper intelligo, dummodò talis Ludus, Alearum scilicet, non sibi sit specialiter prohibitus, & cesset Scandalum. Videat ergo Religiosus suas Constitutiones, & Circumstantias supradictas, vt sciat, quid sibi faciendum sit.* Sic Portellus supracit., ex Lezana Verb. Ludus num. 10.

54. Quandonam Religiosus teneatur restituere Rem victam in Ludo?

℞. Quod restituere teneatur Rem victam in Ludo secundum communem Sententiam, *primò*, si vincat Religioso non habenti licentiam ludendi, vel si non habens licentiam ludendi vincat Religioso, qui habet ludendi licentiam, etenim qui nequit vincere, nequit perdere; & idem dicatur de Religioso, qui sine licentia Superioris ludit cum Seculari, nam tunc neuter potest vincere, aut perdere, & qui Rem victam accipit, tenetur restituere, excipitur tamen Casus in quo alter alterum per violentiam traxit ad Ludum, quoniam sic iniustè tractus potest vincere, & non perdere, iniustè autem trahens potest perdere, sed non vincere, ex *D. Thoma 2. 2. qu. 32. art. 7. ad 2., qui inquit, quòd trahens ad Ludum non est dignus recipere perditum. Secundò*, Religiosus ludens Ludo siue prohibito, siue permisso quantitatem notabilem, & immoderatam absque licentia Superioris, immò etiam cum licentia, quæ cùm sit inualida, non censetur licentia, si vincat, tenetur restituere Rem acceptam Monasterio Religiosi perdentis, quia lucratur à non habente Dominium Rei lucratæ, vnde neuter potest vincere, aut perdere; secùs si quantitatem exiguam vincat Ludens Ludo etiam prohibito cum licentia Superioris, cùm Ludus sit contractus onerosus vtramque partem obligans, hoc tamen intelligas esse verum, nisi adsit Scandalum, vel nisi in Religione vtriusque Collusoris detur præceptum, aut Ordinatio in contrarium ex Rodriquez, Peyrino, & Belasio Verb. Ludus num. 4., & dummodo Vsus ludendi Ludo etiam prohibito sit in tali Reli-

gione

gione receptus, & tunc vincens in modica quantitate cum Licentia Superioris, non tenetur restituere Rem victam. Est verò falsum discurrendo *de Religionibus Reformatis*, vt sunt nostra, Capuccinorum, Societatis Iesu, Carmelitarum Excalceatorum, & aliorum similium, apud quos nec Recreationis gratia ludere Ludis prohibitis permittitur propter Scandalum, quod præberetur alijs Religiosis, aperiendi viam similibus Ludis hùc vsque nec visis, nec auditis in pręfatis Religionibus, vnde Prælati permittendo huiusmodi Ludos, & Subditi ijsdem Ludis ludendo peccarent mortaliter, & qui quodlibet etiam minimum vinceret obligaretur restituere Rem acceptam, quam vicit. Idem dicatur apud Patres Conuentuales *S. P. N. Francisci*, quorum *Constitutiones Vrbanæ in Cap. 5. Regulæ Tit. 8. num. 6.* sic præcipiunt: *Ludis demùm, maximè verò prohibitis, otia terere singulis Fratribus, quicunque hi fuerint, prohibetur. Nemo itaque Aleis, Taxillis, vel alijs huiusmodi prohibitis ludis, aut ludentes spectare audeat. Transgressores pro qualitate Culpæ, nostrorumque, ac Exterorum Scandalo puniantur. Superior verò permittens, dissimulans, vel ipse peccans, attentis Circumstantijs, Officio priuari possit, & alijs pęnis, prout Ministris videbitur, affici.*

55. Quid si Religiosi inter se Ludis licitis Rosaria, Orationes, Suffragia pro Mortuis ludant dicenda ad nutum Victoris, aut si Ludis licitis Religiosus ludat, cum Sęculari, Religioso exponente aliquid Benedictum, & Sæculare exponente v. g. Gallinam?

℞. Quod quantùm ad primam partem Dubij, vbi destinantur in pręmium Ludi liciti Rosaria, Orationes, aut Suffragia pro Mortuis recitanda ad nutum Victoris, Religiosi nullatenus peccent, immò Ludus hic deuotionem, & pietatem redoleat iuxtà omnes Doctores, & talis est vsus piorum Religiosorum. Quantùm verò ad secundam partem dubij dico, quòd non committatur Simonia, cùm non interueniat ratio prætij, prout ad Simoniam exigitur. Ita Doctores communiter cum Lezana supracit. num. 13., Bordono Resol. 33. num. 8., Portello Verb. Ludus num. 4.,

Rodriquez, Megala, Lopez, & alijs contrà De Lugo.

56. Petes. An licitum sit Religiosis vtriusque Sexus aliquid donare de Bonis Monasterij, seu Conuentus?

℞. *Ex Bulla Clementis VIII. Incipient Religiosæ Congregationes edita die 2. Iulij* 1594. prohibitam esse Regularibus vtriusque Sexus Largitionem Munerum, adeò vt nec donare possint Sęcularibus, nec inter se, exceptis quibusdam exiguis de Esculentis, & Poculentis erga Benemeritos tantùm, ob Deuotionem, vel alias Causas à Capitulo Generali probandas, cum licentia Superioris scripta, & consensu maioris partis Conuentus, Dispendiosas etiam prohibitas esse Benefactorum Receptiones, & lautas Comessationes, etiam Loci Ordinario, aut Protectori exhibendas, quę omnia prohibuit *Clemens VIII. duos ob fines*, scilicet tùm ad seruanda Monasteriorum Bona, ne per hæc Munera dissiparentur, tùm ad euitandam Materiam Ambitionis, ne per Munera Religiosi sibi viam ad Dignitates, & Officia aperirent, quòd isti duo fines principaliter intenti *à Romano Pontifice* cessent, etiam Lex Pontificia cessabit obligare, nec habebitur transgressio Bullæ ex Granado, & ex Diana De Paupert. Relig. part. 1. tract. 6. resol. 18., & 33. Pęnas etiam inflixit in sua *Bulla Clemens VIII.*, *& sunt Priuatio omnium Dignitatum, & Officiorum, Vocisque Actiuę, & Passiuæ, Infamia, necnon subiectio, vt contra Delinquentem agi possit tàm per viam Denunciationis, Acccusationis, & Querelæ, quàm ex Officio, tamquàm contra Furem, & Simoniacum, & quicumque recipit, tenetur ad Restitutionem. Hæc ex ipso Clemente*, quem aiunt Doctores, declarasse Oretenùs, & Viuo Vocis Oraculo *Patri Claudio Aquauiuæ Generali Societatis Iesu*, quòd Religiosus sine licentia sui Superioris faciendo Munus excedens Summam duorum Aureorum frangat quidem Votum Paupertatis, & sit Proprietarius, non tamen incurrat in Pęnas Clementinas, fortè quia Summa duorum Aureorum, *in Iure* reputatur modica *ex L. Si Oleum* 15. *in Fine*, quod intelligas esse verum, si Superior legitimus quantitatem non

definierit,

definierit, ex Bonaccina tom. 1. tract. De Largit. Mun. disp. 3. punct. 5. num. 6.

57. Neque valet, si dicas, quòd præfata *Bulla Clementina* non fuerit vniuersim Vsu recepta secundùm plurimos Doctores, præsertim in Hispania, in Gallia, in Belgio, an verò Romæ, vbi est Fons negotiorum, consule Romanos. Non, inquam, valet, nam vtique verum est, quòd plurima per editionem *præfatæ Bullæ* statim orta fuere dubia circà exactam illius Obseruantiam, attamen *Vrbanus VIII. sub die 16. Octobris* 1640. Litteras dedit in formam Breuis, quibus confirmauit, & innouauit *Clementinam*, irritando, & damnando omnem prætensum non Vsum, & mandat *Vrbanus, talem Bullam quotannis publicè legi Mense Ianuario vna cum Declarationibus ab ipso, editis, nimirùm quòd licita sit Regularibus vtriusque Sexus Largitio Munerum causa gratitudinis; conciliationis, aut conseruationis Beneuolentiæ erga Conuentum, aut Religionem, & quauis de causa respiciente de sui natura actum Virtutis, modestè tamen, & discretè, & cum licentia Superioris, & consensu maioris partis Monasterij, seu Conuentus, vbi talis consensus ex Constitutione, aut ex Consuetudine postulatur* (sicque intelligendam *Clementinam*, vbi talem consensum ad Largitionem Esculentorum requirit) *& quando concurrit Ambitionis suspicio, qua cessante, nec requiritur licentia Superioris scripta, sed sufficit vocalis. Comessationes autem, & Conuiuia in excipiendis Benefactoribus, Protectore, & Ordinario lautè, eatenùs prohibentur, quatenus decentiæ Status Regularis aduersantur. Hæc ex Vrbano VIII.*

58. Sed numquid Prælatus Regularis, vel Abbatissa poterit Donationes Remuneratorias facere?

℟. Posse cum communiori Sententia, nam Donatio Remuneratoria pro antidotali obligatione est permissa, eò quòd non est propriè, & strictè Donatio *L. Aristius Regulus ff. De Donat.* & est Iure naturæ Hominibus debita, sic postulante Gratitudinis Lege *ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 106. *art.* 6., iuxtà quem potest etiam dari aliquid plus vltra acceptum, dummodò tamen non excedat valorem meritorum, & be-

neficiorum in quarta parte ex Nauarro apud Barbosam, & hoc ob compensationem Beneficij, & ob alias quoque Causas, *quæ de sua natura sunt actus Virtutis, & Meriti*, veluti sunt Actus Eleemosynæ, erga Pauperes, actus Pietatis erga Parentes, sicut declarauit *Vrbanus VIII.*, cui hodie omninò standum est, vnde de licentia *Superiorum Localium*, etiam oretenùs data, non prohibetur Largitio Munerum in Bulla, & idem dicitur de Largitione Munerum illis, à quibus Maiores Eleemosynæ sperantur; si ergo Regulares Subditi vtriusque Sexus possunt de licentia Superiorum vocaliter data Donationes Remuneratorias facere, cur non ipsi Superiores, ne dicantur peioris conditionis, quàm sui Subditi? Dixi autem, *Largitionem Munerum non prohiberi de licentia Superiorum Localium oretenùs data cum Vrbano*, & intelligitur de Rebus Mobilibus non pretiosis, non verò intelligitur de Rebus immobilibus, aut de mobilibus pretiosis, quia esset quædam alienatio ipsarum, ad quam requiritur de Iure Consensus Capituli, seu Maioris partis ipsius, *Cap. Sine Exceptione 12. p. 2. Cap. 1. De Rebus Eccles. non alienandis in 6. Vide Lezanam in Summ. QQ. Regul. Verb. Dare, seu Donare quoad Regulares*, vbi ad dignitatem tractat de hac Materia, quæ est satis longa, sed necessaria, & ex his collige, quòd cum licentia Abbatissę possit Monialis vltrà assignatum Stipendium dare aliquid aliud Confessario pro Charitate, & Assiduitate, & dare Famulis pro diligentia, Ordinario similiter occasione Benedictionis in Susceptione Habitus, aut in Professione, & in alijs similibus.

59. Quasnam autem Pęnas determinent *Sacri Canones* contrà Religiosum Proprietarium?

℞. Quòd præter Pęnas assignatas *à Concilio Tridentino, & à Nostris Constitutionibus Generalibus in num. 47. Sacri Canones* determinent, quòd Religiosus Proprietarius est in Statu Damnationis, quamdiù perseuerat in tanto Scelere, est incapax Absolutionis, priuatur Communione Altaris, non applicantur pro ipso Sacrificia, est præcisus à Corpore Vniuersalis Ecclesiæ, seu est Excommunicatus, & si moriatur,

riatur, priuatur Ecclesiastica Sepultura, & simul cum Pęcunia sepelitur in Sterquilinio, sic *in Cap. Super Quodam De Regul.*, iunctò *Cap. Monachi* §. *Quia verò*, & *Cap. Cum ad Monasterium De Statu Monach.*, vbi nota cum Sanchez in Decal. lib. 7. Cap. 20. num. 11., 12., & Peyrino Tom. 1. De Subdito q. 2. De Paupert. cap. 2. §. 9., quòd in præfatas Pęnas incurrant Religiosi, qui retinent, vel possident aliqua contrà Voluntatem Superioris, in eas tamen non incurrant Religiosi dantes aliquod notabile sine licentia Superioris, licet sint Proprietarij, & incurrant in Pęnas determinatas *à Clemente VIII.* in num. 56. Si verò per errorem in Ecclesia Corpus Religiosi Proprietarij sepultum fuerit, est exhumandum, si Cadauer, & Ossa ab alijs discerni possint, in Sterquilinio sepelienda sunt iuxtà *Cap. Sacris de Sepult.*; Aduertat tamen Superior, ne in tanto negotio præcipitanter se gerat cum infamia Religiosi defuncti, quòd Proprietas debeat esse Rei notabilis arbitrio, & iudicio Prudentum, quia non sufficit quantitas Rei, quæ constituat peccatum Mortale, sed aliquid plus requiritur, attentis circumstantijs, & considerato Peculio, quod significat nô solùm pecuniam numeratam, sed etiam quacumque Rem pretio æstimabilem *L. Depositi ff. de Pecul.*, quare Superior non à se solo decernat, sed priùs petat Piorum, & Prudentum Consilium.

60. Sed quid resoluendum, si Casus contingat, quòd Religiosus inueniatur mortuus in Cella cum Bursa Denariorum?

℞. Quòd talis Religiosus non sit iudicandus Proprietarius, sed adhùc donandus sit Sepoltura Ecclesiastica, & pro Eo sint applicanda Sacrificia, eò quidem modo, quo statuunt pro cęteris Nostris Fratribus Defunctis *Constitutiones Generales Sambucanæ Cap.* 8. §. 55. *num.* 3., & suppono, quòd hic Religiosus non priùs commonitus fuerit à Superiore, vt Peculium resignaret, sicuti prętendit Textus *in Cap. Super quodam*, quapropter in nostro casu censendum potiùs est, quòd talis Religiosus naturali quadam obliuione angustijs Infirmitatis absorptus resignare prætererit;

tum quia

tum quia posset se purgare, si reuiuisceret, quia Pecunia illa poterat non esse sua, & poterat fuisse sibi ab Amico absente, aut ab aliquo Benefactore concredita, vel poterat fuisse sibi deposita ab aliquo Pęnitente, vt erogaretur, aut restitueretur alteri, nec contrarium est præsumendum. Et etiamsi pręsumi posset, quòd hic Religiosus in peccato decesserit ab hac Vita, in facto tamen adeò occulto non potest Pęnis grauissimis tantæ infamiæ puniri publicè, maximè quia Delictum non potest ei proponi, vt se defendat, cùm sit mortuus, idcircò contrà inauditam Partem non possunt infligi Pęnæ tàm atroces, & esset maxima sęuities Superioris, qui præfato Religioso Sepulturam Ecclesiasticam, & Sacrificiorum applicationem denegaret, ex Nostro Emanuele Rodriquez ponente Casum *de Religioso etiam Minorita* Tom. 4. suæ Summæ Cap. 31., vbi corrigit contrariam Sententiam, quam priùs defenderat Tom. 3. QQ. Regul. qu. *61*. in fine. Secùs dicendum foret, si secundùm Ius Canonicum ipsemet Religiosus fuisset priùs à suo Superiore commonitus, vt Peculium resignasset, & resignare noluisset, in quo casu Superior petito priùs Piorum, & Prudentum Consilio posset illum cum Pęcunia sepelire in Sterquilinio, eique denegare aplicationem Sacrificiorum, ac alias Pęnas infligere.

*61*. At quomodò in Spolijs Religiosorum Nostri Prouinciales se gerere debent?

℞. Quòd in hoc Casu attendendum sit *Decretum Nostrę Congregationis Generalis habitæ Romæ de Anno 1679.*; quod videas transcriptum à Patre Felix Tom. 1. part. 2. De Primo Præcepto Decal. cap. 4. n. 1183. Deinde placet hìc addere id, quod nouissimè resoluit *Sacra Congregatio* in Causa Spolij cuiusdam Religiosi Professi Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia Prouinciæ *Sancti Francisci*. *Sacra Congregatio*. Audito P. Ministro Generali Ordinis, censuit injungendum, prout præsentis Decreti vigore iniungit, Procuratori Generali eiusdem Ordinis, vt Prouincialem prædictæ Prouinciæ *Sancti Francisci* acriter moneat, eò quòd tanta, quæ ipsemet in Notula ad Sacram Congrega-

tionem

tionem trasmissa describit, siue superflua, siue prohibita à Defuncti Cella, dum Visitationem localem fecit, non abstulerit. Et insuper strictè præcipiat singulis Prouincialibus, vt in actu Visitationis Annualis, prout quoque Guardianis quolibet Mense, illicita, & superflua è Cellis Religiosorum sub Pœnis in Constitutionibus Ordinis contentis, ac etiam priuationis Officij, alijsque arbitrio eiusdem *Sacræ Congregationis*, remoueri faciant. *Romæ* 2. *Maij* 1698.


Aliud Decretum. *Sacra Congregatio &c.* Audito Patre Ministro Generali prædicti Ordinis, censuit, ex Spolio præfati Religiosi applicandos Libros Conuentui, in quo de Familia morabatur, ac etiam ea, quæ ad Sacristiam pertinent, eiusdem Conuentus Sacristiæ; cętera verò per Syndicum Apostolicum vendenda, eorumque pretium in communes Vtilitates expendendum, proindeque Prouincialem absoluendum, dummodò Prædictos Libros, & Sacra Paramenta Conuentui restituat, ac cętera per prædictum Syndicum Apostolicum Prouinciæ vt suprà applicet, necnon de Executione per Authentica Documenta ipsam *Sacram Congregationem* certiorem reddat. *Romæ* 13. *Maij* 1698.

62. Confessarij Praxis erga Religiosum Proprietarium erit proficua, si eum interroget de Vicibus, & Motiuis incursæ Proprietatis, similiter de Scandalo dato, de Superfluo, de turpi, de illicito Vsu Rerum in notabili quantitate, & de Inductione aliorum ad tantum Scelus, interroget, an contrà *Bullam Clementis VIII.*, Donationes fecerit Regularibus sui, vel alterius Ordinis, & an Sęcularibus, in quo Casu licet Proprietarius non teneatur abdicare se ab Officijs, Vocique Actiuæ, & Passiuæ renunciare ne in honore proprio periclitetur, attamen & Religiosus donans, & Sęcularis, cui datum est, tenentur restituere Monasterio, vbi notet Confessarius, quòd non possit ei Superior concedere auctoritatem, vt super validitate Donationis dispensare valeat, ex Rodriquez part. 1. Suæ Summæ cap. 60. Studeat itaque Confessarius, cui Superior concessit facultatem absoluendi ab hoc Quarto Casu, vt Religiosum Pęnitentem inducat ad cognitionem Delicti adeò grauis, & vt verè

pęniteat,

peniteat, quia peccati Venia non datur nisi Correcto *Cap. Peccati De Reg. Iuris in 6.* Det operam, vt Religiosus Proprietarius ex corde proponat, se inposterum nihil proprium esse vsurpaturum, nihil notabile alijs daturum, nihil ab alijs accepturum citrà Consensum Superioris, & ad libitum proprium de nihilo dispositurum contrà Votum Paupertatis Religiosæ, cui se spontè obligauit; deinde graui Pęnitentia imposita illi impertiatur Absolutionem, si dispositum inuenerit, aliàs Absolutionem suspendat, præsertim si Proprietarius sit *Minorita*.

Hæc dicta sint de Paupertate Religiosa, supplices itaque rogemus Deum, qui Animas Pauperum saluas facit, vt dignetur Nos Pauperes ex Voto facere Spiritu Pauperes, vt Nostrum sit Regnum Cęlorum. Amen.



# QVINTVS CASVS

## RESERVABILIS A' SVPERIORIBVS REGVLARIVM

*Iuramentum falsum in Iudicio Regulari, seu Legitimo.*

1. NIhil irreligiosiùs, nihil iniquiùs patrare valet Religiosus Deo specialiter emancipatus; quàm Iuramentum falsum in Iudicio Regulari, seu Legitimo deponere, cùm Iuramentum falsum contrarietur altiori, & excellentiori Religionis Virtuti, quæ in Cultum Diuinæ Maiestatis omnem curam, & omnes actiones dirigit, hocque debet esse proprium Viri Religiosi Munus iuxtà Carthagenam lib. 5. Homil. 11. Mendacium quidem est intrinsecè malum, atque nullo modo cohonestabile, grauiùs verò, & atrocius peccatum fit, si Iuramento firmatum fuerit, in Iudicio præsertim, vbi Deus summè Verax ad confirmandum mendacium adducitur in Testem, efficitur mendax, improbus, & ignarus, vbi Iudex legitimus decipitur, & contrà Ius statuere cogitur, vbi scelestorum Hominum delicta à falsis Testibus in Iudicio teguntur, Rei ad vlteriora, & atrociora, Spe Impunitatis, properant flagitia, & non raró Innocentium vita, fama, & facultates in discrimen conijciuntur, hinc in vno Periurio vides, quot offensiones, quot damna, quot peccata ferè concatenentur. Sapientissimè igitur Romanus Pontifex *Clemens VIII.* præ-

fatum Casum proposuit Reseruandum Superioribus Regularium, cui Casui consonant Verba *octaui Casus apud Nos Obseruantes reseruati sic: Iurati Veritatem negantes, falsumque affirmantes*, & vniformatur *tertius Casus ex quinque Reseruatis P. Ministro Prouinciali Ordinis Minorum Conuentualium S. P. N. Francisci*.

2. Vt ergo hic *Quintus Casus* dilucidetur, singulæ eius Dictiones omni breuitate sunt examinandæ. Dicitur in primis *Iuramentum*, & iuxtà Communem *Iuramentum est Inuocatio Diuini Numinis in Testimonium illius, quod asseritur, vel negatur, aut promittitur*, ex qua definitione habes tùm Iuramentum Assertorium, tùm Promissorium, etenim in Iuramento Assertorio, de quo in presenti, asseritur, vel negatur aliqua res præsens, vel præterita, Diuino Numine in Testem inuocato, & in Iuramento Promissorio promittitur aliqua res de futuro, adducendo Deum in Testimonium; Iuramentum deinde aliud est Comminatorium, in quo Diuino Numine inuocato in Testimonium, quis alicui promittit malum pęnæ, vt si dicam: per Deum Te occidam, & aliud est Execratorium, seu Imprecatorium, in quo Deus non solùm inuocatur in Testem Veritatis assertæ, seu Promissionis factæ, sed etiam in Vltorem, & Vindicem falsitatis, seu violatæ promissionis, vt si dicam: Deus me destruat, nisi hoc ita sit, vel tollat me Deus Morte subitanea, nisi hoc fecero.

3. Licitum, honestum, & bonum est Iuramentum, estque verus Religionis actus, si Comites habeat tres Conditiones ex *Hieremiæ Cap.* 4.: *Iurabis, viuit Dominus, in Veritate, Iudicio, & Iustitia. Veritas* consistit in hoc, vt Iuramentum non fiat in confirmationem falsi, aut mendacij, sed res, quæ iuratur, sit vera, aut ex graui ratione, vel bona fide putetur vera. *Iudicium* consistit in hoc, vt Iuramentum non fiat sine necessitate, aut sine vrgenti causa, aut sine iusta, & rationabili vtilitate, sed fiat cum prudenti Intellectus consideratione, cum pia, ac reuerenti voluntatis affectione. *Iustitia* consistit in hoc, vt Iuramentum fiat non de re iniusta, mala, & illicita, sed fiat de re

iusta,

iusta, bona, & honesta. Si autem Iuramento deficiat Societas vnius, vel alterius conditionis, Iuramentum erit illicitum, & aliquo modo peccaminosum quapropter si deficiat Veritas Iuramentum factum in Materia etiam leuissima, semper est peccatum mortale, & dicitur verè Periurium, & oppositum damnatum fuit ab Innocentio XI. in The. 25., nisi tamen Iurans non deliberatè iuraret, quia defectus plenæ deliberationis in omnibus actibus humanis excusat à mortali cum Tamburino lib. 3. in Decal. Cap. 1. §. 4. num. 1.; si deficiat Iudicium, in Iuramento tamen sit Veritas, & Iustitia, regulariter est peccatum veniale, quia non videtur grauis irreuerentia inuocare Diuinum Testimonium sine necessitate, dummodò verè, & iustè inuocetur cum Tamburino cit. n. 7. Dixi *regulariter*, quoniam si ex defectu Iudicij nascatur negligentia grauis in inquirendis Veritate, & Iustitia requisitis ad Iuramentum, tunc erit peccatum mortale tùm ratione defectus Iudicij, tùm ob periculum falsò, & iniustè iurandi, erit verò peccatum leue, si leuis nascatur negligentia ex Leandro disp. 7. qu. 19.; si tandem deficiat Iustitia, est peccatum mortale, aut veniale iuxtà grauitatem, aut leuitatem materiæ iniustę, in qua iuratur, vt si iures, Te fornicaturum, aut Te dicturum Verbum otiosum.

4. Sed quid sentiendum de illo, qui pertinaciter crederet, illicitum esse Iuramentum, & qualiter peccaret.

℞. Quòd lethaliter peccaret, & Hæreticus foret, credens contra Scripturas Sacras, illicitum esse, & non bonum Iuramentum, cui Comites sunt tres assignatæ Conditiones, etenim *Deuteronom. Cap. 1. dicitur : Illi soli seruies, & per Nomen eius iurabis, & Psalm. 62. Laudabuntur omnes, qui iurant in eo*, alięque habentur Scripturæ, vbi Deus ipse sępè iurare dicitur, atque hoc comprobatur ex Vsu, & Consuetudine Ecclesiæ Catholicæ sępè exigentis Iuramentum tàm in Iudicijs, vt habetur *in Tit. De Iureiurando, & de Testibus*, quàm ad Hæreses excludendas ex Concilio Ephesino, & ad firmandam pacem, & finiendas Controuersias *iuxta Apostolum ad Hebreos 6. Omnis*

*Contruerſiæ finis eſt Iuramentum*, rationem verò aſſignat *D. Thomas 2. 2. qu. 89. art. 2.* deſumptam ex fine Iuramenti, quod introductum eſt ad firmandum veritatem, & Controuerſias finiendas, non enim dictis noſtris, quæ fallibilia ſunt, poteramus alia ratione firmitatem certam tribuere, quam Diuinæ Authoritatis interpoſitione. Quòd ſi *Matthæi* 5., & *Iacobi Cap.* 5. dicatur Chriſtum prohibuiſſe omninò Iuramentum, reſpondeas, prohibuiſſe Iuramentum falſum, factum ſine veritate, ſine iuſtitia, & ſine vrgenti neceſſitate, ſeu cum defectu vnius, vel alterius conditionis ex tribus aſſignatis, & ſic Dubij propoſiti patet reſolutio, adeò vt pertinaciter credens, illicitum, & non bonum eſſe Iuramentum, licet reuertatur ad Cor, nequeat à quolibet Confeſſario abſolui.

5. Licitum ergo, laudabile, & bonum dicas Iuramentum cum debitis circumſtantijs factum, non tamen eſt ex eo genere Bonorum, quæ ſint per ſe appetibilia, & frequentanda, ſicuti ſunt Eleemoſyna, Ieiunium, Oratio, & alij actus virtuoſi, ſed eſt ex eo genere bonorum, quę bona ſunt, poſita vrgente neceſſitate, aliàs eſt periculoſum, vt ſunt Antidota, & Medicamenta, quæ ſolùm adhibentur, & proſunt, vrgente neceſſitate, vnde Iuramentum non eſt paſsìm frequentandum, eo quòd paſsìm non occurrit vrgens neceſſitas, & quia faciliùs creditur illi, qui ſemper loquitur verum, & numquàm iurat, quàm illi, qui frequenter iurat, ſicuti cum Suarez notat Palaus part. 3. Tract. 14. diſp. 1. punct. 4. num. 1.

6. Dicitur ſecundò ly *Falſum*, & Iuramentum falſum appellatur verè Periurium, quando factum eſt cum debita aduertentia, ac deliberatione, & ſecundùm Leges *caret primordio veritatis ff. De Leg. 11. L. Cùm Filius §. Hæreſ.*, & *falſitas eſt propriè mutatio Veritatis doloſa ff. De Verb. Signific. L. Paulus*. Poteſt verò Falſum tripliciter conſiderari; *primò* re tantùm, & non animo fallendi, vt quando quis putat verum, quod eſt falſum, & adhibita omni diligentia iurat, eſſe verum; *ſecundò* animo tantùm, vt quando quis credit, eſſe falſum, quod eſt verum, & tamen

tamen pro vero iurat; *tertiò* re, & animo simul fallendi, vt quando quis scit falsum esse, & tamen ex certa scientia iurat, esse verum; *in primo casu* vel non est peccatum, vel si est, veniale est; *in secundo casu* est peccatum mortale; *tertio casu* est peccatum mortale, & quidem grauiùs, quàm in secundo. Falsum, de quo in præsenti Reseruatione, debet esse tale re, & animo simul fallendi, ex Graffio lib. 3. Cap. 5. num. 4.

7. Dicitur tertiò ly *In Iudicio*, vt excludatur à Reseruatione Iuramentum falsum non factum coràm Iudice; est autem *Iudicium*, iuxtà Ioannem Oldendorpium, *Actus legitimus, quo mediante Iudex de Causa proposita cognoscit, & secundùm equitatem pronunciat*, quam definitionem esse amplectendam dixerunt multi Iuristæ, & aliam, quæ communiter assignatur, reijecerunt tamquam frigidam, nempè: est actus legitimus constans Iudice, Accusatore, Reo, & Testibus. Ly *In Iudicio* denotat etiam quòduis Iudicium publicum, siue sit Criminale, siue Ciuile, siue tempore Visitationis, siue pro aliquo puniendo, & comprehendit Accusatores, Reos, & Testes ex Bordono Resol. 44. num. 5.

8. Dicitur quartò ly *Regulari*, ideſt in Iudicio facto coràm Iudice Regulari, siue Iudex Regularis sit Ordinarius, habens potestatem, & Iurisdictionem sibi competentem ex Dignitate, & Officio, siue Iudex Regularis sit Delegatus, habens potestatem & Iurisdictionem sibi commissam, seu delegatam à Iudice Superiore, siue generaliter ad omnes Causas, & Lites, siue specialiter ad aliquam causam, & litem, ad aliqua certa loca, aut ad certas Personas, *ex D. Thoma 2. 2. qu. 67. art. 1.*

9. Sed numquid Iuramentum falsum factum à Religioso etiam coràm Personis quomodolibet habentibus Iurisdictionem in Religiosos, sicuti sunt Protectores, Nuncij, Episcopi, Inquisitores, erit obnoxium Reseruationi.

℞. Quòd non, etenim Iudicia coram Ipsis non sunt Iudicia simpliciter Regularia, cum ipsi Iudices sint Seculares, quapropter placet Opinio Lezanę Tom. 3. Verb. Iuramentum

tum num. 13. volentis, Iudicium Regulare non esse extendendum vltrà Personas Regulares, & quidem eiusdem Ordinis, & Religionis cum Molfesio part. 1. tract. 7. cap. 20. num. 57. [ contrarium tamen practicatur à PP. Conuentualibus in suo Manuali Pag. 147. ] eò quòd *Reseruatio Casuum est Materia odiosa, potiùs restringenda, quam extendenda*, hinc Religiosus iurans falsum in Iudicio coràm præfatis Personis non incurrit in Reseruationem Quinti Casus, quia Iudicium non est propriè, & simplicitèr Regulare, sicuti prætendit Casus præsens, non tamen est improbabilis contraria Sententia, quam tenent Bordonus supracit., Peyrinus Tom. 2. De Prælat. qu. 3. Cap. 2. n. 42., & Graffius cit. num. 5.

10. Dicitur quinto *Seù Legitimo*, vbi nota, quòd illa Dictio, *Seù* iuxtà Molphesium supracit., & alios non paucos Doctores in præsenti casu sumenda sit copulatiuè, & resoluenda sit in Copulam, adeò vt ad incurrendam Reseruationem debeat Iuramentum falsum fieri in Iudicio Regulari, & legitimo, nempè coràm proprio, & legitimo Iudice proprij Ordinis, & Religionis, à quo Iudice Reus legitimè interrogetur, & Iuris ordine seruato; vt verò Iuris ordo seruetur à Iudice in interrogatione Rei, tria sunt necessaria, *& primum est*, quòd Interrogans in Iudicio sit Iudex competens, qui super Reum veram habeat Iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, quapropter qui aliquo Priuilegio exempti sunt, si interrogentur à Iudice non competente, non tenentur veritatem fateri, vt si Clericus à Iudice Sęculari interrogetur de Crimine, aut Reus per iniuriam extrahatur ab Ecclesia, cuius Immunitate gaudebat; *secundum est*, quòd Delictum sit plenè, vel saltem semiplenè probatum, hoc est per vnum Testem oculatum, & omni exceptione Maiorem, Testis verò omni exceptione Maior est is, contrà quem Reus nihil potest excipere, vel per Indicia illi Testi æquipollentia, vel per infamiam ad minùs per duos Testes plenè comprobatam, qui Iureiurando affirment, se à pluribus Personis non discolis, neque inimicis, sed Fide dignis id audiuisse, vt ait *Bartolus in L. Fin.*

*L. Fin. n. 7. ff. De Quæst.*, *& cæteri Iuris periti C. Inquisitionis*, *& C. Qualiter*, *& quando de Accusat.*; *tertium est*, quòd probatio sit iam posita in processu, & sit notificata Reo, vt sciat, in quo Statu Causa sua consistat, videatque, se iustè, & iuridicè à suo Iudice interrogari, & proinde se teneri eius mandato obedire, per *D. Thomam 2. 2. qu. 69. art. 1.*

11. Quid si Iudex in interrogatione Rei non seruet ordinem Iuris, an Reus teneatur tunc fateri veritatem in Iudicio?

℟. Quòd in primis Iudex grauiter peccet agens contrà iustam Prohibitionem Iuris Communis volentis, quòd non nisi Iuris ordine seruato possint Iudices adstringere Iuramento Criminosos ad dicendam veritatem, deinde Reus nec tenetur veritatem fateri, nec Iuramentum præstare, si cognoscat, quòd à Iudice non seruetur Ordo Iuris, & est communis post *D. Thomam supracit. art.*, *vbi ait*, *quòd aliud est veritatem tacere*, *& aliud est falsitatem proponere*; *primum horum aliquando licet*, *non enim tenetur quis omnem veritatem confiteri*, *sed illam solùm*, *quam ab eo potest*, *& debet requirere Iudex secundùm ordinem Iuris*, *puta cùm præcessit infamia super aliquo Crimine*, *vel aliqua expressa Indicia apparuerunt*, *vel etiam cùm præcessit probatio semiplena*, *falsitatem tamen proponere in nullo casu licet alicui*. *Hæc D. Thomas*, & id ipsum deducitur ex supradictis Canonibus sacris, ergo si Iudex in interrogatione Rei non seruet Iuris ordinem, non obligabitur Reus fateri veritatem, nec Iuramentum dare, consequenter non obligatur Reus, Iuris Ordine non seruato à Iudice, ad mentem ipsius Iudicis respondere, sed potest locutione amphybologica, vel alio artificio eius interrogationem eludere, at mentiri numquam potest. Pulchrè igitur in *practica Criminali Fratrum Minorum legitur sic*: Non *est constituendus Reus*, *nisi in informatione constet*, *delictum esse semiplenè probatum*, *vel adesse æquipollentia Indicia*. *Secus agens Iudex mortaliter peccabit*, *& Reus respondere non tenebitur*, *quia non interrogatur Iuris Ordine seruato*. *Hæc ibi*.

12. At

12. At si Reus dubitaret, an Iuris Ordine seruato interrogaretur à Iudice, num teneretur fateri veritatem in Iudicio?

℞. Negatiuè cum Sententia probabiliori, etenim nemo tenetur obedire Superiori cum grauissimo suo incommodo, nisi constet, quòd ipse legitimè precipiat. Tum quia *in Dubio fauendum est Reo eique, de cuius damno agitur C. Cùm sunt partium 11. De Reg. Iuris in 6.*, *& L. Fauorabiliores ff. Eodem*, & in hoc Casu dubio P. Aldrete De Relig. Discipl. tuenda lib. 2. cap. 14. num. 7. loquitur sic: Exigitur, quòd Reus nouerit, se iuridicè interrogari, propter quam causam asserunt Doctores, necessarium esse, quòd Testium depositio Reo notificetur, vt sciat, ad obediendum se teneri, & P. Miranda in Ordine Iudiciario Tom. 2. qu. 19. art. 13. concl. 1. inquit: Dicendum est igitur, quòd Indiciorum, & semiplenæ probationis Copia Reo tradenda est, vt inde veritatem probare adstringatur, aliàs non tenetur verum dicere; meliùs etiam cum *Salzedo in Pract. Crimin. Cap. 126. lit. C. dicitur sic*: *Summoperè placet ea Forensis Practica, qua Ecclesiastici, & Seculares Iudices Deum timentes vti solent, vt ante confessionem receptam minimè præcipiant, informationis* Copiam *dari, sed tantùm Tabellioni, Notario præcipiunt, quòd Testium depositiones absque eorum nominibus coràm Reo legat, vt inde compertum habeat, quid contrà ipsum probatum sit, & veritatem fateatur, ita Salzedo*, quod vtinam Iudices obseruarent, vnde si non obseruant, miserrimè in hoc falluntur, & ideò possunt Confessarij Reos absoluere stante tali dubio, quando veritatem nolunt confiteri, nam *in dubijs melior est conditio possidentis*, sed Reus est in possessione suæ famæ, ergo quàmdiù res est dubia, non est priuandus tali possessione, & quoad vsque per statum Processus Reo non innotescit, quòd Iudex habeat Ius interrogandi, non tenetur se ipsum prodere fatendo veritatem in Iudicio. Quòd dicitur de Reo, intelligatur etiam de Teste, quia nec ipse testificari debet, aut tenetur, quando est dubius, an à Iudice Iuris ordine seruato, & iustè interrogetur, & ratio est

quia

quia in dubijs minus malum eligi debet, sed minus malum est non obedire Iudici, quàm permittere, vt Iustitia peruertatur, ità Spatarius tract. 7. cap. 9. num. 1., Sotus, Azorius, & alij.

13. Verùm quid si Iudex Iuris ordinem seruaret in interrogatione Rei, an Reus teneretur fateri veritatem, quando ex patefacta veritate contrà se ipsum damnandus foret pęna Mortis, Mutilationis, vel Triremium, negata autem Veritate spem haberet euadendi?

℞. Cum Sententia probabiliori, quod adhuc sub graui obligatione teneretur Reus fateri veritatem iuxtà Doctrinam *Angelici Magistri* 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. receptam à Nauarro in Man. cap. 25. n. 3., Couaruuia, Beia, Gabriele, & alijs tum quia, vt inquit *D. Thomas cit.*, *quicumque facit contrà debitum Iustitiæ* (sic vocat Obedieniam S. Doctor, tamquàm speciem Iustitiæ latiùs acceptæ propter similitudinem quamdam cum Iustitia propriè dicta) *mortaliter peccat*, *pertinet autem ad debitum Iustitiæ*, *quòd aliquis obediat suo Superiori in his*, *ad quæ Ius prælationis se extendit*, *Iudex autem Superior est respectu eius*, *qui iudicatur*, *& ideò ex debito tenetur accusatus Iudici veritatem exponere*, *quam ab eo secundùm formam Iuris exigit*. Tum quia contrariatur bono publico, quod pacificè conseruari non posset, nisi crimina punirentur, neque hoc fieri posset, nisi Iudex & Testium testimonio, & Rei confessione Causam cognosceret, quare tàm Testis, quàm Reus tenetur, quando Iudex in interrogando seruat Iuris ordinem, fateri veritatem. Tùm quia cùm Lex sit sanctissima, vt nemo criminali Sententia, antequàm sit confessus, condemnetur, nisi aut notorietate facti, aut Testimonijs luce clarioribus possit conuinci, tamen non est ei deneganda Appellatio, nec pęna est infligenda quoad vsque Crimen confiteatur, vt dicitur *L. Obseruare C. Quorum Appell. non recip.*, quæ Lex perniciosa esset, immò seruari non posset, si Reus iuridicè, & legitimè interrogatus eadem Lege non obligaretur ad veritatem dicendam. Tùm quia sępè iniuriam facit Actori, qui cùm iustè petat vindictam, iniustè diffamatur

de Calumnia per negationem Accusati, & semper facit iniuriam Deo, cuius est Iudicium, *omnis enim potestas à Domino Deo est, & qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit*, vnde ad Diuinam gloriam spectat, vt Reus delictum, de quo interrogatur à Iudice Iuris ordine seruato, confiteatur, & veritatem dicat iuxtà illud *Iosue Cap. 7. Fili mi da gloriam Deo Israel, & confitere, atque indica Mihi, quod feceris, ne abscondas.* Tùm quia nequaquàm liceret tormentis maximis agere contrà negantes veritatem in Iudicio legitimo, si graue peccatum non esset veritatem cęlare, aut falsum dicere, & præsertim si id fiat adhibito Iuramento, & ex his constat, teneri Reum coràm Iudice Iuris ordinem seruante fateri veritatem, etiamsi Causa sit capitalis, aut ex grauioribus, puta Mortis, iacturæ honoris, aut suorum bonorum, & quod dicitur de Reo, dictum etiam sit de Testibus.

14. Dices: Nimis durum, & difficile, consequenter inobseruabile est, quòd quis per confessionem Criminis capitalis teneatur ex Præcepto particulari Iudicis cooperari ad propriam Mortem, hinc nec aliæ Leges humanæ obligant cum Mortis periculo. Tùmquia iuxtà *L. 4 ff. de Testibus Nemo potest cogi ad testificandum contra Sanguine iunctum*, ergo nec contra se ipsum, quisque enim sibi est coniunctissimus.

℞. Negando, quòd difficultas obligationis reddat eam inobseruabilem, quoniam in pluribus alijs Casibus Bonum commune præferendum est propriæ vitæ, sic Miles cum euidenti suæ Vitæ periculo obedire tenetur suo Duci; paritas verò adducta de alijs Legibus humanis negatur, sicut negari debet ab Aduersarijs, quia concedunt saltem, Reum debere obedire Iudici, quando negatio Criminis inseruiret ad euitanda minora mala, quàm sit Mors, vel Mutilatio, quæ tamen ab obseruatione aliarum Legum plerumque excusant; disparitas verò, quòd aliæ Leges humanæ non obligent cum Mortis periculo, est, quia aliæ Leges intendunt alia bona, aliosque fines Bono Vitæ, vel Membrorum inferiores, obligatio autem Rei ad fatendum Crimen, & ad dicendam veritatem in Iudicio intenditur per se,

& ex natura sua ad damnum priuatum Vitæ, vel Membrorum ipsius Rei, vt videlicèt ex punitione Criminis procuretur bonum commune, & necessarium toti Communitati. Ad secundum dico, quòd non est paritas, etenim coniunctio illa Sanguinis, propter quam nemo potest cogi ad testificandum contrà Consanguineum, inducit specialem indecentiam contrà debitam reuerentiam, ingenua autem Confessio proprij Criminis, estò Capitalis, talem indecentiam non continet, idcircò à Legitimo Superiore, & à Iudice seruante Iuris ordinem potest imperari in Bonum totius Communitatis ex P. Ilsungo tract. 4. disp. 2. q. 1. art. 6. §. 3. num. 37.

15. Ex his inferas, non esse Sacramentaliter absoluendum Reum (idem dicatur de Teste) qui perseuerat in praua voluntate negandi Veritatem, & persistendi in Periurio, etiamsi à Iudice Iuris Ordine seruato iterum interrogetur; si autem absoluatur, Absolutio est sacrilega, & inualida, quia datur Persistenti in peccato, non habenti propositum fatendi veritatem, & non merenti Veniam C. *Peccati Venia De Reg. Iuris in 6.*, *& C. Legatur 24. qu. 2.*, *vnde in Praxi Criminali Fratrum de Obseruantia sic dispositum legitur: Reus legitimè interrogatus sub Mortali culpa (à qua, nisi dicat veritatem, in Foro Pœnitentiæ absolui non possit) tenetur de plano respondere ad mentem Iudicis interrogantis.*

16. Num verò Reus ex præsumptione falsa delicti interrogatus à Iudice teneatur confiteri Propositionem veram, quando ista confessa damnandus est in Foro externo de Crimine?

17. Clarificandi gratia hoc dubium accipiamus Exemplum, quod ponit Delugo disp. 40. De Iust., & Iure Sect. 1. num. 4. de Titio, qui ex præsumptione falsa commissi homicidij iudicialiter interrogatur, an exierit è tali Domo, & tali tempore, ac stricto Ense? quod quidem verùm est, & iam semiplenè probatum, sed exitus ille Titij non contigit pro facto homicidio, & ob aliam causam, ideò remanet quæstio, an taliter interrogatus à Iudice pos-

fit negare Exitum illum, ne alioquin, licet Innocens, ob talem grauiorem præsumptionem habeatur Reus homicidij? Hæc Delugo. Alia alij Doctores adducunt Exempla de Delicto, & de Debito, vt si quis Rem alienam acceperit in certi Debiti compensationem, & iuridicè interrogetur à Iudice, an Rem alienam surripuerit, num negare possit?

℞. Ergo ad Dubium de Delicto sic propositum dicendo, quòd quantùm ad id, quod attinet ad Forum Conscientiæ, Reus ex præsumptione falsa Delicti interrogatus à Iudice possit negare eiusmodi Propositionem vtpote falsam in sensu à Iudice hìc, & nunc principaliter intento, sic Theologi, & Canonistæ. Tum quia præfatus Reus, dum ex falsa præsumptione Delicti interrogatur à Iudice, per negationem Iuramento firmatam nihil falsi respondet Iudici, ergo sine mendacio, & sine Periurio rectè respondet in Iudicio; antecedens, in quo est difficultas, sic declaratur, quia interrogatus, seu adiuratus non tenetur attendere ad verba nudè, & materialiter Interrogantis, seu Adiurantis, sed potiùs ad intentionem, & mentem illius, vt habetur *in Can. Humanæ Aures 22. q. 5. Humanæ Aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant: Diuina verò Iudicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferantur, & C. Intelligentia 6. De Verb. signif.: Non debet aliquis Verba considerare, sed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni*, atqui Reus ex falsa præsumptione Delicti interrogatus à Iudice, quando negat cum Iuramento Propositionem vtpote falsam in sensu à Iudice principaliter intento, tunc non dicitur attendere ad verba nudè, & materialiter Iudicis interrogantis, sed attendere ad intentionem, & mentem ipsius Iudicis, ergo negando cum Iuramento dictam propositionem Iudici interroganti, nihil falsi respondet in Iudicio. Tum quia qui iniustè, & Iuris ordine non seruato interrogatur in Iudicio, non tenetur aperire Iudici interroganti Veritatem, sed supposita illa falsa præsumptione Delicti, iniustè, & Iuris ordine non seruato interrogaretur quis in Iudicio, ergo nō tenetur &c.; maior propositio patet *ex Can.*

*Qualiter*,

*Qualiter*, *& quando* 17., C. *Cùm oporteat* 19., *& C. Inquisitionis* 21. *De Accusatione*, vbi prohibetur Iudici procedere ad Inquisitionem, & Examinationem Rei, nisi Iuris ordine seruato, consequenter si Iudex iniustè, & Iuris ordine non seruato examinet, nullam potest obligationem imponere Reo ad aperiendum Crimen, & ad iurandum de veritate fatenda, sicuti & Nos num. 11. diximus *ex D. Thoma*; minor autem propositio probatur, eò quòd Crimen nec dum est semiplenè probatum, cùm reuerà non contigerit, sed falsa dumtaxat eius præsumptio habeatur. Tùm quia Iudex stante falsa præsumptione non intendit, nec præcipere potest Reo, vt ad factam interrogationem, prout iacet, absolutè respondeat, ergo nec Reus tenetur ita respondere; antecedens declaratur Exemplo Lugonis superiùs adducto de Titio egresso è Domo stricto Ense, etenim si Iudex sciret veritatem facti, ac innocentiam Titij, certum est, quòd Titium de illo egressu non interrogaret, immò nec interrogare posset, tùm ne Titium iniustè diffamaret imponendo ipsi Innocenti graue Crimen, tùm ne viam sterneret ad iniustam Titij condemnationem, qualis ex graui præsumptione, licet à parte Rei falsa, contrà Titium facilè sequeretur, si absolutè concederet, se ex tali Domo, & tali tempore, ac stricto Ense egressum fuisse. Alias rationes adducit *Nauarrus Can. Humanæ Aures* 22. *qu.* 5. *per totam quæst.* 1., *&* 2., & simul soluit contrarias.

18. Dixi autem *quantùm ad id, quod attinet ad Forum Conscientiæ*, quod fundatur in veritate, quia quoad Forum Externum tenetur Iudex procedere secundum Leges in præsumptione fundatus, & tunc non dicitur Iudex iuridicè interrogare, nisi ex præsumptione, si enim Iudex Veritatem sciret, tunc non posset interrogare, vt anteà dixi, & *Præsumptio cedit Veritati L. Imperatores ff. De Probationibus.*

19. Dices primò, quòd Nostra Responsio ad Dubium videatur concedere quamdam Restrictionem mentalem, vel Amphibologiam, & quidem Iuramento firmatam, quapropter repugnat *Decreto Innocentij XI.* sub pęna Excommunica-

municationis latæ Sententiæ prohibenti, ne vlla doceatur Propositio ex sexaginta quinque damnatis; nostra autem Responsio docet *Theses 26.*, 27., 28., *& istę Theses damnant Vsum Restrictionum Mentalium, & Amphibologiarum*, vt constat Legenti ipsas.

℞. Quòd nostra Responsio data non repugnet *Decreto Innocentiano*, vbi in Proemio notanter dicitur, quòd Propositiones in eodem contentæ damnantur, *vt iacent*, nostra autem Responsio nihil habet commune cum ipsis, *vt iacent*, ibi siquidem damnantur Restrictiones Mentales, seu Amphibologiæ, quæ fiunt per Restrictionem Mentalem addendo Verbis aliquid sola mente retentum iuxtà Cardenam Dissert. 19. cap. 4. num. 35., at talis non est illa, quę habetur in nostra Responsione, quæ nihil addit sola Mente retentum, quinimmò correspondet Intentioni, & Menti Iudicis interrogantis, vt probatum est, ex Anacleto lib. 2. Decretal. Tit. 18. §. 7. num 184.

20. Dices secundò: quantùm attinet ad Forum Conscientiæ, debet Iuramentum interpretari iuxtà Mentem illius, qui recipit Iuramentum, & non iuxtà Mentem illius, qui præstat Iuramentum, sed in nostra Responsione Interrogatus non iurat iuxtà Mentem Iudicis interrogantis, seu adiurantis, at iurat iuxtà Mentem propriam, ergo sic iurando est Periurus in Iudicio.

℞. Negando minorem, tùm quia iurat attendens principaliter ad Intentionem, & Mentem Iudicis interrogantis, & iurat verum; tùm quia, inquit Nauarrus supracit. num. 13. regulariter quidem verum est, quòd tenetur, qui iurat, respondere iuxtà Intentionem, & Mentem Interrogantis, seu recipientis Iuramentum, attamen fallit hoc, quando alia Mente, quàm debet, quis interrogatur, quia sufficit, quòd respondeat secundùm eam mentem, qua debet interrogari, modò verum respondeat, hoc autem contingit in nostra Responsione. Accedit, quòd quàmuis sine iuxtà causa non liceat vti locutione Amphibologica iuxtà illud *Matthæi* 5. *Sit autem sermo vester Est, est, Non, non*, licet tamen vti iusta causa interueniente; at iusta causa

vtendi

vendi hic interuenit, ne videlicet alioquin Innocens ex præſumptione falſa Delicti iniuſtè condemnetur, conſequenter &c.

21. Sine Mendacio, & ſine Periurio poteſt quis interrogatus à Iudice negare licitè cum Iuramento, quòd occiderit Hominem, eo quòd non poſſit in Iudicio inculpatam Tutelam probare, poteſt, inquam, negare cum Iuramento, licet Hominem occiderit, quia ſic reſpondet ad Mentem, & ad Senſum Iudicis interrogantis, an ſcilicet iniuſtè, & criminosè occiderit, non enim modo criminoſo occidit, quomodo à Iudice ſupponitur, & interrogatur, ſed ſine vlla culpa occidit, eo quòd ob neceſſariam ſui defenſionem occidit, quapropter Reſponſio negatiua eſt vera iuxtà Leſſium lib. 2. Cap. 31. dub. 3. num. 14.

22. Aduertant itaque Reus, & Teſtis à Iudice iuridicè interrogati, quòd mortaliter peccent, ſi ęquiuocè, & in alieno ſenſu iurent, ac intendatur à Iudice, iam enim conſtat ex dictis Theſibus damnatis, quòd ęquiuocè, vel cum reſtrictione mentali Iurans eſt Periurus, negatq; Iudici ſuo Superiori Obedientiam, ac Iudicium peruertit; ſi tamen à Iudicè quis iniuſtè cogatur ad Iuramentum, non peccabit amphibologicè iurans, quando iuſta cauſa iurandi ſubſit ad veritatem aliquam diſſimulandam, neque hoc damnatur ab *Innocentio XI.* ſecundùm Cardenam in Criſi Theolog. ad Propoſitiones Damnatas Diſſert. 19. num. 74., ratio eſt, quia amphibologicæ locutionis vnus ſenſus eſt verus, ergo ſecundum hunc ſenſum, poſtulante neceſſitate, locutio illa poteſt confirmari Iuramento, abſque eo quòd loquatur ad Mentem Iudicis, qui iniuſtè cogit ad Iuramentum, ita Anacletus Noſter in Theol. Moral. Tract. 6. diſt. 2. qu. 3. num. 40., vnde inquit *Auguſtinus lib. 3. Q.Q. Euangelicarum qu. 51.*: *non omne, quod fingimus, Mendacium eſt, ſed quando id fingimus, quod nihil ſignificat (nihil ſcilicet veri) tunc eſt Mendacium, cùm autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt Mendacium, ſed aliqua figura veritatis.*

23. Notandum eſt igitur, quòd quando Iuramentum exigitur

exigitur à Iudice contrà formam Iuris, poteſt Reus [idem dicatur de Teſte] vti locutione ęquiuoca, & amphybologica, quæ verum ſenſum generat ſecundùm mentem ipſius Rei iurantis, & Falſum ſenſum gignat ſecundùm mentem Iudicis exigentis Iuramenrum, nec tunc Reus ſic iurans peccat, etenim Iudicij locus, Iudicis auctoritas, & aliæ circumſtantiæ non faciunt ſenſum, niſi in ijs, quæ ad Iudicium ſpectant, & ad quæ Iudex legitimam habet poteſtatem, Iuramentum enim exigitum ad hoc tantùm ex prædictis circumſtantijs coarctatur, & etiam ex interrogatione Iudicis, qui cùm putetur iuxtà mentem boni Viri non interrogare niſi de his, quę legitimè poteſt, tunc dum interrogat, an quis tale quid fecerit, intelligitur etiam implicitè interrogare, an tale quid fecerit, quod fateri teneatur, vel quòd ipſe poteſt præcipere, vt ſibi dicat, & in hoc ſenſu, qui reuerà commiſit Crimen, ſed eſt occultum, vel contrà formam Iuris interrogatur à Iudice cum Iuramento, tunc verè reſpondet, ſe non feciſſe, nempe tale quale teneatur confiteri, vel tale quale poteſt Iudex præcipere vt ſibi dicat, eo modo, quo *Chriſtus dixit Apoſtolis. Neque Filius Hominis ſcit*, ex Piſano Propoſ. 28. num. 1. Verſ. ſed circà hoc. Non ergo Reus peccat, nec eſt Periurus, quamuis non ad mentem Iudicis, ſed ad mentem propriam iuret verum, quod iuſtè facere potuit, cùm ſine iuſta cauſa Iudex ad iurandum cogat, & nullum habeat Ius exigendi Iuramentum ab eo, hinc ſibi imputet, quòd deceptus ſit, nam Reus vtitur Iure ſuo ad occultanda animi ſui arcana, & ſic deceptio dicitur potiùs accepta, quam data, conſequenter *poſt Propoſitiones 26., 27., 28. damnatas ab Innocentio* XI. poteſt quis, ſi iuſtam habeat cauſam occultandi veritatem, licitè vti locutione ęquiuoca, & amphybologica, tuncque verum iurat ſecundùm ſenſum verborum, & nullam irreuerentiam facit Iuramento, conſequenter nec peccat, nec eſt Periurus, ſic Parpera in Indice Copioſ. p. 4. c. 35. num. 7., qui ad dignitatem tractat de hac materia.

IN RESER-

## IN RESERVATIONEM INCIDVNT

### *Iuramenti Falsi in Iudicio Regulari, seu Legitimo.*

24. Religiosus, qui Falsum iurat in Iudicio Regulari seu Legitimo, siue postea examinetur vt Principalis, siue examinetur vt Testis, etenim Littera loquitur generaliter de Iuramento Falso, & non distinguit, ergo generaliter est intelligenda, nec Nos distinguere debemus *L. 1. §. Generaliter ff. De Legat. præstant.*

Religiosus, qui falsum iurat in Iudicio Regulari, seu Legitimo, etiamsi Iuramentum Falsum sit de Re parui momenti, etenim in Periurio præsertim Iudiciali, & Assertorio non datur paruitas Materiæ, sed integra Periurij malitia reperitur in omni iurata assertione, vel negatione rei etiam minimę, quia semper grauissima irreuerentia Deo inuocato in Testem Falsi irrogatur, & semper tollitur à Deo, qui est prima Veritas, Infallibilitas in testando, & suffragatur *D. Thomas 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2. sic: Ille qui iocosè periurat, non euitat Diuinam irreuerentiam, sed quantum ad aliquid magis auget, & ideò non excusatur à peccato mortali*, propterea contrarium damnatum fuit *ab Innoc. XI. Propos. 24.*

Religiosus, qui iuridicè interrogatus à Iudice non solùm iurat dicendo falsitatem in Iudicio Regulari, seu Legitimo, sed etiam, qui iurat tacendo Veritatem *C. 1. De Crim. Falsi, vbi ex D. Augustino sic legitur: Falsidicus Testis tribus Personis, est obnoxius, primùm Deo, cuius præsentiam contemnit, inde Iudici, quem mentiendo fallit, postremò Innocenti, quem falso Testimonio lędit. Vterque Reus est, & qui Veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat*; hoc idem colligitur *ex C. Cùm Dilecti.*

Religiosus, qui iuridicè interrogatus à Iudice de Veritate aperienda iurat, sed veritatem occultat, eo quòd præcesserat aliud Iuramentum de tenendo Secretum, etenim illud Iuramentum cedit in præiudicium Reipublicę, & iustę

 guberna-

gubernationis, ac tamquam temerarium non est seruandum, quia est cum interitu æternę Salutis, & Taciturnitas veritatis in Casu inducit peccatum mortale C. *Quisquis* 1. *q*. 1.

Religiosus, qui quidem terretur à præsentia Iudicis interrogantis, non tamen sic perturbatur eius Ratio, vt plenam aduertentiam ad malitiam grauem Periurij, quod promit in Iudicio Regulari, seu Legitimo, amittat, sed plenè aduertit, & habet voluntarium perfectum, quod secundùm omnes Theologos requiritur ad peccatum mortale. Tum quia, vt pluries dixi in Mea Appodixi, sicut Metus non excusat à Culpa mortali in illis, quæ sunt Iuris Diuini naturalis, ita nec à Reseruatione. Tùm quia Reseruatio non est propriè pęna Pęnitentis, sed est ablatio Iurisdictionis in Confessario secundùm Sententiam probabiliorem. Tùm quia ex Nauarro cap. 25. num. 40. licet iustus Metus excusare possit à non testificando, nunquam tamen excusat à testificando falso, consequenter si Falsum cum Iuramento testificetur Religiosus perterritus à Iudice in Iudicio Regulari, seu Legitimo, innodabitur Reseruatione Quinti Casus.

Religiosus, qui in Iudicio Regulari, seu Legitimo iurat, se aliquid scire de Visu, estò illud habuerit solùm de Auditu, vel se aliquid habuisse de Auditu, licet illud sciuerit de Visu, etenim sic iurat Falsum, vt constat.

Religiosus, qui in Iudicio Regulari, seu Legitimo Rem sibi dubiam iurat scienter vt certam, aut Rem sibi certam iurat scienter vt dubiam, nam hisce modis inuocat Deum in Testem falsitatis.

Religiosus, qui Testis examinatus Tertius, vel Quartus falsum iurauit in Iudicio Regulari, seu Legitimo, postquàm alter Innocens per duos, vel tres Testes Reus conuictus fuit, etenim licet non teneatur ad restitutionem, eo quòd tota causa damni iam erat data per priores Testes ex Diana part. 3. Tract. 5. Resol. 105., incurrit tamen in Reseruationem, mentitur, & est Periurus, quia Veritas consistit in indiuisibili.

Religiosus, qui in Iudicio Regulari, seu Legitimo iustè, & iuridicè interrogatus à Iudice iurat occultando veritatem

mediantibus

mediantibus Amphybologijs, Æquiuocationibus, & puris Restrictionibus Mentis, quæ quidem sunt coniunctę cum mendacijs; etenim quisque, si non cogatur iniustè ad iurandum, sed iustè, & legitimè interrogatus iuret, tenetur Iudici respondere de plano, nec potest in Iudicio vti Artificijs, vt occultet veritatem, quàmuis esset vita priuandus *cum D. Thoma 2. 2. qu. 69. art. 1. Videas Propositiones 26., 27., & 28. proscriptas ab Innocentio XI.*

Moniales Exemptæ, Nouitij, Nouitiæ, & alij perpetuò Commensales, qui falsum iurant in Iudicio Regulari, seu Legitimo Monialibus enim accomodatur materia hæc Periurij Reseruata suis Superioribus Regularibus, & accommodatur Nouitijs, necnon perpetuò Commensalibus, quia Superiores Regulares sunt eorum Iudices competentes cum Bordono Resol. 38. n. 4., 5., 6., & Resol. 44. num. 19.

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT

*Iuramenti Falsi in Iudicio Regulari, seu Legitimo.*

25. REligiosus, qui Iuramentum Falsum promit coram Superiore interrogante non tamquam Iudice ad Criminis punitionem, sed tamquam Patre ad Criminis emendationem, & ratio est, quia deficit vera ratio Iudicij, vt constat.

Religiosus, qui voluntariè ex se ipso deponit Falsum absque ipsius Iudicis interrogatione, etenim mortaliter peccat mentiendo, sed non incurrit in Reseruationem, eo quòd Mendacium non confirmat Iuramento, nec dicitur iurare Falsum in Iudicio Regul. seu Legitimo.

Religiosus, qui Falsum iurat coram Arbitro, quia non dicitur iurare in Iudicio, sed in Arbitrio, vnde diuersi sunt Iudex, & Arbiter, sic *Gloss. Cap. 6. De Arbitris* distinguit inter Iudicium, & Arbitrium, & hoc propriè non est Iudicium, ex Bordono Resol. 44. n. 22., & ita à simili docet Bellòchius part. 2. q. 9. n. 92.

Religiosus, qui iussus à Iudice, vt compareat ad testificandum

ficandum in Iudicio Regulari, seu Legitimo, noluit comparere, vel qui se occultat, & fugit, ne sibi intimetur præceptum comparendi ad testificandum, constat enim, quòd tunc non iurat Falsum iuxtà id, quòd dicit Littera Quinti Casus.

Religiosus, qui ob sui pusilaminitatem interrogatus à Iudice in Iudicio Regulari, seu Legitimo nescit, quid dicat, & adhuc Falsum iurat propter nimiam rationis perturbationem, itaut plenè non aduertat ad malitiam grauem Periurij, quapropter ex defectu plenę aduertentiæ, & considerationis non peccat saltem grauiter secundùm Theologos, consequenter nec in Reseruationem incurrit.

Religiosus, qui in Iudicio Regulari, seu Legitimo putat iurare Falsum, sed de facto iurat verum, & ratio est, quia Reseruatio, cùm sit odiosa, est restringenda ad solum Iuramentum *in facto Falsum*, non verò est extendenda ad Iuramentum etiam *existimatum*, *ex Conscientia erronea falsum*, grauiter tamen peccat cum Suarez Tom. 4. De Relig. Tract. 1. lib. 2. Cap. 18. n. 7., & Lezana in Summa Q.Q. Regul. Verb. Iuramentum num. 13., Peyrino, & alijs.

Religiosus, qui in Iudicio Regulari, seu Legitimo putat bona fide, ac adhibitis diligentijs, se iurare verum, & tamen à parte rei, quod iurat, est Falsum, etenim non peccat, nec in Reseruationem incurrit, cùm ad peccatum, & ad Reseruationem requiratur, quòd ipse sciat, se iurare falsum cum Toleto lib. 4. Cap. 21. num. 2.

Religiosus, qui siue Reus, siue Testis Iuratus in Iudicio Regulari, ideò occultat Veritatem, eò quòd dubius est, an Iudex sit Legitimus, & Iuris Ordinem seruet, nec ne, & rationes vide suprà in num. 12.

Religiosus, qui interrogatus à Iudice, an aliquid sciat, quod ipse audiuit solùm, respondit cum Iuramento, se nescire, nec enim incurrit in Reseruationem, quia illud, quod audiuit solùm propriè dicitur nescire, & hic nota ex Graffio lib. 3. cap. 5. n. 26., quòd prò Excommunicationibus fulminatis contrà Scientes, talem, vel talem Rem fuisse

surreptam,

ſurreptam , non teneantur Audientes hoc reuelare, quia propriè ſcire non dicuntur.

Religioſus, qui mandat, aut conſulit, quòd quis Iuramentum Falſum in Iudicio Regul., ſeu Legitimo faciat, & de facto facit, non enim Mandans, aut Conſulens *verè* facit, ſed solùm *interpretatiuè*, vndè fallit in hoc Caſu Regula illa. *Qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur*, pęnę autem ſecundùm Canoniſtas non ſunt ampliandæ, ſed potiùs reſtringendę, quapropter non eſt abnoxius Reſeruationi Præſentis Caſus; tum quia ex *Bartolo in L. Sed ſi vnius §. Seruus n. 2. ff. De Iuretur.* habetur, quòd Falſum Teſtimonium requirit actum perſonalem Teſtificantis, vnde non poteſt propriè committi per alium. Tum quia Mandans, & Conſulens non exprimuntur in Littera.

Religioſus, qui coràm Iudice Regulari alterius Ordinis, & Religionis, vel coram Protectore, Nuncio, Epiſcopo, Sacra Congregatione, Inquiſitore iurat Falſum in Iudicio, quoniam licet mortaliter peccet, ac ſit periurus, non tamen incurrit in Reſeruationem huius Quinti Caſus, ſicuti probabiliùs cum Lezana diximus ſupra in num. 9., 10.

Religioſus, qui à Iudice contrà formam Iuris, v.g. de Crimine occulto interrogatus, falſum iurat, quia ſcilicet ſemiplena ſaltèm probatio, infamia, & indicia grauia non præceſſerunt, nec de ijs certioratus eſt, nam vtique peccat mortaliter, & eſt Periurus, quia Iuramentum caret debita veritate, cuius defectum non poteſt ſupplere, & excuſare inordinatus interrogandi modus, attamen non incurrit in Reſeruationem, quia Iuramentum Falſum non fuit factum in Iudicio Regulari, neque Legitimo, ſiquidem vt docet *D. Thomas 2. 2. q. 76. a. 4. ad 2.* Iudicium iniquum non eſt verè Iudicium, iniquum autem eſt factum inſeruato ordine Iuris; neque præterea Iudex eſt, ſi non ſit in eo iuſtitia *Cap. Forus De Verb. ſignif.*, ſed in eo, qui procedit ſine forma Iuris, non eſt Iuſtitia, cùm Iure non agat; ergo Iudex non eſt, conſequenter Religioſus vt ſupra iurans Falſum non dicitur verè in Iudicio iurare, ſicuti neque quando interrogatur à Iudice non competente, ex

Graſſio

Graffio lib. 3. cap. 5. num. 23.

Religiosus, qui non ignorans, suum Correligiosum in Ebrietate occidisse alterum, interrogatus à Iudice testificatur cum Iuramento, Occisorem esse Innocentem, nam vt euitetur Periurium, satis est, quòd responsio conformetur intentioni Iudicis interrogantis, intentio autem Iudicis est inquirendi de Delicto cum culpa Commisso, quæ culpa in Ebrio non reperitur, idcircò Iudicis intentioni satisfacit sic testificans ex Lessio lib. 2. cap. 31. dub. 3. n. 14.

Religiosus, qui ob necessariam sui defensionem occidit alterum, & interrogatus à Iudice negat cum Iuramento, se occidisse, etenim Occisio hæc facta fuit sine culpa Occisoris, modoque non criminoso, sed cum moderamine inculpatę Tutelę, & Occisor respondet ad Mentem, & ad sensum Iudicis interrogantis, interrogatio enim Iudicis ex Circumstantia Iudicij de solo facto Criminoso intelligitur, & hic Religiosus non est Reus de Crimine Occisionis iuxtà dicta num. 21.

Religiosus, qui interrogatus à Iudice ex falsa præsumptione Homicidij commissi, negat cum Iuramento Propositionem veram, qua confessa condemnandus esset de Crimine in Foro externo, & rationem habes supra num. 17. post Exemplum adductum à Delugo.

Religiosus, qui iniustè cogitur à Iudice ad Iuramentum, & quia iustam habet iurandi causam, amphybologicè iurat, & artificiosè eius interrogationes eludit, prout factas contrà Iuris Ordinem, dummodò Iurans nihil addat mente retentum, alias mentietur.

26. Sed numquid Testis, qui Falsum iurauit in Iudicio cum præiudicio alterius, peccauerit, & ad Restitutionem teneatur?

℟. Quòd si Testis ex obliuione, ex ignorantia, vel inaduertentia non damnabili sic iurauerit, tunc nec peccauerit, nec restituere teneatur. Audias *Caietanum* 2. 2. *q.* 70. *art.* 4. *Quid debet facere Testis, qui præmissa debita diligentia testatus est falsum, deceptus a sua memoria, & propter suum testimonium alter est condemnandus, aut condemnatus? Ad hoc*

*hoc dicitur*, *quòd cùm dictus Testis non teneatur ad restitutionem ratione rei habitæ, vt patet, quia non est Testis in causa propria, nec ratione actionis iniustę, quia non perfectè, & formaliter iniustum Testimonium tulit, nec ex ignorantia damnabili, consequens est, quòd sicut excusatur ab offensa Dei in Falso Iuramento, ita excusatur ab offensa Proximi in nocumento subsequuto: sic Caietanus*, quem inter plurimos Doctores sequitur Lessius lib. 2. cap. 7. dub. *6.* dicens neminem teneri ex damno illato, quando in illo inferendo mortaliter non peccauit; non ergo apparet aliquod principium, ob quod dictus Testis sit obligandus ex Iustitia ad restitutionem, cùm damnum, & præiudicium subsecutum censeatur fortuitò accidisse. At quàmuis non teneatur præfatus Testis ex Iustitia ad resarciendum damnum, & præiudicium alteri subsecutum, tenetur tamen ex Charitate se retractare, & admonere Partem, in cuius fauorem iurauit Falsum ex inaduertentia non damnabili, vt restituat, immò si opus fuerit, dummodò possit absque suo notabili damno, affirmare potest cum Iuramento apud Iudicem, quòd Falsum deposuerit ex lapsu Memoriæ, & dixi *absque suo notabili damno*, quoniam Lex Charitatis non obligat cum tanto detrimento, sic Diana Tom. *6.* Coordin. tract. 1. resol. *93.*, qui num. 2. refert Vultherum Strouesdorff. in D. Thomam de Iust., & Iure qu. 70. art. 4. concl. 3. sentientem, quòd dictus Testis certior factus de ignorantia, tenetur reuocare, & restaurare damnum, etiam cum periculo mortis, si necessitas vrgeat. *At hæc Opinio* (concludit Diana) *est nimis stricta*. Quòd si Testis in Iudicio Falsum scienter, & culpabiliter iurauerit cum præiudicio, & damno alterius, tunc tenetur in solidum ad totius damni restitutionem, cum Testis per suam falsam testificationem fuerit causa efficax totius damnificationis.

27. Si autem Testis ratione sui falsi Testimonij Iurati apud Iudicem fuerit causa Mortis, vel Mutilationis inferendę, tunc tenetur sua dicta retractare, si id profuturum putet, quàmuis ipsi similis pęnæ periculum immineret, vt communiter docent Doctores, quisque enim tenetur damnum; quod

quod alteri iniquè parauit, auertere, etiam cum pari damno suo vt patet in restitutione Famæ, Pecuniæ, & Honoris, nam in pari damno melior censeri debet Causa Innocentis *ex Reg. Iuris* 58.

28. Dices: quisque magis tenetur consulere vitæ proprię, quàm alienę, ergo non tenetur succurrere vitæ alienæ cum periculo propriæ.

℞. Quòd antecedens solùm est verum in pari Causa Innocentiæ, vt si vita tua sine mea culpa sit in periculo, non teneor tibi consulere cum periculo vitæ meę; secùs est, si mea culpa, & iniuria periclitetur vita tua; hinc fit, vt si alios ad dicendum Testimonium falsum induxeris, tenearis eos monere, vt se retractent, quòd si noluerint, debes Iudici totam machinationem aperire, vt Innocens liberetur, quamuis inde tibi certa Mors impenderet, vt rectè docet Lessius cum alijs, quod intellige, modò spes sit, reuocationem illam esse profuturam. Verùm si Testis videat, quòd reuocatio non sit profutura, tunc non tenetur sua dicta reuocare, cùm ad Opus inutile nullus obligetur, sed solùm damna resarcire tenetur ex Nauarro lib. 2. cap. 3. num. 251.

29. An verò quis teneatur se offerre ad testificandum, si sciat, aliquem damnari Innocentem?

℞. Quòd non tenetur ex Lege Iustitiæ se offerre, benè quidem teneatur ex Lege Charitatis, & sub mortali se offerre ad testificandum, si videat, suum Testimonium esse necessarium ad liberandum Innocentem, etiamsi damnum immineat Accusatori, cùm is non sit in necessitate, siquidem spontè se in periculum coniecit, Reus autem Innocens, qui inuitus patitur, est in necessitate, cui in necessitate posito succurrendum est ex Charitate. At si graue damnum sibi, si offerat suum Testimonium, immineat, non tenetur testificari, quia in hoc casu neque per se obligatur procurare sibi graue malum, neque Superior potest eum obligare ad hoc, nisi quando ratio boni publici id postularet per Nauarrum cap. 15. num. 27.

30. Quid si quis nullo imminente damni periculo fugiat, vel se

vel se occultet, ne testificetur, siue antequàm citetur à Iudice ad testificandum, siue postquàm Citatio Iudicis ei intimata fuerit?

℟. Cum probabiliori Sententia, quòd si ante Citationem fugiat, vel se occultet, non teneatur ad restitutionem damni inde obuenientis ex defectu testificationis, nemo quippe tenetur præcepto Superioris, priusquàm ei debito modo sit impositum, vt si aliquis, etiam non rectè, euitet præsentiam Superioris, ne ei aliquod mandatum imponat, tali Mandato nondum denunciato non obligatur obedire. Si autem post Citationem fugiat, vel se occultet, vel aliqua fraude vtatur, ne testificetur, vt si Reum sibi inimicum esse pretendat, dico cum Syluestro, Molina, Lessio lib. 2. cap. 30. dub. 8. num. 59., & alijs, quòd non teneatur ad restitutionem damni inde secuti ex defectu Testificationis, nec enim peccat contra Iustitiam, quæ obligationem restituendi fundare solet, sed peccat contra Obedientiam Iudici debitam, & contrà Charitatem erga Proximum. Tum quia nemo potest alteri dare Ius ad functiones liberas alterius, nisi qui illarum est Dominus, cùm ergo nemo præter me sit Dominus mearum functionum, qualis est Testificatio, nemo etiam absque meo consensu potest alteri ad illa Ius concedere, intelligendo vt supra cum Nauarro, nisi ratio Boni Publici id postularet.

31. Verùm quid, si Testis, vt Testimonium etiam verum deponat cum Iuramento in Iudicio, aliquid accipiat?

℟. Quòd teneatur restituere acceptum ei, qui dedit 14. q. 5. C. *Non sanè*, nam licet non semper ex Iustitia teneatur testificari, attamen si testificari velit, tenetur ex Iustitia testificari veritatem, neque enim pro actione, vel omissione aliunde debita potest quid exigi ab eo, cui illa debetur, quamuis non teneatur Testis restituere acceptum, nisi post sententiam Iudicis, quia hęc restitutio est pęnalis iuxta Sdyrum. Excipe verò, nisi Testis pro veritate deponenda pateretur detrimentum, v.g. Expensas faciendo in Itinere, desistendo à labore quotidiano, sibi lucroso, & vtili, vel aliud damnum simile patiendo in lucro cessante,

& damno emergente, quia pro veritate testificanda tunc potest legitimè aliquid accipere ad Ratam damni, quod patitur *Cap. Si Testis qu.* 3. Pro Testimonio autem Falso ferendo, si Testis aliquid accipiat, tenetur restituere acceptum, ei in cuius iniuriam Falsum testificatus est, vel dare Pauperibus ex dicto *Cap. Non sanè iuxtà Graffium lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 32., & contrà huiusmodi Testes scribit *Beda, vt habetur in C. Abijt* 11. *qu.* 3. : *Multi hodie Iudę scelus, qui Deum, ac Dominum suum Magnum vendidit pecunia, execrantur velut nefarium, nec tamen ipsi cauent, nam cùm Muneribus Falsum contra quemlibet Testimonium dicunt, profectò & veritatem pro pecunia negant, & Deum pro pecunia vendunt, qui dixit. Ego sum Veritas.*

32. Si autem quæras, num licitum sit occidere falsum Testem euntem ad testificandam Falsitatem contrà alterum, propter quam attestationem Innocens puniretur pęna Mortis?

℞. Quòd non, namsi contraria Sententia ad praxim deduceretur, maximę perturbationes in Republica, plurimę cędes, & grauissimi abusus sequerentur, nullusque esset de vita sua securus, eo quòd in Causis, Litigijs, & in actionibus humanis Homini amore proprij commodi obcęcato non deficiunt colores, & prætextus, quibus censeretur iniustè impetitus, ac quilibet ęstro passionis percitus posset facilè sibi persuadere, Testem esse paratum ad Falsum testificandum, vnde quilibet ansam sumeret occidendi Testem. Neque Occisorem excusat Titulus Defensionis, etenim Titulus hic est iniquus, immò Occisor Morte puniretur, prout vsu receptum videtur in qualibet Republica benè constituta. Tùm quia Defensio ista occisiua est immoderata, cum possit facilè declinari damnum imminens adhibendo alios Testes, appellando, reclamando, & sic Occisio, non est facta cum Moderamine inculpatæ Tutelæ; quòd si non possit aliquando damnum impediri, id est per accidens, & tribuendum est proprio Infortunio, non secùs ac si de Cęlo Vita, aut propria Bona tangantur. Tum quia Summus Pontifex *Alexander VII.* ex Cathedra Apostolica pronunciauit

nunciauit in Materia Morum vt minimùm tamquàm scandalosam, & perniciosam in praxi Propositionem illam, quæ inter quadraginta quinque damnatas est decima octaua: *Licet interficere falsum Accusatorem*, *Falsos Testes*, *ac etiam Iudicem*, *a quo iniqua certò imminet Sententia*, *si alia via non potens Innocens damnum euitare*, *& Definitioni Alexandrinæ* standum est; tum quia non est licitum priuata auctoritate Mortem inferre alteri non seruato Moderamine inculpatæ Tutelæ, nec Occisio Testis est vnicum medium Occisori, vt Mortem sui euadat, quia alia via, quàm occidendo potest se defendere, nimirùm vel per absentiam à Loco, vel per interpositionem alicuius Viri prudentis apud Iudicem, vt hunc de veritate facti certum faciat, vel per allegationem Testium, & Accusatoris in suspectos, vel per appellationem à Iudicis Sententia, quapropter potiùs est Occisio medium efficax ad Mortis Supplicium per iniustam Occisionem promerendum, & est non Defensio, sed Vltio. Tum quia publicis Iustitiæ Ministris, quin & ipsis quoque Principibus præsentissimum foret, vt occiderentur, periculum, si practicabilis esset Sententia damnata ab Alexandro VII.

33. Dices: saltem medium licitum Reo erit ad infirmandum Testis Testimonium obijcere Testi falsum Crimen in Iudicio, & tunc Reus seruabit Moderamen inculpatæ Tutelæ.

℟. Negando assumptum, nec enim licitum est vmquam se defendere medio Mendacio, quòd est intrinsecè, & indispensabiliter malum, *neque sunt facienda Mala*, *vt eueniant bona*, *ex D. Paulo*, *ad Romanos* 3., hoc est, non licet actionem ex natura sua illicitam eligere velut medium ad bonum aliquem finem consequendum; Tum *ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 69. *art.* 1. *Falsitatem proponere in nullo casu licet alicui*; *tum ex Cap. Non arbitretur* 21. *qu.* 2. *Non licet Mendacium etiam minimum committere*, *vt per illud mala grauissima à Regno quopiam*, *aut integro Mundo auertantur*, *& ex Innocentio III. Cap. Super Eo De Vsuris*: *Nec pro Vita quidem defendenda licitum est mentiri*, cùm ergo

Mendacium nunquam possit inseruire alicui tamquàm Medium efficax, & vnicum ad se defendendum, consequenter in Iudicio non erit licitum Reo appingere falsum Crimen Testi in sui defensionem. Tum quia nemo dicitur se defendere cum Moderamine inculpatæ Tutelæ, si se defendat cum præiudicio Reipublicæ, seu violando Ius Reipublicæ, sed qui appingit Testi iniquo falsum Crimen ad infirmandum eius Testimonium, se defendit violando Ius Reipublicæ, ergo &c. probatur minor, Respublica habet Ius, ne decipiatur in ijs, quæ pertinent ad rectam gubernationem, at si Reus appingat Testi iniquo falsum Crimen, decipit Iudicem, qui condemnat Testem propter crimen numquam commissum, & sic Reus decipit Republicam in Iudicijs, quæ maximè pertinent ad rectam Gubernationem, ergo si ad infirmandum Testimonium Reus appingat Testi iniquo falsum Crimen, se defendit violando Ius Reipublicæ, & grauiter peccat contra Iustitiam Legalem, quæ respicit Ius Communitatis, seu Reipublicæ, hinc non se defendit cum Moderamine inculpatæ Tutelæ, sed vindictam sumit. Tum quia *Innocentius XI. Propositionem* 44. *inter* 65. *damnatas* sic pronunciauit, fortè contrà Caramuelem, qui eam docuit in Theol. Fundam. num 1151. *: Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum Crimen alicui, vt suam Iustitiam, & honorem defendat; & si hoc non sit probabile, vix vlla erit Opinio probabilis in Theologia*, vbi considera, quantùm distet à principijs Ethicæ hæc Propositio, & quantùm obstet Mandatis Christi, qui nemini reddendum esse malum pro malo, Inimicis esse benefaciendum deprædicat, vide, quantùm in se sit fęda, & falsa, nam ne vmbram quidem præfert Probabilitatis, sed cumulum complet temeritatis, spatiosamque Calumniatoribus, & Impostoribus portam aperit.

34. Dices: non est contrà Iustitiam, sed omninò licitum est detegere Crimen occultum alterius, quando auertendum est graue damnum proprium, vnde talis detectio est medium efficax, & vnicum ad se defendendum, & defensio foret iusta, & cum Moderamine inculpatæ Tutelæ, ergo

ergo nec contrà Iustitiam erit, sed erit omninò licitum Reo imponere falsum Crimen iniquo Testi in Iudicio propter eamdem rationem.

℞. Non esse paritatem, nam in hoc secundo Casu non haberetur iusta Defensio, sed haberetur in primo, quia in primo Casu, vbi quis detegit Crimen occultum alterius ad impediendum graue damnum proprium, non dicitur mentiri, sed solùm alterius famam non custodire, quam custodire non tenetur cum tanto incommodo, sicuti nemo tenetur alienum Depositum cum graui Detrimento seruare, vt notant Sotus, & Nauarr., at in secundo Casu, vbi Reus imponit falsum Crimen iniquo Testi in Iudicio, vt vitam suam, vel honorem defendat, dicitur mentiri, & grauiter peccare contrà Iustitiam propterea in primo Casu habetur iusta Defensio, non secùs ac quando quis cum moderamine inculpatæ Tutelæ occidit iniustum Vitæ Inuasorem, at in secundo Casu non habetur Defensio, sed Vindicta, eo quòd Mendacium, & læsio Iustitiæ Legalis non possunt esse medium vnicum, & efficax Reo imponenti falsum Crimen iniquo Testi in Iudicio, vt se defendat iustè, nec enim licita est Defensio cum graui Reipublicæ detrimento, ex Cardena in Chrisi Theol. ad Propos. damnatas Dissert. 26. cap. 5. Hoc verum sit tùm in Iudicio, tùm extrà Iudicium, vbi per impositionem falsi Criminis violatur Ius Reipublicæ, ne Ciues inter se decipiantur cum proximo periculo Vindictæ, quæ facilè prę magnitudine passionis putatur Defensio.

35. An verò grauiter peccet, qui ad vitanda grauia tormenta falsum sibi Crimen imponit, ob quod est morte plectendus?

℞. Quòd, citrà Periurium, non nisi venialiter peccet, quia mendacium committit officiosum, non perniciosum, nec enim directè, & per se cooperatur suæ morti, sed solùm indirectè, & per accidens, nam directè intendit commutare plures, & diuersas mortes, quas in Tormentis patitur, pro vna breui morte, quod non videtur culpabile, nec perniciosum, ex Lessio lib. 2. Cap. 11. dub. 7. n. 4., sic Infir-

sic Infirmus declinans Sectionem membri, aut Cruris non intendit directè mortem sui, sed intendit directè commutare illa grauissima Tormenta, quæ per Sectionem pateretur in mortem, ideò mortem sibi licitè eligit. Dixi verò *citrà Periurium*, quoniam si Mendacio addat Iuramentum, mortaliter peccat ratione Periurij consequenter si in Iudicio, vbi datur Iuramentum de veritate dicenda, falsum sibi Crimen imponat, grauiter peccat, similiter si cedat in damnum, aut in infamiam alterius, cùm nemo sit bonorum, aut famæ, alterius Dominus, & tenebitur sub Mortali coram Iudice se retractare.

36. Verùm nùmquid peccabit Religiosus ille, qui inducit alterum *in Iudicio Regulari*, *seu Legitimo*, ad iurandum falsum, quàmuis, qui iurat, credat iurare verum?

℞. Cum Sententia probabiliori, peccare mortaliter, eo modo quo mortaliter peccat ille, qui Ebrium, aut Infantem inducit ad blasphemandum, ad conculcandas Sacras Imagines, aut Seruum inducit ad laborandum diutiùs in die Festo, credentem, non esse diem Festum, sic igitur Religiosus peccabit mortaliter, & Periurium formale patrabit inducens alterum in Iudicio Regulari, seu Legitimo ad iurandum falsum, quod ipse inductus credit esse verum, quapropter sic inductus iurans Periurium solùmmodò materiale committet, & excusabitur à peccato formali ob bonam fidem, & Ignorantiam; Inducens verò alterum ad iurandum id, quod scit esse falsum, & virtute Religionis prohibitum peccabit grauiter, & erit formaliter Periurus. Tum quia præceptum, quo Ego prohibeor tale peccatum committere, obligat etiam Me ad vitandum tale peccatum in altero, idest ad non inducendum alterum ad actum, quem ego inducens scio, esse peccatum, neque Ignorantia inducti Me inducentem ad peccatum excusat; ex Basilio Pontio de Matrim. lib. 5. c. 18. §. 8. num. 59., Suarez Tom. 3. de Relig. lib. 3. de Iuramento cap. 14. num. 8. & alijs.

37. Si autem absque eò quòd Religiosus à Me inducatur, ipse se offerat Iudici ad iurandum falsum, credens bona

bona fide adesse Circumstantiam veram, licet ego sciam esse falsam, & conducat ad probandam Rem meam veram, ne Iure Meo defrauder, licebit Mihi tale Iuramentum permittere, quia Ego merè negatiuè Me habeo, nec vtor eo Testimonio ad falsum aliquid probandum, sed ad probandum id, quod verum est, & ad Ius meum tuendum, quàmuis ea Circumstantia sit falsa, nec dicor inducere ad Iuramentum; deinde nec Religiosus sic iurans dicitur peccare venialiter, & hac ratione Ignorantiæ, & bonæ fidei, ita Sanchez part. 2. Operis Moralis lib. 3. cap. 8. num. 10. in fine, & cum ipso Fagundez in Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 7. num. 18.

38. Quid si Religiosus iuret sine animo iurandi?

℞. Quòd alio modo discurrendum sit extra Iudicium, & alio modo in Iudicio Regulari, seu legitimo; deinde Religiosus vel iurat verum, vel iurat falsum. Religiosus *extra Iudicium iurans verum sine animo iurandi*, iurat quidem fictè, sed cum communiori Sententia videtur non peccare grauiter, nisi quando grauis læsio, aut graue damnum infertur Proximo, semper tamen peccat venialiter, si damnum non sequatur, quia semper adest Mendacium, eo modo quo adest Mendacium, quando quis sine animo promittendi, & donandi dicit: Promitto, Dono, & oppositum damnatur ab *Innocentio XI. in Propos.* 25. *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, siue Res sit leuis, siue grauis*, vnde non est intentum Pontificis, quòd iurare sine animo iurandi absolutè sit semper peccatum Mortale, sed quòd semper sit illicitum, cùm dicat Mendacium, quod à nulla causa siue leui, siue graui potest licitari. Religiosus *extra Iudicium iurans falsum sine animo iurandi* grauiter semper peccat, est enim magna iniuria Deo vocare illum in Testimonium falsi, estò id fiat fictè, & solùm apparenter, & sicuti grauiter diceretur peccare, & magnam iniuriam irrogare Deo, qui Thus adoleret exteriùs Idolo sine animo adolendi, ita Religiosus *in Iudicio Regulari, seu Legitimo iurans verum sine animo iurandi* grauiter peccat, quia grauiter decipit Iudicem, cuius præceptum

ceptum eſt non ſolùm de Veritate dicenda, ſed de dicenda ſub Teſtimonio Diuino, proinde ſic iurans Iudicem grauiter decipit, & deludit Iudicium, ſi Teſtimonium Diuinum omittat ex Leandro, Palao, & alijs. Religioſus *in Iudicio Regulari, ſeu Legitimo iurans falſum ſine animo iurandi* grauiſſimè peccat, & maximam Deo irrogat iniuriam, cùm Deum inuocet ad teſtificandum falſum, etiamſi id faciat ſolùm exteriùs ſine animo inuocandi, neque ſic iurans in materia leui, vt in Mendacio iocoſo, aut officioſo, excuſatur à Mortali, quia ſicuti in Idololatria, in Blaſphemia, & in Infidelitate non datur paruitas Materiæ excuſans à lethali, quàmuis id fiat ſolùm exteriùs, & ſine interiori animo, ita nec excuſatur à mortali, qui in Materia leui falſum iurat exteriùs ſine animo interiori iurandi iuxtà Sententiam Probabiliorem.

39. Confeſſarij itaque Munus contrà Religioſos ſui Ordinis in Iudicio Regulari, ſeu Legitimo Periuros, ſiue Reos, ſiue Teſtes, erit ipſos interrogare, num ſine plena aduertentia, ex ignorantia, & inculpabiliter, an verò aduertenter, ſcienter, & culpabiliter falſum iurauerint, vel Veritatem cum Iuramento tacuerint, an alios ad iurandum falſum induxerint, an iuridicè, & legitimè interrogati reſponderint Iurati cum Reſtrictione purè mentali; interrogabit, an Teſtis in gratiam Rei contrà Accuſatorem, & an in gratiam Accuſatoris contrà Reum peierauerit; an quid pro Teſtimonio faciendo acceperit, & tunc iuxtà Doctrinam à Nobis datam obligabit Periuros in Iudicio ad reſtituendum, & ad ſe ipſos retractandum iuxtà aduertentias à Nobis datas. Antè Abſolutionem oſtendat illis Delicti huius atrocitatem, & grauiſſimam contrà Veracitatem Dei irreuerentiam; inducat eos ad perfectam Contritionem, & ad efficax non ampliùs peierandi Propoſitum, Pœnitentia non leui oneret, deinde abſoluat, ſi abſoluendi potiatur facultate. Hæc quoad Confeſſarium dicta ſint, nam quoad Iudicem, & quoad Formam Iudicij, de quibus non eſt Noſtrum Inſtitutum in præſenti, videas Legales, & nonnullos Theologos, qui Practicas Criminales ediderunt,

inter

inter quos ex Noſtris Aretinus, Biſtus, Bellegrandis, Miranda, Rodriquez, & alij.

# SEXTVS CASVS

## Reſeruabilis à Superioribus Regularium

*Procuratio, Auxilium, ſeu Conſilium ad Abortum faciendum poſt animatum Fœtum, etiam effectu non ſecuto.*



1. PAuca de hoc Sexto Caſu Clementino videnda ſunt, quia rarò temporibus noſtris apud Religioſos accidit, quòd in atrociſſimo Abortus Crimine ſe immiſceant. Abortus igitur immane Crimen, de quo in præſenti, tam nociuum ſpeciei humanæ, & eius multiplicationi, definitur: *Studioſa, & voluntaria Fœtus animati eiectio de Vtero Materno ante tempus a Natura præfixum*, eſtque Homicidium Creaturæ anima rationali præditę, & omninò Innocentis, cui tollitur non ſolùm vita temporalis, ad quam per generationem Ius acquiſiuerat, ſed & tollitur vita ſpiritualis, ac æterna, quam in Chriſto regenerata, ſi naſceretur, poterat adipiſci, dum dicitur *Ioannis* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Contra Reos tanti Sceleris, qui Animam, & non ſolùm Corpus perdunt Innocentis, omnia Iura clamant, quanti verò habeatur à Redemptore perditio vnius Animæ reuelauit ipſe *in Lib.* 1. *Reuel. Cap.* 58.

*B. Birgittæ* dicens se libenter pro vna Anima iterum passurum, quod pro toto Mundo passus est. Vt autem huius Facinoris immanitatem à Personis Religiosis omninò euellat, *Clemens VIII.* hunc Sextum Casum proposuit Reseruabilem à Superioribus Regularium, ne Subditi ob difficultatem Veniæ obtinendæ in Sacramento Pęnitentiæ, procurent, auxilium, seu consilium præstent ad Abortum faciendum post animatum Fętum, etiam effectu non secuto, & hic est Casus 13. reseruatus *apud PP. Reformatos*.

2. Explicantur singula huius Sexti Casus Verba. Dicitur in primis *Procuratio*, sub quo verbo cadit Mandatum, & qui mandat fieri Abortum, dicitur procurare Abortum; cadit etiam Iussio, & Præceptum. Dicitur *Auxilium*, sub quo Verbo cadunt Fauor, & Defensio, quoniam sunt species Auxilij; similiter & Receptatio, vt si Religiosus receptet Mulierem prægnantem in propria Domo, vt occultè faciat Abortum; cadit & Animatio, vt si Religiosus Pręgnantem animet ad committendum Abortum. Dicitur *seu Consilium* sub quo Verbo cadunt Rogatio, Hortatio, & Persuasio facta Prægnanti, vt Abortiatur. Dicitur *ad faciendum Abortum*, & tunc Mulier prægnans dicitur facere Abortum, quando Fętum ante tempus à Natura præfinitum studiosè, & voluntariè eijcit de Ventre, & ly *ad faciendum Abortum* debet intelligi, etiamsi procuratus fuerit Abortus ad bonum finem, nimirùm ad saluandam vitam, famam, & honorem; deinde per illa Verba excluditur præbitio Potionis, aut Medicamenti, vt Fęmina ingrauidetur, & concipiat, aut vt Fęmina fiat sterilis, & non concipiat. Dicitur ly *post Animatum Fętum*, idest quando Fętus est animatus Anima rationali, nec sufficit, si sit animatus Anima Vegetatiua, & Sensitiua in Embrione. Dicitur tandem *etiam effectu non secuto*, quibus ex verbis infertur, tunc dici opus consummatum in Casu nostro, quando Mulier acceperit, id, ob quod poterat sequi Abortus, quàmuis postea Abortus non fuerit sequutus propter aliquod impedimentum, vnde hìc *non valet illa Regula, quod in Casibus Reseruatis Verba cum effectu sunt intelligenda L. 1.*

§. *Hæc*

§. *Hæc Verba ff. Quod quisque Iuris , & Cap. Relatum de Clerico non Residente*, licet enim Verba sint intelligenda cum effectu , attamen satis dicitur fecisse , qui procurauit , quia fecit illud , quod verba significant , ex Nauarro in C. Hęc autem Verba n. 11. De Pęnit. dist. 1. , qui declarans sensum illius Elogij inquit : *Verba cum effectu sunt intelligenda, sensus est , quòd fiat totum , & solùm id , quod Verba propriè significant* .

3. Verùm quot modis procurari poteſt Abortus ?

℞. Quòd tribus Modis , & *primò* dicitur procurari , si Herbis , Venenis , Potionibus , aut alijs medijs impediatur Fętus conceptio , & inducatur Sterilitas ; *secundò* , si Fętus iam sit conceptus , & ante Animationem studiosè ab Vtero Materno eijciatur ; *tertiò* , si Fętus iam sit conceptus , ac animatus , & post animationem studiosè ab Vtero Materno expellatur ; primo modo non dicitur procurari Abortus propriè , sed propriè Sterilitas , & hoc est discrimen inter Sterilitatem , & Abortum , quòd Sterilitas non supponit conceptionem , nec Fętum , Abortus verò supponit conceptionem , & Fętum ; secundo modo dicitur quidem procurari Abortus propriè , sed Casus Clementinus non loquitur de Procuratione , Auxilio , seu Consilio ad faciendum Abortum Fętus non animati ; tertio modo dicitur procurari Abortus , etiam propriè , & Casus Clementinus loquitur de huiusmodi Procuratione , Auxilio , seu Consilio , vt constat ex Verbis litteræ *Ad Abortum faciendum post animatum Fętum* . Primo modo est graue peccatum , prout contrà Naturæ intentum priuatur Mulier potentia generatiua , & impeditur conceptio Fętus ; secundo modo est grauius peccatum , prout data Opera impeditur Semen iam effusum , & Fętus à suo naturali fine , qui est generatio Hominis , & saltim reductiuè , est Homicidij peccatum , cùm impediatur , ne Fętus viuat , & tollatur vita ei , qui vitam habet , non in actu , sed in potentia *Cap. si aliquis De Homicid.* , tertio modo est grauissimum peccatum , prout data Opera studiosè , & volontariè occiditur Homo , cùm Fętus iam supponatur conflatus corpore , & anima

rationali est que Homicidij veri, & formalis peccatum; hinc occidens Fętum animatum, aut ipsiusmet Morti scienter cooperans excommunicatur, & fit irregolaris *Cap. Sicut ex Litter. De Homicid.*, & grauissimis pęnis ab Omni Iure afficitur, quàm afficiatur, qui ad inducendum sterilitatem Herbis, Venenis, Potionibus alijsque medijs cooperatur, ne Mulier concipiat, vel quàm afficiatur, qui ad eijciendum Fętum inanimem præmaturè ab vtero Prægnantis applicat Media, & efficaciter influit.

4. Sed quandonam Fętus in Vtero Materno animari dicitur?

℞. Secundùm Sententiam Communiorem, & magis acceptam, quòd Fętus Masculinus post quadraginta dies à Conceptione, & Fętus Fęmininus post octoginta dies in Vtero Materno animatur anima rationali, *iuxtà Leuitic. Cap.* 21., vbi Mulier, quæ peperit Marem, iubetur, vt se abstineat ab ingressu Templi quadraginta diebus, & Mulier, quæ peperit Fęminam, octoginta diebus, & Animatio vtriusque colligitur ex lineamentis omnium Membrorum, quæ, cùm sint, demonstrant Animam rationalem fuisse infusam in Corpore organizato. In dubio autem, an Fętus sit Masculinus, vel Fęmininus, post quadraginta dierum spatium à Conceptione præsumitur Masculinus, & Animatus iuxta praxim Sacræ Pęnitentiariæ Romanæ, nam in Foro Conscientiæ, vbi agitur ad placandum Deum, & ad emendationem, *tutior pars in dubio est eligenda, vt in Cap. Iuuenis De Sponſ.*, *& bonarum mentium est, ibi culpam timere, vbi culpa non est Cap. Ad eius in Fine dist.* 5. Reus verò huius delicti debet se reputare Irregularem *Cap. Ad Audientiam De Homicid.*, vbi hoc est *in Homicidio speciale*, quòd etiam in dubio facti Homicidij incurratur Irregularitas, & debet obstinere ab Ordinum Susceptione, ac administratione, quæ secundùm Dianam part. 7. tract. 5. resol. 24. intrinsecè includuntur in Irregularitate, non sic dicendum de alijs pęnis solitis à Iudice imponi pro contracta Irregularitate, sicuti est priuatio Beneficiorum, Inhabilitas ad ea, & sicuti sunt aliæ pænæ similes, eò quòd pęna

ordinaria

ordinaria statuta delicto certo non est imponenda in delicto dubio, sed tantùm extraordinaria arbitrio Iudicis, & temperata iuxtà Dubij qualitatem, ex Diana cit. Resol. 25. In Foro autem externo, & contentioso, vbi agitur ad infligendam pęnam, Fętus in dubio præsumitur potiùs non animatus, quàm animatus, *& in dubio mitior pars est eligenda L. Interpretatione ff. De Pęnis* Cap. *Estote* 2. *De Reg. Iuris*.

5. Dixi suprà, quòd *hoc sit speciale in dubio facti Homicidij, quòd incurratur Irregularitas*, & hoc propter maximam indecentiam, quam habet Crimen hoc & cruentum cum Sacrificio incruento, propterea debet quisque se credere Irregularem, quia Iura sic statuere in fauorem Reuerentiæ Altaris; at si dubium facti sit in alijs Materijs, præterquàm in Homicidio, nemo debet se reputare Irregularem, quoniam in alijs Materijs standum est pro possessione iuxtà *Reg. Iuris* 11. *Cùm Iura Partium sunt obscura, Reo fauendum est potiùs, quàm Actori*, cum Sanchez lib. 1. Decal. cap. 10. num. 48., quapropter in solo dubio facti Homicidij Iura statuere, quòd sic dubius non debet in Sacris ministrare, nec celebrare *ex Cap. Petitio tua, ex Cap. Ad Audientiam, & ex Cap. Significasti De Homicid.*, vbi sic legitur: *Cùm in Dubijs semitam debeamus eligere tutiorem, & in hoc Casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare*, hinc si Religiosus dubitet, an Homicidium commiserit, & iubeatur à Prælato, vt celebret, non tenetur tunc obedire, præsertim si Prælatus non habeat in facultatibus, quòd possit super illa Irregularitate dispensare, iuxtà Lezanam Tom. 1. cap. 4. n. 30.

3. Circa tempus verò, quo Fętus Anima rationali animatur, nec vmbram probabilitatis habet Sententia cuiusdam Protomedici Pragensis Ioannis Narci volentis, omnem Fætum, quandiù in Vtero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cum patitur; non inquam, habet vmbram Probabilitatis, sed omninò certum est, quòd priusquàm Proles ad Lucem exeat ab Vtero Matris, iam sit informata Anima rationali iuxtà Sacras Scripturas, *Ieremię p. Antequàm exires de Vulua, sanctificaui te*,

*ui te, Sanctificationis autem, quæ fit per gratiam, non est capax nisi anima rationalis, & Lucæ 1. legitur de Ioanne Baptista: Vt audiuit Salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit Infans in vtero eius*, non diceretur autem Infans, si careret Anima rationali ante Partum, ergò iam ante Partum erat Animatus, non quidem via miraculosa, sed via ordinaria ad modum cæterorum; immò Fides docet, multas Proles descendere ad Limbum, si in Vtero Materno moriantur, cùm baptizari non potuerint. Et ex hoc habes, falsissimam esse Doctrinam hanc, quæ sequitur, videlicet *in nullo Abortu Homicidium committi*, etenim contra hanc Doctrinam facit vim vrgentissimam tum Vsus Episcoporum Reseruantium sibi Casum Abortus Fętus Animati, tum *Constitutio Sixti V., tum altera Constitutio Gregorij XIV.*, de quibus mox loquemur, vbi constituuntur Pęnæ contrà Procurantes Abortum Fætus Animati. Tum quia etiamsi probabile esset, Fætum in Vtero Materno carere anima rationali, nec Animam rationalem infundi, nisi in ipso momento Partus, adhuc committeretur Homicidium occidendo talem Fætum in Vtero Materno, quia sicut hæc est praua consequentia: probabile est, illud, quod à longè video, esse Feram, non Hominem, ergo qui illud sagitta confixerit, licitè operabitur, & non erit Reus Homicidij, ita hæc erit pessima consequentia: probabile est Fætum in Vtero Materno carere Anima rationali, ergo qui illum lethaliter vulnerat, non erit Reus Homicidij, ita Cardenas in Chrisi Theol. *ad Propos. 35. damnatam ab Innocentio XI.*, nam hoc est constituere se in probabili periculo proximo occidendi Hominem, & qui in tali periculo se constituit, iam Reus fit Homicidij, eò quòd in Moralibus eiusdem Malitiæ est constituere se voluntariè in morali, & proximo periculo committendi aliquod Crimen, ac sit illud committere iuxtà Suarez disp. 18. De Censuris Sect. 3. n. 16. Tum tandem quia ipsissima *Propositio 35. damnata* à præfato Pontifice improbabilem scandalosam, & in praxi perniciosam ostendit contrariam Doctrinam: *Videtur probabile, omnem Fętum, quamdiù in vtero est, carere anima rationali, & tunc*

*nunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo Abortu Homicidium committi.*

7. Contrà studiosè Procurantes Abortum per se, vel per alios, contrà Causantes, Consulantes, Consentientes, aut scienter Cooperantes Romanus Pontifex *Sixtus V. in sua Constitut. Incipient. Effrænatam edita die* 16. *Nouembris* 1588. multas decernit pænas, & *primò*, quòd Procurantes Abortum Fætus tàm inanimati, quàm animati, incurrant omnes pænas contrà Homicidas Iure Canonico, & Ciuili decretas; *secundò*, quòd si sint Clerici, remaneant priuati omni Officio, Beneficio, & Dignitate, & inhabiles reddantur ad ea obtinenda; *tertiò* easdem pænas extendit ad omnes Procurantes, vel Consulentes, aut quouis modo adiuuantes, vt Fæminæ propinetur Potio non solùm ad Abortum faciendum, sed etiam ad Sterilitatem inducendam, vel ad non concipiendum; *quartò* committit *Sixtus V.* cuiuis Iudici Sæculari, vel Ecclesiastico, vt possit causam præuenire, & contrà prædictos procedere, præfatas infligendo pænas; *quintò* omnibus prædictis imponit pænam Excommunicationis Summo Pontifici reseruatam; *sextò* tandem, quòd nemo possit dispensare cum prædictis in Irregularitate inde contracta, virtute alicuius Priuilegij, etiamsi Crimen occultum sit, neque in Foro Conscientiæ.

8. Quia verò *Sixtina Constitutio* pernitiem potiùs, quàm remedium, aut vtilitatem Animabus parabat, & multi ex difficultate obtinendi Veniam in tali Scelere verlabantur, ideò *Gregorius XIV. posteriorem Constitutionem Incipient. Sedes Apostolica Pia Mater edidit pridie Kalendas Iunij* 1591., vbi in duobus temperauit rigorem Sixtinæ Constitutionis, & *primò* temperauit quantùm ad hoc, quòd pœnas *a Sixto* inflictas contrà Procurantes Abortum Fætus non animati, contrà Exibentes Mulieribus, vel sumentes Venena Sterilitatis, vel contrà quocumque modo auxilium, & consilium Dantes, *Gregorius* sustulit, easque reduxit ad terminos Iuris Communis, ac Sacrorum Canonum, &

*Concilij*

*Concilij Tridentini* dispositionem, tamquam si *Constitutio Sixti V.* non fuisset quoad hoc emanata; *secundo* temperauit quantùm ad hoc, quòd Procurantium Abortum Fœtus Animati peccatum, & Excommunicationem reseruauerit Ordinario Loci, qui possit quemlibet Sacerdotem tùm Secularem, tùm Regularem à se approbatum ad audiendas Confessiones *specialiter deputare*, vt in Foro Conscientiæ tantùm absoluat à delicto Abortus, & ab adnexa Excommunicationis pæna, reliquit verò *Gregorius* integras, & in suo robore pænas *Sixtinas*, quoad Clericos cooperantes, vel consulentes Abortum Fætus Animati, & sunt pænæ Irregularitatis, Priuationis, Inhabilitatis, Degradationis Traditionis Curiæ Sæculari, & Præuentionis iuxtà Homobonum part. 3. tract. 13. cap. 11. resol. 4. Vide Stephanum Quarantam in Summa Bullarum Verb. Abortus, & Dianam part. 7. tract. 5. resol. 5.

9. At numquid ab Excommunicatione, & ab Irregularitate excusabitur Religiosus propter ignorantiam, si Abortui cooperetur Fætus animati?

℞. Quòd si Religiosus cooperetur Abortui Fætus animati, & ignoret ignorantia, tàm Iuris, quàm Facti Excommunicationem latam *à Sixto V.*, dummodò talis ignorantia non sit coniuncta cum ingenti temeritate, excusetur ab Excommunicatione, eo quòd Papa, quando tulit Excommunicationem, posuit in sua Constitutione illam particulam *Scienter*, qui autem aliquid facit ex ignorantia tàm Iuris, quàm Facti, modò temeraria non sit, non dicitur facere *Scienter*, sic Noster Patritius Sporer De Abortu num. 366., Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 32. n. 17., & alij. Tum quia vt Excommunicatio incurratur, requiritur contemptus, & contumacia, neque reperitur in Religioso ignorante excommunicationem latam *à Sixto V.*, contrà Cooperantes Abortui Fætus Animati. Idem & propter eamdem rationem dicas de Religioso ignorante Irregularitatem, quæ contrahitur ex Homicidio, scilicet ex Abortu Fætus Animati, cui annectitur vt Pena Delicti, cùm enim Irregularitas sit pæna Contemptus per Sanchez cit.,

Nauar-

Nauarrum, & alios ſicuti eſt Excommunicatio, ideò vtrobique eſt par ratio, & ſine contemptu neutra incurritur. Tum quia ad incurrendam præſentem irregularitatem, per eoſdem Doctores requiritur Dolus, & qui ignorat Ius imponens hanc Irregularitatem Delicto, non eſt in dolo, nec contemnit. L. *Si ignorans* 52. *ff. Locati*, *vbi dicitur*: *Non enim contemnit Diſciplinam, qui ignorauit Militem*, ergo Religioſus ignorans Irregularitatem procedentem ex procuratione Abortus Fętus animati, etiam non incurrit, conſequenter excuſatur tùm ab Excommunicatione, tum ab Irregularitate iuxtà Sententiam Communiorem.

10. Sed numquid Prælati Regulares poſſunt ſuos Subditos diſpenſare ab Irregularitate contracta ex Abortione ſequuta Fętus animati?

℞. Cum Sententia probabiliori, quòd non; etenim nec *Concilium Trident. Seſſ.* 24. *Cap.* 6. concedit Epiſcopis poteſtatem hanc diſpenſandi in Irregularitate contracta ex Abortione ſequuta Fętus animati, cùm hæc ſit Homicidium voluntarium: accipe Verba *Tridentini*: *Liceat Epiſcopis in Irregularitatibus omnibus, & Suſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex Homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad Forum Contentioſum, diſpenſare*; hoc ſtante quomodò poterunt ſuos Subditos diſpenſare Prælati Regulares, qui Iuriſdictionem non ſimpliciter Epiſcopalem, ſed quaſi Epiſcopalem habent, ab Irregularitate proueniente ab Homicidio Voluntario? Indulſit quidem *Pius V. in ſua Conſtitutione Romani Pontificis* Prioribus Conuentualibus, & Prælatis Superioribus Ordinis Prædicatorum (conſequenter & Prælatis aliorum Ordinum, qui cum ipſis communicant) vt per ſe ipſos poſſint in *Fratres, & Moniales ſui Ordinis, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & Laycos ſibi Subditos quoad Abſolutionem in Foro Animæ ab omnibus peccatis, & quoad Diſpenſationem ab Irregularitatibus, ne ſcilicet deterioris conditionis, quàm Clerici, aut Sæculares, exiſtant*, at quòd Prælati Regulares habeant poſſe ſuos Subditos diſpenſare ab hac Irregularitate procedente ab Homicidio Voluntario,

*dispenso Vobiscum in omni irregularitate* , *& habilito Vos ad omnia* si talis Religiosus fuerit præsens. Nam falsum est , quòd talis Religiosus , si innodatus fuerit Irregularitate contracta ex Abortione Fętus Animati , remaneat tunc Dispensatus , & ad Officia , ac Dignitates habilitatus , eò *quia nemo dat* , *quod non habet* , *& Sixtus V.* reuocauit tale Priuilegium , si Prælatis Regularibus priùs fuisset concessum.

13. At quid dicendum quantùm ad incurrendam præsentem Irregularitatem, si contingeret, quòd Religiosus, qui nec iussit , nec consuluit Abortionem Fętus Animati , tamen postquàm facta fuit suo nomine, illam ratam habuit , & approbauit.

℟. Quòd hic Religiosus non incurreret in Irregularitatem , quia non fuit Homicida , nec ad Abortionem factam cooperatus est ; secùs dicendum foret , si , antequam fieret Abortio , dixisset Paranti Abortionem *: benè facis* , *gratum mihi quid facies* , & Abortio sequatur , quia ratam habendo , & approbando eiectionem Fætus Animati factam suo nomine, concurrere censeretur ad Abortionem factam, & tunc esset Irregularis, & in alias pęnas *in Bulla Sixtina* decretas incurreret secundùm Sententiam communem.

14. Num autem incurrat Irregularitatem Religiosus, qui Mulieri consuluit , vt abortiretur ante Animatum Fętum , Mulier verò post Animationem Fætus adhibuit Medicinam, & Fætum Animatum eiecit ?

℟. Quòd inccurrerit in Irregularitatem , eo quòd consilio suo Mulier causauit Abortum Fętus animati, debuisset enim suum consilium , vel mandatum explicare , vel efficaciter reuocare, ne fieret Abortus post Animationem Fætus vnde consulendo fuit in culpa, & quòd hoc potuerit euenire, excogitare debebat *ex Cap. Vlt. De Homicid. in 6.*, & hic Religiosus censetur Homicidij reus.

15. Quid si Religiosus consilium dedisset Mulieri, & hæc applicuisset Medicamentum ad causandum Abortum Fætus Animati , nec tamen Abortus secutus fuisset?

℟. Quòd non incurrerit Irregularitatem , nec in alias *Pęnas*

*Pœnas Sixtinas*, neque *Ius commune* Pœnas imponit Irregularitatis, & excommunicationis, nisi sequuto Abortu, vnde conatus solus ad culpam non meretur pœnam ordinariam Legis effectu non sequuto, secundum communem Sententiam Doctorum, attamen Religiosus hic non effugeret Reseruationem huius *Sexti Casus Clementini*, eò quòd consuluisset Abortum Fœtus animati, quàmuis effectus sequutus non fuerit.

16. At quid si Religiosus colludat, vel saltet cum Muliere Prægnante, & ex ludo, vel saltatione sequatur Abortus Fœtus Animati?

℞. Quòd quidem à Reseruatione Casus, & ab Excommunicatione esset immunis, quia Abortus esset Casualis, & præter intentionem, non autem voluntarius, & studiosè procuratus, incurreret tamen in Irregularitatem, quia Religiosus illicitè ludit, vel saltat cum Prægnante, & Casus hic est expressus *in Iure Cap. Sicut ex tuarum De Homicid.*, à qua tamen Irregularitate posset Prælatus Regularis suum dispensare Subditum, quamuis Abortus fuisset etiam publicus eo quòd *Concilium Tridentinum Sess. 24. Cap. 6.* prohibet quidem Episcopis suos dispensare Subditos super Irregularitate contracta ex Homicidio voluntario etiam occulto, sed *de Homicidio Casuali*, & præter intentionem patrato, siue occultum, siue publicum fuerit, *nihil decernit*, nihil innouat circa dispensandum, vel non dispensandum ab Irregularitate contracta, iuxta Dianam part. 7. tract. 2. Resol. 31., quem plures Doctores sequuntur; quòd verò de Episcopis *Tridentinum* disposuit *in dicto Cap.*, licet non extendatur ad Prælatos Regulares propter illud Verbum *Episcopis*, extenditur tamen per Priuilegium *ad Prælatos Ordinis Prædicatorum*, consequenter ad alios Communicantes cum ipsis, *iuxtà Bullam Pij V. Incipient Romani Pontificis*, ergo quod dicitur in præsenti Materia de Episcopis, dicendum est etiam de Prælatis Regularibus ratione Priuilegij in ordine ad dispensandum suos Subditos ab Irregularitate huiusmodi.

17. Duos Casus notare non pigeat apud Nauarrum in Manuali

Manuali Cap. 27. n. 235., 236., quando in materia Abortus incurratur Irregularitas. *Primus Casus est de Clerico introducente Meretricem per Tecta in Domum suam, quę si decidens moriatur, vel abortiat, fit Irregularis; si verò introducat per Viam planam, & idem contingat, minimè; quia licet vtrumque Opus sit illicitum, & ex vtroque sit sequuta deformatio casualis, prius tamen est sufficienter ordinatum ad eam, & posterius non: hæc Nauarrus.* A' Simili si Religiosus introducat Mulierem grauidam in Monasterium per Tecta vel per Muros, vel per Sępes, & illa decidens moriatur, vel abortiat Fętum animatum, tunc incidit in Reseruationem *Casus Clementini*, & fit Irregularis, præter alias pænas de Iure sibi debitas. Si verò introducat per Viam planam, & idem contingat, non incidit in Reseruationem *Casus Clementini*, neque fit Irregularis ratione dicta. *Secundus Casus est de Eo, qui tocatur, aut saltat cum grauida Muliere, quæ ob id abortit, non est Irregularis, si licitè id faciat, vt Frater, Propinquus, aut Amicus honestus, secùs si illicitè, vt Amator obscęnus, aut Clericus, aut Monachus, cui eiusmodi Saltatio esset prohibita Cap. Sicut ex Tuarum.* Hæc Nauarrus, vbi nota, quòd si salutatio fuit hodie, & Abortus Fętus Animati fuerit post Mensem, Clericus, aut Monachus non fit Irregularis, quia talis Saltatio non videtur esse causa proxima illius Abortus ex Fragoso part. 2. lib. 11. disp. 24. §. 13. num. 6.

## IN RESERVATIONEM INCIDVNT

***Procurationis, Auxilij, seu Consilij ad Abortum faciendum post Animatum Fętum, etiam effectu non sequuto.***

18. Religiosus, qui studiosè, & voluntariè procurat Abortum Fętus Animati, quocumque medio, & modo procuret, nimirum mandando, efficaciter iubendo, opem ferendo, docendo modum abortiendi, conficiendo potionem,

nem, emendo, vel dando pecuniam ad emendum, fauendo, defendendo, efficaciter consulendo, suadendo, rogando, instigando, aut inducendo, vt Mulier prægnans sumat Potionem, Venenum, Medicamentum, vel vt Mulier prægnans veniat ad Sectionem Venæ, Ventrem grauiter percutiat, Corpus nimijs laboribus, & oneribus premat, vel alia media applicet ad finem, vt sequatur Abortus Fœtus Animati, licet postea propter aliquod impedimentum effectus non sit sequutus ex huiusmodi actionibus, iuxta dicta num. 2.

Religiosus, qui aliquo ex præfatis medijs, & modis dat causam Abortui Fœtus animati in Vtero Matris, siue hæc sit Fidelis, siue Infidelis, etenim Reseruatio publicam continet vtilitatem, & fauorem Animarum, estque eadem ratio de Fœtu animato Matris Fidelis, ac sit Matris Infidelis, & agitur de periculo Prolis tàm temporali, quàm spirituali, consequenter idem iudicium est vtrobique ferendum.

Religiosus, qui aliquo ex prædictis medijs, & modis procurat Abortum Fœtus animati, intendendo directè euitare Scandala, infamiam, dedecus, & Mortem Mulieris, quam prægnantem fecit, nec enim per *D. Paulum sunt facienda Mala, vt inde euentant Bona Roman. 3. & Cap. Denique 14. qu. 5.* Neque hìc habet locum illud dictum: *Ex duobus Malis minus est eligendum*, quia licet extendatur ad mala culpæ, non tamen extenditur ad ea, quæ intrinsecè, & in se sunt mala, est autem in se, & intrinsecè malum procurare Abortum Fœtus animati, vt euitetur Infamia, aut Mors Prægnantis; præterquàm quòd Fœtus animatus non solùm corporaliter, sed etiam spiritualiter interimitur, quod peiùs est, quàm quòd Mulier prægnans perdat Famam, aut Vitam iuxtà communem Sententiam.

Religiosus, qui, vt euitet Mortem sibi comminatam, cooperatur aliquo ex dictis medijs, & modis ad Abortum Fœtus animati, eò quòd debuisset potiùs Mortem oppetere, quàm Abortum intrinsecè malum procurare, & in ijs, quæ sunt intrinsecè mala, sicuti non excusat à culpa Metus

grauis,

grauis, ita nec à Referuatione fecundùm plures Morales.

Religiofus, qui audiens in Confeffione Sacramentali, vel extrà Confeffionem Sacramentalem Mulierem prægnantem, quæ timet periculum Mortis ob difficultatem pariendi, ficuti experta eft in alijs Partibus antecedentibus, Confilium præftat ei, vt fumat Medicamenta pro Occifione Fętus animati, & Mulier Prægnans fibi Medicamenta huiufmodi ad abortiendum applicat, tunc Religiofus in Referuationem huiufce Cafus incurrit, etenim probabile eft, quòd Mater non decedat in hoc Partu, ficuti non deceffit, Deo fauente, in alijs Partibus, Occifio autem Fętus animati effet certa, igitur Mulieri, vt euitet probabile periculum Mortis, quod eft incertum, & ftat cum fpe euitandi Mortem, nequit Religiofus confulere certam Fętus animati Occifionem, alioquin efficaciter influit in Abortum Fętus animati. Tum quia Fętus in ordine ad Matrem eft omninò Innocens, nec eft iniuftus Agreffor Vitæ Matris, vt de fe patet, iniquum ergo erit Confilium, vt Innocens occidatur. Tum quia dato, & non conceffo, quòd Fętus animatus effet iniuftus Agreffor Vitæ Matris, adhuc non eft licita Occifio iniufti Agrefforis, nifi cum moderamine inculpatæ Defenfionis, quando fcilicet certa, & ineuitabilis eft Mors Agreffi, fi non occidatur Agreffor, fed in noftro Cafu non eft certa, & ineuitabilis Mors Matris aggreffæ, immò fpes adeft euitandi Mortem, & eft omninò certa, vt dixi, Occifio Fętus animati, qui fupponeretur iniuftus Aggreffor. Tum quia tenetur Mater iuxtà ordinem Charitatis Chriftianæ præferre Bono temporali Vitæ propriæ Vitam fpiritualem, & æternam, quam Fætus animatus, fi occidatur, deperdit ex defectu Baptifmi, & hæc eft maxima Fætus innocentis ruina, fi enim *pro Fratribus Animam ponere debemus ex Ioannis* 3., quantò magis Mater pro falute Spirituali Filij, ne priuetur æterna Beatitudine, & ex his inferas, quòd Religiofus ob iniquum Confilium præftitum Mulieri prægnanti ad fumendum Medicamentum pro Abortione Fætus animati, incurrat in hac Referuationem, fi

Mulier

Mulier Medicamentum sumpserit ad hunc finem, licet Abortio non sit sequuta.

Religiosus, qui Mulieri prægnanti Infirmæ, Iudicio Medicorum constitutæ in periculo *etiam certo* Mortis, consulit efficaciter pro Vita ipsius conseruanda, vt Fętum animatum pręmaturè eijciat à Ventre, media alicuius Potionis applicatione, etenim haberetur perfectum Fętus animati Homicidium ex Syluestro Verb. Medicus q. 4., Armilla Verb. Abortus, Nauarro cap. 25. n. 62., & alijs volentibus, quod Mater in tali Casu teneatur ex Charitate Christiana potiùs mori, quàm quòd Fętus animatus corpore simul, & anima moriatur, per ea, quæ habet Syluester Verb. Bellum 2. q. 4. n. 6. de Pastore, qui baptizans Puerum in Mortis articulo constitutum, non potest omittere Baptismum, vt se defendat à Morte, & sic debet potiùs pręeligere propriam Mortem corporalem, quàm vt sequatur Mors corporalis, & spiritualis Pueri; nam licet moriatur Sacerdos, est tamen vnum tantum malum, & illud est temporale, minus autem malum est præeligendum, non maius malum. Si tamen certo constaret, Infantem moriturum in Vtero Matris, posset Mater vti Iure suo pro conseruatione Vitæ propriæ, sed hoc deberet certò constare, quod est valdè difficile cum Chapeauille De Casibus Reseru. part. 2. cap. 9. q. 1. diss. 2.

Religiosus, qui Puellæ grauidæ paratæ se occidere potiùs, quàm viuere semper cum Infamia, consulit Abortum Fętus animati, etenim cooperatur directè Occisioni Fętus Innocentis ad impediendam Mortem Puellæ culpabilis. Nec illud *Axioma: De Duobus Malis minus est eligendum C. Duo Mala, & C. Nerui dist.* 13. valet in hoc proposito excusare Religiosum, quin influat in Abortum, estò Puella cum occisione sui simul etiam Fetum animatum occideret; valet ergo illud Axioma in ijs dumtaxat, quorum alterum necessariò est eligendum, asserente *Augustino: Nullus peccat in eo, quod euitare non potest*, non autem valet in ijs, quæ liberè acceptantur, & sic *non sunt facienda Mala, vt eueniant Bona*, & dicitur influere in Abortum, quisquis

 Puellæ

Puellæ grauidæ consulit Abortum, quia sicut non potest facere minus malum, ita non potest illud alteri consulere, præsertim post damnationem *Propos.* 34. *factam ab Innocentio XI.*, vbi cum loquatur de Consulentibus Abortum Fętus ante animationem, ratione maioris mali non censetur exclusisse à Damnatione Consulentes Abortum Fętus post animationem. Dicti autem Axiomatis data explicatio consonat Doctrinæ Caietani 2. 2. q. 78. art. 4., Azorij Valentiæ, Sà, & Nostri Matthæucci lib. 2. cap. 20. n. 14., 15.

Monialis Subdita Prælato Regulari, & exempta à Reseruatione Casuum Episcopalium (idem dicitur de Nouitia in Monasterio Exempto) quæ procurat in se, vel in alia Abortum Fętus animati, media applicatione alicuius Potionis, vel mediantibus Pugnis, & percussionibus Ventris, vel aliter, vt euitet infamiam siue sui ipsius, siue Parentum, & Consanguineorum, siue Monasterij, ac Religionis suæ, etiamsi Abortus non sit sequutus, quia Procuratio Abortus est intrinsecè mala, nec vlla omninò ex causa cohonestari, & excusari potest. Tum quia Fętus animatus est omninò Innocens, & nullatenus est culpandus, ex quo manifestet Delictum occultum Monialis Prægnantis in Tumore Ventris, aliàs licitum etiam foret Reo propter Delictum damnando ad Mortem occidere Testem sui Delicti. An autem Monialis exempta, si Abortus sit sequutus Fętus animati, vltrà *Pęnas Sixtinas*, incurrat etiam in Excommunicationem *Can. Si quis Suadente Diabolo* 17. *q.* 4. inijciendo manum violentam in se ipsam, & Pugnis, vel Percussionibus Ventris procurando in se Abortum Fętus animati?

℞. Quòd non, eò quòd Monialis licet Manum violentam iniecerit, quæ est violenta Naturæ, non tamen est violenta Statui Ecclesiastico, nec Personæ Religiosę, quia non sibi, sed solùm Fętui iniuriam irrogare intendit, cum Caietano Verb. Excommunicatio Cap. 10., Capeauill. cit. q. 3., Bellochio, Bonaccina, & alijs.

Religiosus, qui nimia vtitur libidine cum Muliere prægnante, eamque carnaliter cognoscit cum maxima sui Corporis

poris agitatione, qua intendit Abortum causare Fætus animati, eò quòd dicitur, studiosè procurare Abortum, & ex industria cooperari Abortui intento Fætus animati, esto non sequatur effectus.

Religiosus, qui aliquo ex dictis medijs, & modis procurat Abortum Fætus animati, esto superuiuat, & baptizetur, etenim propter media studiosè applicata à Religioso, Fetus animatus prematurè eiectus fuit, & hoc est propriè procurare Abortum, quòd verò Fætus prematurè eiectus ab vtero Materno viuat, & baptizetur, non autem moriatur, hoc est per accidens in ordine ad Reseruationem, cùm sufficiat procurasse Abortum Fætus animati.

Religiosus, qui in propria Domo receptat Mulierem pręgnantem, vt occultè Abortum Fætus animati committat, aut qui Mulierem prægnantem animat ad patrandum Abortum, aut defendit à Volentibus eam impedire, ne Abortum faciat, etenim sic dicitur Opem ferre, & verè influere in Abortum.

Religiosus, qui in præsentia Mulieris à se carnaliter cognitæ ait, *nollem, te esse prægnantem, quoniam suspicor de graui malo Tibi, & Mihi obuenturo*, quæ verba dixit, vt tacitè induceret Mulierem, quam Prægnantem fecerat, ad procurandum Abortum Fætus animati, & de facto Mulier hæc, gratificandi gratia Religioso, procurauit Abortum, etenim talis locutio perinde est, ac efficax Consilium, & Religiosus dicitur tacitè procurasse Abortum Fætus animati, quia iuxtà *L. Cum quid ff. Si cert. petit. Par est Virtus Taciti, & Expressi*. Tum quia *Error, cui non resistitur, approbatur Cap. Signific.*, nam tenebatur resistere, & seruare in Vita illum, cuius generationis ipse Religiosus fuit Auctor, *& qui potuit prohibere, & non prohibuit, particeps Delicti censetur Cap. Sicut dignum De Sent. Excomm.*

Religiosus, qui mandat, fieri Abortum Fetus animati, nam Mandans comprehenditur sub illa Dictione *Procuratio*, & hoc est conforme Verbis *Bullæ Sixti V.*, vbi dicitur: *Qui de catero per se*, & ecce Procuratio immediata sine

Mandato, *aut per interpositas Personas*, & ecce Procuratio per Mandatum.

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT

***Procurationis, Auxilij, seu Consilij ad Abortum faciendum post Animatum Fetum, etiam effectu non sequuto.***

19. Religiosus, qui Mulieri Potiones, & Medicamenta dedit, nesciens illam esse grauidam, & absque intentione procurandi Abortum, esto sit sequutus Abortus Fætus animati, etenim, vt benè notat Coriolanus in hoc Sexto Casu num. *6.*, vt incurratur Reseruatio præsentis Casus, debent copulatiuè hæc omnia simul concurrere, scilicet, quòd Mulier verè sit grauida, quòd Fętus sit animatus Anima rationali, quòd detur Potio, seu Medicamentum ordinatum ad faciendum Abortum, & quòd detur tali fine, & intentione, cùm igitur hæc omnia simul non concurrant, vt constat, Religiosus est excusandus à Reseruatione, & eo, vel maximè, quia interuenit ignorantia impeccabilis, & Abortus non est studiosè factus, non est voluntarius, sed Casualis.

Religiosus, qui pluries proposuit procurare Abortum Fętus animati, immò plura pluries Medicamenta fecit, sed facti pænitens ea non præstitit Mulieri prægnanti, nam vtique toties, quoties animo proposuit procurare Abortum Fętus animati, mortiferè peccauit ratione praui affectus, sed quia non præstitit Medicamenta, non dicitur procuraffe Abortum, sed quòd solùm proposuerit procurare, ideò non incidit in Reseruationem.

Religiosus, qui Mulieri potionem, aut Medicamentum studiosè præstitit, vel Opem dedit, aut Consilium, vt propterea Mulier fiat Sterilis, nam inductio Sterilitatis non est Abortus, quia Abortus supponit conceptionem, non sic Sterilitas, nec dictus Religiosus incurrit in Excommunicationem, nec Irregularitatem iuxtà *Bullam Gregorianam*, peccat

peccat tamen Mortaliter, quia contrà Naturæ intentum priuat Mulierem potentia Generatiua, & impedit Conceptionem Fętus.

Religiosus, qui Mulieri laboranti in Partu aliquid dat ad manducandum, vel bibendum, aut Vnctionem adhibet pro facilitando Partu, sed Fætus per accidens nascitur mortuus, non enim dicitur procurasse, nec intendisse Abortum, sed procurasse, & intendisse Partum naturalem, & solùm respexisse ad Fętus, & Mulieris salutem, secùs dicendum foret, si talia directè, & per se ordinasset ad procurandum Abortum.

Religiosus, qui Mulieri, vt fiat grauida, Potionem, vel aliud dedit, sed paulò post ipsa Mulier obijt, nec enim in hoc casu Religiosus dicitur procurasse Abortum, quia nihil dedit ad Abortum faciendum, nec venit contrà Legem occidendi existentem in Vtero Matris, sed potiùs ad Generationem respexit futuræ Prolis propter bonum Mulieris. Addit verò Graffius lib. 3. cap. 5. in fine, quòd factum istud non debeat ex toto transire impunitum, propter malum Exemplum consistens in querendo violentare Naturam, volendo imponere Fęcunditatem in Vtero, in quo Deus, & Natura imposuerunt Sterilitatem, vnde vult Graffius, Religiosum euadere quidem Reseruationem huiusce Casus, non tamen euadere Irregularitatem.

Religiosus, qui Mulieri, quam existimat grauidam, dat Potionem ordinatam ad faciendum Abortum, sed postmodùm comperit, quòd non sit grauida, ideò non incidit in Reseruationem, quoniam cùm Fætus non fuerit conceptus, consequenter nec sit animatus, frustra quæritur Procuratio Abortus, qui semper supponit Fætum.

Religiosus, qui procurat, dat Opem, consulit, aut efficaciter suadet Mulieri Abortum Fætus non animati, & media applicat ad abortiendum, nam Religiosus non incidit in Reseruationem, vt constat ex verbis illis *Clementis: Post animatum Fętum*, attamen peccat mortaliter, dum data Opera impedit Semen iam effusum, & Fætum à suo naturali fine, qui est generatio Hominis, estò non incurrat

incurrat in Excommunicationem, in Irregularitatem, nec in alias pœnas *iuxtà Bullam Gregorianam*, per quam temperata fuit *Bulla Sixtina*.

Religiosus, qui interrogatus de medio ad Fętus animati Abortum faciendum apto, absque dolo, & bona fide illud patefacit, quo posteà illi, qui interrogauere, vsi sunt ad procurandum Abortum, etenim bona fides in Religioso, qui tale medium patefecit, non includit animum, nec studiosam voluntatem, vt Audientes Medio huiusmodi vtantur ad faciendum Abortum, qua propter excusatur à peccato *Cap. Cum Voluntate de Sent. Excomm. Voluntas, & Propositum distinguunt Maleficia*, hinc non fit obnoxius Reseruationi.

Religiosus, qui Aromatario ordinauit Medicinam tendentem ad Abortum Fętus animati, vt daret Mulieri prægnanti, sed quia pius Aromatarius eam mutauit, Mulier prægnans, quæ illam sumpsit, non est abortita, in tali siquidem casu Religiosus dicitur intendisse Procurationem Abortus, sed non procurasse Abortum, ideò excusatur à Reseruatione.

Religiosus, qui ordinauit Mulieri prægnanti Medicinam tendentem ad Abortum Fętus animati, sed Mulier eam non sumpsit, & in hoc casu Religiosus dicitur conatus fuisse procurare Abortum Fętus animati, sed non dicitur procurasse Abortum, eo modo quo *à Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 18. Excommunicantur Cogentes Fæminam ad ingressum Monasterij, ad Habitus susceptionem, vel ad Professionem*, si tamen Fæmina coacta non ingrederetur in Monasterium, Cogens esset immunis ab Excommunicatione, quia non diceretur coegisse, cùm nullus effectus coactionis habitus fuisset, sed diceretur, quod *conatus fuisset cogere* ex Sanchez in Summ. lib. 4. c. 4. n. 19.

Religiosus, qui Medicamentum dat Mulieri, quam credebat non prægnantem, sed erat prægnans in quarto Mense, & Medicamento sumpto Fœtum animatum eijecit, etenim Abortus hìc non est studiosè, & voluntariè procuratus, sed est Abortus casualis, de quo nec loquitur *Sixtus V.*

cùm

cùm solùm de Abortu voluntario mentionem faciat, hinc nec sub Reseruatione *Sexti Casus Clementini* ponitur.

Religiosus, qui potuit occurrere, ne ab alijs, qui procurauerunt Abortum Fętus animati, procuraretur, & non occurrit, etenim *Procuratio*, *Auxilium*, *seu Consilium ad Abortum faciendum* sunt actus purè positiui, & positiuè influxiui, & non occurrere Crimini, cùm quis possit, est actus merè negatiuus, hinc non est par ratio in ordine ad Reseruationem. Neque obstat *C. Sicut dignum* §. *Illi etiam de Homicid.*, *vbi dicitur*, *quòd qui potuit liberare Hominem à Morte*, *& non liberat*, *eum occidit*; non, inquam, obstat, quoniam Textus ille loquitur interpretatiuè, & non secundùm rei veritatem iuxtà Duardum disp. 8. sect. 11. num. 92., & ad aliud solitum dici, scilicet quòd omissio reducatur ad genus commissionis, respondetur, id verum esse imputatiuè, non autem secundùm rei veritatem, at in Casibus Reseruatis Nos non debemus vti amplioribus interpretationibus, sed proprijs, & strictis, vt benè notat Molphesius cap. 20. n. 78. cum alijs Doctoribus.

Religiosus, qui Abortum Fætus animati suo nomine iam factum approbat grauiter quidem peccat, quia complacet sibi de Crimine graui, sed non incurrit in præsentem Reseruationem, cùm non fuerit causa Abortus, neque enim ad præteritum datur potentia, secùs dicendum, si ante executionem approbasset, in quo casu censetur causa influxiua, & effectu sequuto, non effugit *pęnas Sixtinas*.

Religiosus, qui consuluit quidem Abortum Fętus animati, sed antequam Mulier prægnans applicuerit media ad habendam Abortionem, ipse seriò reuocauit Consilium, & tamquam iniquum, & non sequendum conatus est validis, & contrarijs rationibus patefacere Prægnanti, in quo casu si Mulier Abortum procuret, non dicitur ampliùs moueri à Religiosi Consilio, sed dumtaxat à propria improbitate, & malitia.

Religiosus, qui Medicinam tendentem ad Abortum caussandum Fętus animati iussit Aromatario, vt daret Lucretiæ prægnanti, sed propter imprudentiam Dantis data fuit

Bertæ item prægnanti, & ratio est, quia **Abortus iste est** Casualis, nec est imputandus Religioso.

Religiosus, qui Mulieri grauidæ consilium dat, vt Percussionibus, Laboribus, aut Oneribus præmaturè eijciat Fętum animatum, sed Mulier estò promiserit hæc exequi, tamen non exequitur, ideò nec Religiosus est obnoxius Reseruationi, ad quam necessaria est actualis applicatio Percussionum, Laborum, aut Onerum ad finem faciendi Abortum.

20. Quid verò dicendum est de Religioso procurante Abortum Fętus animati, effectu sequuto, quoad Priuationem Officiorum, & Dignitatum, ac quoad Inhabilitatem ad ea, tum de præsenti habita, tum ad alia inposterùm obtinenda *iuxtà Bullam Sixtinam*?

℞. Quòd Religiosus procurans Abortum Fętus animati, effectu sequuto, non teneatur, ante Sententiam Declaratoriam Criminis, subire huiusmodi pęnas iuxta Sententiam magis communem, estò *ex Cap. Non Dubium de Sent. Excomm., & ex Cap. Significasti de Homicid.* conueniant Omnes Doctores, quòd Censuræ, & Irregularitates incurrantur in Foro Conscientiæ ante Sententiam Declaratoriam, quia sunt Pęnæ Priuatiuæ nulla indigentes positiua Hominis actione ad sui executionem, cæterùm in nostro proposito pęnam priuationis Officiorum, & Dignitatum, & pęnam Inhabilitatis ad illa non tenetur Religiosus, nisi post Sententiam Declaratoriam Criminis subire, eo modo quo aiunt Nauarrus, & Molina, quòd requiratur Sententia Criminis Declaratoria, vt incurratur Priuatio, & Inhabilitas præscripta *a Gregorio XIII. contra Transgressores suæ Constitutionis De Datis, & Promissis pro Iustitia, & Gratia*, non obstante, quòd Papa sic loquatur: *Eos Omnes omni Beneficio ipso Iure priuamus, ac priuatos esse declaramus, ac Inhabiles ad illa, & ad alia esse volumus*, vnde benè inquit Diana part. 1. tract. 10. Resol. 23., quòd Pęnæ, quæ non possunt executioni mandari absque positiua Hominis actione, etiamsi ipso Iure, vel ipso facto ferantur, & etiamsi dicatur, *Nulla expectata Declaratione*, non

non incurruntur, nisi præcedat Sententia Criminis Declaratoria, & ratio est, quia vsu receptum est, quòd nemo ante Sententiam Criminis Declaratoriam dimittat Ius, quod habet, & Rem, quam possidet, nimisque dura, & acerba esset humanæ fragilitati Lex, quæ cogeret Hominem ad exequendum in se ipso pœnam valdè grauem, abhorret enim natura, quòd idem Homo sit agens, & patiens, Reus, & Vindex; quousque igitur non præcedat Sententia Declaratoria Criminosi Abortus à Religioso procurati, effectu sequuto, non debet Religiosus dimittere Officia, quę actu habet, nec debet cedere Habilitati ad alia imposterùm obtinenda ex Diana supracit., part. 12. tract. De Consecr. Episc. resol. 56., Emanuele Sa Verb. Beneficium num. 20. Garzia, & alijs.

21. Sed quid nomine Officij, & Dignitatis in Religiosis intelligitur?

℞. Nomine Officij, & Dignitatis intelligi Munus coniunctum cum Superioritate ordinaria vel delegata, vt sunt Abbatis, Generalis, Prouincialis, Guardiani, Prioris, Abbatissæ, Priorissæ, aut Commissarij Generalis, vel Visitatoris, sicuti in materia Illegitimorum dixit *Sixtus V. in sua Constitut. Ad Romanum spectat*, non autem intelligi Munus Magistri Nouitiorum, Lectoris, Concionatoris, Definitoris, & huiusmodi quæ munera non sunt coniuncta cum Superioritate, ita Bordonus resol. 9. n. 21., & Rodriquez in Exposit. *Motus Pij V.* n. 21.

22. At numquid, quia inter Nos Obseruantes à Superioribus non reseruatur Peccatum Procurationis Abortus Fętus Animati, si Mors eius sequatur, adhuc sit Reseruata Excommunicatio?

℞. Quòd adhuc sit Reseruata Excommunicatio propter Procurationem Abortus Fętus Animati, sequuta Morte iuxtà Bullam *Sixti V. Effrenatam*, *quam Gregorius XIV. in sua Bulla Cùm Sedes Apostolica* quantùm ad hoc sic moderauit faciendo, quod dicta Excommunicatio quæ per Sixtum erat Reseruata *Papæ*, sit Reseruata Episcopo, Vnde cùm *Ius Commune* non possit ab Inferiori alterari, sequitur,

quòd etiam si Superior Regularis omittat facere Reseruationem peccati Abortus Fętus Animati, sequuta Morte, nec non Excommunicationis, adhùc Excomm. annexa ipsi peccato erit Reseruata, non quidem Episcopo, cui in ordine ad Absolutionem Fratrum Regulares non sunt subiecti, ergo Superiori Regulari, qui *a Papa* habet Iurisdictionem in ordine ad absoluendos suos Subditos.


23. An tandem si Prælatus Regularis concedat facultatem absoluendi suum Subditum ab Abortu procurato Fętus animati, effectu sequuto, intelligatur etiam concedere facultatem absoluendi ab Excommunicatione?

℞. Quòd Religiosus specialiter deputatus à suo Prælato, vt absoluat tantùm in Foro Conscientiæ suum Correligiosum ab hoc peccato, effectu sequuto, intelligatur etiam donari facultate absoluendi ab Excommunicatione, tùm quia Concessio vnius Facultatis sine alia esset inutilis, & frustratoria, nec Absolutio à peccato Reseruato, si hoc habeat adnexam Censuram (sicuti habet Abortus Fætus animati procuratus, effectu sequuto) dari potest, nisi priùs detur Absolutio à Censura. Tum quia concesso vno, etiam ea omnia, sine quibus illud vnum expleri non potest, intelliguntur concessa, *Cap. Præterea*, *Cap. Prudentiam De Offic. Deleg.*, sed sine Absolutione ab Excomunicatione nequit Confessarius explere Commissionem sibi factam à Prælato, vt absoluat à peccato Reseruato, ergo concessa facultate absoluendi ab Abortu Fætus animati procurato, effectu sequuto, intelligitur necessariò concessa facultas absoluendi ab Excommunicatione tali peccato adnexa ex Bordono resol. 46. q. 13. n. 13.

24. Confessarius igitur iuxta Dispositionem *Gregorij XIV.* specialiter deputatus à suo Prælato Regulari, si Religiosus Reus Delicti adeò immunis, effectu sequuto, ad se Pænitens accedat, potest in Foro Conscientiæ illum absoluere à peccato Reseruato, & ab Excommunicatione, sed super Ieregularitate contracta *solus Papa*, si Delictum fuerit publicum, *& Sacra Romana Pænitentiaria*, si fuerit occultum, dispensare valet, vt iam dictum est. Antequàm

verò

verò absoluat, examinet Confessarius Reum, quamdiù perstiterit in mala Voluntate procurandi Abortum, cùm *ex Gregorio IX. in Cap. Cum tanta De Consuetud. tantò fiant grauiora peccata, quanto diutiùs infelicem Animam detinent alligatam*, hæc enim, & similia Crimina longo temporis tractu committuntur, quo durante plura patrantur peccata propter volitiones eiusdem Criminis diuersas, & interpellatas. Interroget, an alios induxerit, vt in peccato Socios haberet, quia circumstantiam Scandali tenetur necessariò aperire. Inquirat, cur Abortum Fętus animati procurauerit, quia fortè rem habuit priùs cum illa Fęmina, & ne pariendo vterque contraheret Infamiam, nam tunc & violasset Votum Castitatis, & Homicidium voluntarium patrasset, si fuerit sequutus effectus: Inducat Reum ad detestationem peccati adeò atrocis, & ad perfectam Contritionem; maximam adhibeat curam, vt illud peccatum imposterum cauere statuat; obliget Satisfactioni in damnis illatis, si Abortum Fętus animati, sequuto effectu, procurauerit, sicuti practicatur in Homicidio Voluntario; iniungat ei grauissimam Pænitentiam, & conformem Criminis atrocitati; deinde illum absoluat in Foro tantum Conscientiæ, si à Prælato suo Regulari fuerit specialiter Deputatus ad absoluendum.



# SEPTIMVS CASVS

## RESERVABILIS A' SVPERIORIBVS REGVLARIVM

*Falsificatio Manus, aut Sigilli Officialium Monasterij, seu Conuentus.*



1. PRefens Cafus ad Formam Decreti Clementini folet à Regularibus referuari, ex quo tot iniuriæ, tot damna, tot præiudicia, tot iurgia in vnoquoque Ordine Religiofo enafci foleant per Falfificationem Manus, aut Sigilli, Officialium Monafterij, feu Conuentus. Seueris vtique pęnis hoc grauiffimum Crimen plectunt pro Foro externo fingulę Regularium Conftitutiones, quibus Superiores Zelantes omninò conformandi funt, fed pro Foro interno placuit etiam *Romano Pontifici*, Subditorum Saluti fpirituali intento, permittere Superioribus Religionum, vt poffint fibi referuare præfatum Cafum, & facultatem reftringere fuis Confeffarijs, Deputatis abfoluendi Reos tanti Criminis ad hoc, vt propterea ifti metuentes fubire fuorum Prælatorum Examen absterreantur ab hoc Scelere perpetrando, & Referuationis fręno contineantur in Chriftiano Officio, & in Fraterna Charitate. Hic eft ad litteram *tertius Cafus referuatus Miniftro Generali PP. Conuentualium S. P. N. Francifci*.

2. Singula ergo Verba præfentis Cafus fic elucidantur fecundùm meliores Doctores. Dicitur *Falfificatio Manus*, ideft

dest falsificatio Scripturæ Manu Officialium Monasterij, seu Conuentus factæ, & huiusmodi falsificatio fieri potest nouam fabricando Scripturam, Litteras addendo, detrahendo, radendo, lauando, secando, sensum Scripturæ substantialiter immutando, vel nomine Officialium sed dolosè subscribendo, vbi ea omnia falsa sunt, ex quibus Litteræ constant iuxtà Suarez De Censuris disp. 21. Sect. 2. num. 45., vnde inquit *Batardus ad Clarum in* §. *Falsum num.* 211. quòd falsificare Manum est contrafacere Litteram alicuius ad sui fauorem, faciendo Schedulam falsam. Dicitur *Aut Sigilli, vbi ly Aut*, cùm in nostro proposito teneat locum Particulæ Disiunctiuæ, indicat, quòd ad incurrendum in hunc Casum satis sit falsificare alterum illorum, videlicet vel Manum sine Sigillo, vel Sigillum sine Manu. *Sigillum* est signaculum illud, quo Litteræ Officialium Monasterij, siue Conuentus muniuntur, vt fidem faciant nomine Prælati, & habet impressa Insignia, & Arma Monasterij, seu Conuentus, eoque vtuntur Officiales in ijs, quæ pertinent ad suam administrationem iuxtà Officium proprium, ac illud adhibent pro obsignandis Litteris missiuis, ne ab alijs legantur; Sigilli igitur falsificatio fieri potest nouum Sigillum dolosè fabricando simile Sigillo Officialium, prout formaliter Officiales sunt, & non vt tales Personæ sunt cum præcisione ab Officio, quo funguntur, vnde falsificare Sigillum est contrafacere Sigillum Officialium effingendo aliud dolosè, & callidè simile.

3. Quid si quis falsificet Manum, aut sigillum Officialium Monasterij, seu Conuentus, non tamen vtatur illis, an incidat in Reseruationem Septimi Casus?

℞. Cum Sententia probabiliori, quòd incidat, eò quòd actio adæquata prohibita per *Decretum Clementinum* est ista, nimirùm sola falsificatio, & ex hoc sequitur, quòd Vtens Manu, aut Sigillo Officialium Monasterij, seu Conuentus falsificatis ab altero non incidat in Reseruationem, cùm *Papa* loquatur solùm cum Verbo *Falsificare*, ita Lezana Verb. Falsarius num. 3., Bordonus Resol. 46. num. 7., Graffius lib. 3. Cap. 6. num. 16., & alij contrà Suarez Tom. 4. de

Relig.

Relig. lib. 2. Cap. 18. n. 9., Coriolanum, Gesualdum, Iuniperum.

4. Dices: Qui simpliciter falsificat Manum, aut Sigillum Officialium Monasterij, seu Conuentus, & illis non vtitur, verè, & propriè non falsificat, verè, & propriè non est Falsarius, immò nec Mortaliter peccat, si non malo animo faciat, ergo non incidit in Reseruationem; antecedens probat Coriolanus hic num. 2. auctoritate Antonij de Butr. *in Cap. penult. num. 3. De Crimine Falsi*, qui inquit, quòd sola Falsificatio Litterarum sine Vsu non obligat quemquam ad pęnam falsi, & Falsificatio Scripturæ, quam non probat, neque inducit pęnam falsi, & consequenter nec incidit in Reseruationem.

℟. Negando antecedens, & supponimus modò, quòd non iocosè, sed dolosè, & malo animo falsificet; tria vtique concedimus cum Syluestro Verb. Falsarius exigi, ad hoc vt quis puniatur in Foro externo pęna Falsi, nimirùm immutationem Veritatis, Dolum, & Damnum sequutum, attamen vt quis incidat in Reseruationem, & pro Foro interno censeatur Falsarius iuxtà formam *Decreti Clementini*, sufficiunt immutatio Veritatis, & Dolus, hoc est malus animus inferendi damnum, quàmuis damnum, vel effectus realiter non sequatur, ex eo quia Falsificans non vtitur Manu, aut Sigillo Officialium falsificatis; rationem doctè dat Graffius citatus, quia per falsificationem Manus, aut Sigilli iam est Opus consummatum, proinde negatur consequentia, & eius probatio, cùm Auctoritas Butrij valeat solùm pro Foro externo ad inducendam pęnam Falsi, & non pro Foro interno ad incurrendum in Reseruationem.

5. Dicitur *Officialium Monasterij, aut Conuentus*, quo nomine veniunt diuersi iuxtà varietatem Religionum, sic in Monasterijs veniunt Abbas, Prior, Cellerarius, Procurator, & huiusmodi, Abbatissa, Priorissa, Vicaria; In Conuentibus veniunt Generales, Procuratores Generales, Prouinciales, eorum Secretarij, Priores, Guardiani, & in ipsorum absentia Subpriores, & Vicarij, Rectores, & Ministri in Societate, Correctores, Syndici, Procuratores, Depo-

res, Depositarij, Sacristæ, & alij huiusmodi, ad quos spectat ex Officio subscribere, aut conficere Scripturas publicas pro interesse Monasterij, seu Conuentus, quare nomine Officialium veniunt non solùm illi, qui vicem gerunt alterius in Religione, sed venit etiam ipse Prælatus, etenim Sigillum Monasterij, seu Conuentus dicitur etiam Prælati, & Monasterium dicitur esse in Prælato C. *Scire debes 7. qu. 1.*

*6.* Nec audiendus est Portellus in Dub. Regul. Verb. Falsarius num. 3., qui à nomine Officialium Monasterij, seu Conuentus excludit Generalem, & Prouincialem dicens, quòd non dicantur Officiales Conuentus, sed Religionis, & Prouinciæ. Immò & excludit Officiales alterius Conuentus, & vult includi solùm Officiales illius Conuentus in quo Falsarius commoratur. Non, inquam, est audiendus, siquidem nomine Monasterij, seu Conuentus venit etiam tota Religio, & tota Prouincia, idem enim verbum relatum ad diuersas Personas diuersimodè etiam interprætatur Grillenz. Conf. 156. num. 11., nec obstat, quòd nomine Officialium veniunt propriè Vicegerentes Prælatorum, vt docuit Graffius num. 8., quia quandoque idem verbum propriè, & impropriè sumi potest ex Sanchez lib. 8. disp. 17. num. 16. Tum quia sicut Officiorum Nomine apud Regulares veniunt coniuncta cum Superioritate *iuxta Constitut. Sixti V. Ad Romanum spectat*, ita & Officialium nomine veniunt Superiores, tenet enim apud Logicos Argumentum secundùm locum à Coniugatis. Illud, quod addit Portellus, nec subsistit, quoniam licet Officialis, & Falsarius sint diuersorum Monasteriorum, seu Conuentuum, tamen verificantur *Verba Clementis VIII.*, ergo verificatur & ipse Casus, neque enim hæc est ampliatio Casus, sed est propria ipsius Casus interpretatio, vt constat.

7. Sed numquid, vt incurratur hic *septimus Casus*, requiratur falsificatio Manuum, seu Scripturarum plurium Officialium?

℞. Quòd non, & licet *Summus Pontifex* vtatur numero plurali

plurali dicens ly *Officialium*, nihilominus sunt referenda singula singulis, ita vt non solùm Casum Reseruatum contrahant, si vnus, aut plures falsificent Manus aut Sigilla plurium Officialium, sed etiam si singuli Manum, aut Sigillum singulorum; facit ad hoc, quòd quando *in Cap. Missas de Consecr. D.* 1. præcipitur, Missas in plurali numero audire die Dominico totas, non satisfaceret Præcepto, qui vnam tantùm Missam in numero singulari audit; Quando *Sacri Canones*, cuiusmodi sunt *Can. Si quis suadente Diabolo* 17. *qu.* 4., *Can. Porrò*, & *Can. Parochianos De Sent. Excomm.* pęna Excommunicationis feriunt eos, qui violentas Manus inferunt in Clericum, non comprehenderent Inferentem vnam solùm Manum violentam in Clericum, sed illum solùmmodò comprehenderent, qui vtraque Manu Clericum percusserit. Quando *in Can. Sacerdotibus Ne Cler. vel Mon.* prohibetur, quòd Clerici, & Sacerdotes possint esse Ministri Laicorum in numero plurali, & non alicuius Laici, tunc possent esse Ministri, & Procuratores vnius Laici in numero singulari, quæ omnia sunt absurda, ergo idem dicendum est in nostro proposito.

8. Neque obstat id, quod fertur *de Ferdinando Rege Neapolis*, qui postquàm edidit *die* 21. *Aprilis* 1482. Constitutionem contra Blasphemantes Sanctos in plurali, videns non comprehendere Blasphemantem vnum tantùm Sanctum, aliam *die* 11. *Aprilis* 1483. edidit quoque Constitutionem, in qua pęnam extendit contrà Blasphemantem vnum etiam Sanctum, ergo pariter dum *Clemens VIII.* voluit, quòd Falsificatio Manus Officialium Monasterij, seu Conuentus sit Casus Reseruabilis, censetur intellexisse de Falsificante Manum non vnius, sed plurium Officialium. Non, inquam, obstat, quoniam in priori Constitutione constabat de Mente Regis volentis sub ea comprehendere Blasphemantes non vnum, sed plures Sanctos, & propterea per secundam Constitutionem extendi priorem contra Blasphemantes etiam vnum Sanctum duntaxat, cæterùm ex sui natura, præcisa Voluntate Legislatoris, prior illa Constitutio erat apta comprehendere Blasphemantem non solùm plures, sed

res, ſed etiam vnum dumtaxat Sanctum aliàs ſequerentur abſurda ſupradicta. His notatis.

## IN RESERVATIONEM INCIDVNT

*Falſificationis Manus, aut Sigilli Officialium Monaſterij, ſeu Conuentus.*

9. RElígioſus, qui falſificat Manum ſolam, aut Sigillum ſolum Officialium Monaſterij, ſeu Conuentus, etenim *Clemens VIII.* appoſuit illam Dictionem *Aut*, quæ eſt alternatiua, & ponitur inter diuerſa, vt in *L. Ille ff. de Legatis* 3., *in alternatiuis autem ſufficit alteram partem adimpleri C. In Alternantibus de Reg. Iuris in 6.*, propterea qui falſificat Scripturam Officialis, & non Sigillum, aut qui falſificat Sigillum Officialis, & non Scripturam, incurrit in Reſeruationem, vbi nota, quòd Reſeruatio incurratur, etiamſi effectus Falſificationis, nempe applicatio, aut damnum non ſequatur.

Religioſus, qui Manum, aut Sigillum falſificat vnius in numero Singulari Officialis Monaſterij, ſeu Conuentus, licet *à Romano Pontifice* exprimatur in numero plurali *Officialium*, & conſtat ſupra ex dictis num. 7.

Religioſus, qui falſificat Manum Officialis Monaſterij, ſeu Conuentus, ſcilicet Litteras addendo, detrahendo, radendo, ſecando, earum ſenſum ſubſtantialiter immutando, vel ſolùm earum ſubſcriptionem nomine Officialis dolosè effingendo, etiamſi non vtatur hiſce Litteris falſificatis, & ratio eſt, quia per Falſificationem Manus, aut Sigilli abſque Vſu iam Opus eſt conſummatum, & habetur Falſificatio, quæ hìc prohibetur, & reſeruatur.

Religioſus, qui dolosè fabricat Sigillum ad inſtar Sigilli alicuius Officialis Monaſterij, aut Conuentus, ſi Sigillum habeat Inſignia Religionis, etiamſi non vtatur hoc Sigillo fabricato, quia ſola falſificatio prohibetur, & ſufficit ad Reſeruationem in præſenti, nec requiritur Vſus Sigilli falſificati, quia, vt iam dixi per Falſificationem ſolam Si-

gilli absque Vsu iam Opus est Consumatum.

Religiosus, qui falsificat Manum, aut Sigillum Prælati, seu Superioris Monasterij, seu Conuentus, cùm etiam Prælatus veniat appellatione *Officialis*, vt benè declarat Grassius hìc num. 8., 9., 18., 19., vnde Religiosus, qui falsificat Scripturam Manu Prælati Monasterij, seu Conuentus factam, imitando dolosè Prælati Characteres, aut solam Subscriptionem, & Firmam, sicuti & Religiosus ille, qui falsificat Sigillum Prælati Monasterij, seu Conuentus, fabricando dolosè aliud Sigillum simile Sigillo ipsius Prælati, incurrit in Reseruationem; quia sic dicitur Manum, aut Sigillum *Officialis* Monasterij, seu Conuentus falsificare.

Religiosus, qui Generalis, aut Prouincialis Manum, aut Sigillum falsificat, sicuti contrà Portellum iam probaui supra num. 6.

Religiosus, qui in hoc Conuentu degens falsificat Manum, aut Sigillum alicuius Officialis alterius Monasterij, seu Conuentus, in quo non commoratur de facto, nec ibi existit nisi tamquam Hospes, nam patet, quòd sic verificentur Verba Casus, neque enim *Romanus Pontifex* inquit Officialium *sui* Monasterij, seu *sui* Conuentus contra Portellum cit.

Religiosus, qui Manum, aut Sigillum Syndici Apostolici (qualis est *apud Minoritas*) falsificat in ijs, quæ pertinent ad administrationem Bonorum Monasterij, seu Conuentus, cuius tenet Librum Ratiociniorum quoad accepta, & expensa quoad Eleemosynarum conseruationem apud se, quoad Introitum, & Exitum, cùm & ipse Syndicus dicatur *Officialis* Monasterij, seu Conuentus cum Portello supracit. contrà Bordonum Resol. 46. num. 5. in fine.

Religiosus, aut Religiosa Monialis sub Monachorum, vel aliorum Regularium Regimine, consequenter Regularis quicumque siue Masculus, siue Fœmina falsificans Manum, aut Sigillum Officialium Monasterij, seu Conuentus, neque enim *Clemens VIII.* distinguit inter Officiales Monasterij, & Conuentus, seu inter Monachos Moniales Subditas Regularibus, & inter Fratres, & Clericos Regulares,

*eo quòd*

*eo quòd Masculinum etiam in Pęnalibus continet Fęmininum, maximè si a Lege, vel Canone sit prolatum, vt in Can. Si quis suadente Diabolo* 17. *qu.* 4., vbi non solùm percutiens Clericum, aut Monachum excommunicatur, siue Masculus sit, siue Fęmina, sed etiam percutiens Monialem, & tamen Textus loquitur in genere Masculino.

Religiosus, qui falsificat manum impressam Prælati, qui scilicet Subscriptionem Typis formare solet, tunc in Reseruationem *Septimi Casus Reseruabilis* incurrit, eo quòd nihil refert, qualem falsificet, dummodò Manum falsificet, hoc est Subscriptionem, quæ facit publicè fidem.

Religiosus, qui cępit falsò fabricare Litteras Officialium Monasterij, seu Conuentus, & postquàm tantùm illarum partem fabricauit, qua possit vti ad aliquam vtilitatem captandam, eas non perfecit, prout statuerat, accedente dolo, & hoc sufficit, vt habeatur Falsificatio Reseruabilis per *Clementem VIII.*

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT

*Falsificationis Manus, aut Sigilli Officialium Monasterij, seu Conuentus.*

10. Religiosus, qui fasificat Manum, aut Sigillum alicuius Religiosi Priuati, quia hic non est Officialis Monasterij, seu Conuentus, *& inclusio vnius est exclusio alterius*, ergo dum dicitur *Falsificatio Manus, aut Sigilli Officialium*, excluditur Falsificatio Manus, aut Sigilli cuiuscumque alterius Religiosi Priuati, & non Officialis.

Religiosus, qui falsificat Manum, aut Sigillum Officialium non in rebus pertinentibus ad Monasterium, seu Conuentum, sed ad Personas ipsorum Officialium, cùm enim in Casu res sit odiosa, & per consequens restringibilis, probabilius est cum Lezana Verb. Falsarius num. 3., quòd Mens Pontificis Reseruantis sit, quòd ly *Officialium* sumi debeat formaliter, prout Officiales sunt, & non vt tales Personæ præscindendo ab Officio, & Munere suo.

Religiosus, qui falsificat Sigillum, quod non est speciale Muneri talis Officialis, sed est eiusdem figurę cum alijs, vel est Sigillum priuatum, quodcumque illud sit, etenim non est Sigillum Officialis ostendens Religionis authoritatem, nec dicitur Monasterij Sigillum, quod quidem Sigillum debet habere Characteres impressos, & Insignia, seu Arma Monasterij *Cap. Inter Dilectos De Fide Instrument.*

Religiosus, qui bona fide Litteras suas Sigillo Officialis obsignat, vel quia caret proprio, vel quia vult, vt suæ Litteræ securiùs perueniant ad Manus illius, ad quem mittuntur, etenim hìc deest malus animus, ac dolus, sed ad bonum finem vtitur tali Sigillo, sicut in Religionibus solet fieri, vbi cùm non peccet, *saltem mortaliter*, consequenter nec in Reseruationem incidit.

Religiosus, qui falsificat Litteras iniustas Officialium Monasterij, seu Conuentus, & hoc facit occultè ad redimendam propriam vexationem, nec enim tunc mortaliter peccat, *cùm defensio sit de Iure naturæ Vt Vim ff. De Iustitia, & Iure*. Neque obstat *Textus in Cap. Olim*, vbi Clericus, ex eo quòd immutauit Litteras quorumdam Iudicum, estò iniustas, tamquam Falsarius Litem amisit. Nam ad hoc dicimus, quòd in illo Texto non probatur, Litteras fuisse iniustas, vt putat Panormitanus num. 6. De Referu., ita Duardus disp. 8. sect. 11. num. 117.

Religiosus, qui cæpit falsò fabricare Sigillum Officialium Monasterij, seu Conuentus, sed antequàm perficiat, facti pęnitens destitit ab Opere incępto, quia non potest dici commisisse Falsificationem, sed tantùm habuisse intentionem falsificandi Sigillum, quia numquam Sigillum dicitur falsò fabricatum, nisi in eo Insignia, Characteres, & Nomen Monasterij, seu Conuentus fuerint sculpta.

Religiosus, qui subfuratur verum, & proprium Monasterij, seu Conuentus Sigillum, vel subfuratur Litteras Officialium Monasterij, seu Conuentus ex praua intentione, vt Sigillum simile, vel Litteras similes dolosè faciat, ac imitetur, sed postea facti pęnitens nec fabricat Sigillum, nec Litteras similes imitatur, nam constat, quòd hìc non

habeatur

habeatur falsificatio, sed sola intentio committendi falsitatem, nec fuit consummata.

Religiosus, qui falsificat Litteras Officialium Monasterij, seu Conuentus in aliquo Modico, quod non est contrà mentem ipsorum, vt si errorem tantùm gramaticalem corrigat, etenim hoc faceret prospiciendo honori, seu decentiæ Litterarum eorumdem, & absque mutatione substantiali Sensus, seu significati Litterarum, propterea non falsificaret plùsquàm materialiter, non peccaret, & consequenter non incideret in Reseruationem, secùs si mutatio foret substantialis, & dolosa.

Religiosus, qui aut lacerat, vel comburit Litteras, aut frangit Sigillum Officialiũ Monasterij, seu Conuentus, etenim hoc non est falsificare Manum, aut Sigillum, sed destruere rem in totum, Falsificatio autem non destruit rem in totum, sed solùm alterat, & mutat à sua origine, vel veritate, ex Bordono Resol. 46. num. 7. in fine.

Religiosus, qui vtitur Scriptura falsificata, at non ipse falsificauit, sed alter, nam Vsus, & Falsificatio sunt diuersa, & *Pontifex* prohibet Falsificationem, nec loquitur de Vsu, & ideò de vno ad aliud non fit illatio *Cap. Ad Audientiam Ext. De Decimis*, & ille, qui confecit Instrumentum falsum, perfecit Delictum suum, sed non qui illo vtitur, quia in isto Opus non est consummatum ex Graffio hic num. 20., & paritatem adducit Homobonus part. 3. Sect. 1. Cap. 5. De illo, qui Litteris Apostolicis ab altero falsatis vtitur, hic enim non incidit in Excommunicationem latam *in Bulla Cœnæ Domini*, cùm per illam solùm Falsarij earumdem Litterarum Excommmunicationis Gladio feriantur, non autem Vtentes, vt habetur in Bulla, vbi Vgolinus Cap. 6. §. 2. num. 7.

Religiosus, qui mandat falsificari Manum, aut Sigillum Officialium Monasterij, seu Conuentus, siquidem mandare non est propriè facere *ex L. 1. §. Deijecisse*, & in Casibus Reseruatis Verba sumenda sunt secundùm propriam significationem ex Graffio supracit. num. 3. Idem dicitur de Religioso, qui consulit Falsificationem, cùm facere, mandare

mandare, & consulere maximè inter se differant, & pęnæ imposita facienti non ligat Mandantem, aut Consulentem, nisi à Legislatore exprimatur ex Sayro lib. 3. tom. 1. cap. 2. sub num. 6., at non exprimitur modò *à Clemente VIII.* Idem de Fauentibus, & Auxiliantibus dicatur.

Religiosus, qui ratihabet falsificationem huiusmodi factam ab alio Religioso, nec enim vllo modo dicitur causa delicti, nec dicitur per Ratihabitioné cooperari ipsi, quia iam ignoranter Delictum commissum fuit consummatum. Tum quia *Ratihabitio æquiparatur Mandato C. Ratihabitionis de Reg. Iuris in 6.*, ergo sicuti non incurrit in Reseruationem Mandans ex anteà dictis, nisi exprimatur, ita nec incurrit Ratihabens.

Religiosus, qui falsificat Manum, aut Sigillum *Prælati* in alio Ordine, nisi per Constitutiones, & Ordinationes, in suo Ordine aliter statuatur, sicuti apud Nos Minores Obseruantes decernitur in Casu 16. Reseruato per illa Verba *Aut Personæ Notabilis*, & de hoc inferiùs num. 14.

11. Confessarium autem, si ipse facultatem habet absoluendi ab hoc Crimine, quod *Romanus Pontifex* Superioribus Regularibus reseruari permittit, volo pro praxi admonitum non satis esse, quòd Religiosus Pęnitens dicat, se falsificasse Manum, seu Litteras, sed vlterius interrogandus sit, nùm fortè Litteras Apostolicas falsificauerit, huic enim Casui adnexa est Excommunicatio *in Bulla Cęnę Domini Reseruata soli Papæ;* nùm per falsas Litteras, vel falsum Sigillum fuerit ad aliquem sacrum Ordinem promotus, eoque sit functus, eò quòd *per Constitutionem Pij II. Incipient. Cùm ex Sacrorum*, Suspensione, & Irregularitate innodatus est, à quà tamen, & super quam Prælato Religionis per Pontificia Priuilegia absoluere, & dispensare conceditur, vt constat *per Compendium Priuileg. Mendicant. in Verb. Absolutio quoad Fratres, & in Verb. Dispensatio*; inquirendus etiam sit, an talis Religiosus falsis Litteris, & inuito proprio Superiore facultatem audiendi Confessiones Sæcularium ab Episcopo Loci obtinerit, cùm contrà Religiosum Obedientiam grauiter deliquerit; &

ab eodem

ab eodem Superiore puniri poterit ex Graffio part. 1. lib. 1. decif. Aur. cap. 13. num. 88. , & si per Litteras à suo Superiore suspensus fuerit ab Audientia Confessionis , tunc contraueniendo peccat mortaliter , & fit irregularis ; Inquirendus quoque sit num Scripturas , aut Sigillum alicuius Officialis Monasterij , seu Conuentus falsificauerit , etiamsi posteà damnum , vel effectus , quem ipse intendebat , non sequatur , licet ipsis falsificatis vsus non fuerit , quia adhuc incidit in Casum Reseruabilem per *Clementem VIII.* , aut num falsificauerit Scripturas , aut Sigillum , & simul vsus fuerit ipsis falsificatis , siquidem si solùm falsificauerit Scripturas , aut Sigillum Officialium , & vsus etiam fuerit illis dolosè , debet Confessarius tunc Religiosum Pęnitentem inducere quoque ad restitutionem damni sequuti , debet acerbè illum increpare , & inducere ad perfectam Contritionem tanti Criminis patrati , grauissimam Ei iniungere Pęnitentiam , præsertim præseruatiuam , quando opus fuerit , deinde ipsum absoluere , si facultatem habeat . Hæc dicta sint ad tenorem *Casus Septimi* , *quem Clemens VIII.* reseruari permittit .

12. Vt verò de Falsificatione Litterarum , aut Sigilli iuxta Casus 15., & 16. positos in tabella Reseruationis *PP. Minorum de Obseruantia S. P. N. Francisci* mentionem habeamus , examinanda veniunt breuiter Verba vtriusque Casus secundùm propriam significationem . Quapropter dicitur in Casu quintodecimo : *Generalis* , *vel Prouincialis* , *aut eorum Secretariorum Litteras tum Missas* , *tum accipiendas* , *impedientes* , *frangentes* , *falsificantes* , aut quomodolibet intercipientes . Dicitur in Casu sextodecimo : *Sigillum Ordinis* , *vel cuiusuis alterius Prælati* , *aut Personæ Notabilis Falsificantes* . Dicitur ergo in priori Casu *Generalis* , & sub nomine Generalis veniunt etiam Vicarius Generalis , Comissarius Generalis , & V. Commissarius Generalis . Dicitur *vel Prouincialis* , ad quod nomen reducuntur Vicarius Prouincialis , Commissarius Prouincialis , Commissarius Visitator , & Pręses Capituli . Dicitur *aut eorum Secretariorum* , isti sunt Officiales , quibus respectiuè commissa est

Cura

mandare, & consulere maximè inter se differant, & pęna imposita facienti non ligat Mandantem, aut Consulentem, nisi à Legislatore exprimatur ex Sayro lib. 3. tom. 1. cap. 2. sub num. *6.*, at non exprimitur modò *à Clemente VIII.* Idem de Fauentibus, & Auxiliantibus dicatur.

Religiosus, qui ratihabet falsificationem huiusmodi factam ab alio Religioso, nec enim vllo modo dicitur causa delicti, nec dicitur per Ratihabitioně cooperari ipsi, quia iam ignoranter Delictum commissum fuit consummatum. Tum quia *Ratihabitio æquiparatur Mandato C. Ratihabitionis de Reg. Iuris in 6.*, ergo sicuti non incurrit in Reseruationem Mandans ex anteà dictis, nisi exprimatur, ita nec incurrit Ratihabens.

Religiosus, qui falsificat Manum, aut Sigillum Prælati in alio Ordine, nisi per Constitutiones, & Ordinationes, in suo Ordine aliter statuatur, sicuti apud Nos Minores Obseruantes decernitur in Casu *16.* Reseruato per illa Verba *Aut Personæ Notabilis*, & de hoc inferiùs num. 14.

11. Confessarium autem, si ipse facultatem habet absoluendi ab hoc Crimine, quod *Romanus Pontifex* Superioribus Regularibus reseruari permittit, volo pro praxi admonitum non satis esse, quòd Religiosus Pęnitens dicat, se falsificasse Manum, seu Litteras, sed vlterius interrogandus sit, nùm fortè Litteras Apostolicas falsificauerit, huic enim Casui adnexa est Excommunicatio *in Bulla Cęnę Domini Reseruata soli Papæ;* nùm per falsas Litteras, vel falsum Sigillum fuerit ad aliquem sacrum Ordinem promotus, eoque sit functus, eò quòd *per Constitutionem Pij II. Incipient. Cùm ex Sacrorum*, Suspensione, & Irregularitate innodatus est, à quà tamen, & super quam Prælato Religionis per Pontificia Priuilegia absoluere, & dispensare conceditur, vt constat *per Compendium Priuileg. Mendicant. in Verb. Absolutio quoad Fratres, & in Verb. Dispensatio*; inquirendus etiam sit, an talis Religiosus falsis Litteris, & inuito proprio Superiore facultatem audiendi Confessiones Sæcularium ab Episcopo Loci obtinerit, cùm contrà Religiosum Obedientiam grauiter deliquerit, & ab eodem

ab eodem Superiore puniri poterit ex Graffio part. 1. lib. 1. decis. Aur. cap. 13. num. 88., & si per Litteras à suo Superiore suspensus fuerit ab Audientia Confessionis, tunc contraueniendo peccat mortaliter, & fit irregularis; Inquirendus quoque sit num Scripturas, aut Sigillum alicuius Officialis Monasterij, seu Conuentus falsificauerit, etiamsi posteà damnum, vel effectus, quem ipse intendebat, non sequatur, licet ipsis falsificatis vsus non fuerit, quia adhuc incidit in Casum Reseruabilem per *Clementem VIII.*, aut num falsificauerit Scripturas, aut Sigillum, & simul vsus fuerit ipsis falsificatis, siquidem si solùm falsificauerit Scripturas, aut Sigillum Officialium, & vsus etiam fuerit illis dolosè, debet Confessarius tunc Religiosum Pęnitentem inducere quoque ad restitutionem damni sequuti, debet acerbè illum increpare, & inducere ad perfectam Contritionem tanti Criminis patrati, grauissimam Ei iniungere Pęnitentiam, præsertim præseruatiuam, quando opus fuerit, deinde ipsum absoluere, si facultatem habeat. Hæc dicta sint ad tenorem *Casus Septimi*, *quem Clemens VIII.* reseruari permittit.

12. Vt verò de Falsificatione Litterarum, aut Sigilli iuxta Casus 15., & 16. positos in tabella Reseruationis *PP. Minorum de Obseruantia S. P. N. Francisci* mentionem habeamus, examinanda veniunt breuiter Verba vtriusque Casus secundùm propriam significationem. Quapropter dicitur in Casu quintodecimo: *Generalis*, *vel Prouincialis*, *aut eorum Secretariorum Litteras tum Missas*, *tum accipiendas*, *impedientes*, *frangentes*, *falsificantes*, aut quomodolibet intercipientes. Dicitur in Casu sextodecimo: *Sigillum Ordinis*, *vel cuiusuis alterius Prælati*, *aut Personæ Notabilis Falsificantes*. Dicitur ergo in priori Casu *Generalis*, & sub nomine Generalis veniunt etiam Vicarius Generalis, Comissarius Generalis, & V. Commissarius Generalis. Dicitur *vel Prouincialis*, ad quod nomen reducuntur Vicarius Prouincialis, Commissarius Prouincialis, Commissarius Visitator, & Pręses Capituli. Dicitur *aut eorum Secretariorum*, isti sunt Officiales, quibus respectiuè commissa est

Cura

Cura Secreti, Epiſtolas ſcribendi, eaſque Sigillo Ordinis, & Prouinciæ obſignandi; qui autem præfatorum Litteras falſificant, in quintumdecimum Caſum apud Nos Minores Obſeruantes Reſeruatum incurrunt, nec præſens Caſus meminit illorum, qui falſificant Litteras cæterorum in Ordine, aut in Prouincia Superiorum, vel Officialium.

13. Dicitur autem in poſteriori Caſu *Sigillum Ordinis*, quod in Mea Religione eſt illud idem, quo reliqui Miniſtri Generales *à Seraphici S. P. Noſtri Franciſci tempore vtebantur*, *& Romanus Pontifex Leo X.* decorauit Reuerendiſſimum *Patrem Fratrem Chriſtophorum Numaium de Forolivio*, communibus Suffragijs electum in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Minorum, anno 1517. in Conuentu Aracęlitano Romæ, Præſidentibus Capitulo Eminentiſſ. ac Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus Dominico Grimano Ordinis Protectore, Petro de Auoltis, & Laurentio Puccio. *Fuit Reuerendiſſimus Pater Frater Chriſtophorus Numaius Patria Foroliuienſis, Sanguine Clariſſimus, Prouinciæ Obſeruantis Bononiæ Alumnus, Vir omnigena Virtute præſtentiſſimus, rexit Ordinem anno vno S. R. Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus Iſernienſis, deinde Alatrinenſis.*

Hic eſt *primus Miniſter Generalis Obſeruantium*, ad quos Auctoritate *Leonis X.* translatus eſt Titulus Miniſtri Generalis Fratrum Minorum, & *Patribus Conuentualibus* datus eſt Titulus Magiſtri Generalis Conuentualium. Nunc verò ex conceſſione *Sixti V.* Generales Conuentualium gaudent Titulo Generalis Miniſtri Conuentualium, non amoto tamen Titulo Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum ab obſeruantibus, *ex Decreto S. Rituum Congregationis 22. Martij 1631.*

14. Dicitur *Vel cuiuſuis alterius Prælati*, ideſt non ſolùm Falſificantes Sigillum Generalis, ſed etiam Prouincialium, & Guardianorum ex Obſeruantia, quibus meritò addi poteſt Procurator Generalis Ordinis, ſeu Commiſſarius in Romana Curia, qui habet proprium Sigillum in Ordine, ſicuti dat Nobis intelligere Clauſula illa vniuerſalis, dum dicitur *Vel cuiuſuis alterius Prælati*. Additur poſteà *Aut*

*alterius*

*alterius Personę notabilis*, sub qua Clausula comprehenduntur etiam Prelati aliorum Ordinum, Princeps ipse Laicus, aliique Personæ maximæ auctoritatis iuxtà Statuta Nostra Sambucana.

15. Dixi, quòd *Prælatorum Nostrorum numero addi potest Procurator Generalis Ordinis*; cuius munus est maximæ preeminentiæ, & maximæ Dignitatis; *maximæ* inquam, *preeminentiæ*, prout ad eum pertinet statutis diebus perorare in Capella Pontificia *coràm Sanctissimo Domino Nostro Papa*, *& Sacro Cardinalium Senatu*, eidemque Capellæ debito tempore interesse, quasi totius Ordinis, vel Generalis Personam repręsentando, ex Lezana Tom. 2. cap. 13. num. 25., eius verò locus in Capella est post Episcopos, & Generales Ordinum, & quoad Procuratores Generales Ordinis Minorum præcedentia datur Procuratori Generali Obseruantium respectu Procuratoris Generalis Patrum Conuentualium *ex Sacra Congregatione in vna Romana sub die 25. Ianuarij 1602.* referentibus Lezana Verb. Procuratores Religionum num. 4., & Nauarro in Lucerna Regul. Verb. Præcedent. num. 18. *Maximę*, inquam *Dignitatis*, prout Procurator Generalis Ordinis habet Iurisdictionem ordinariam immediatam Fori contentiosi erga Forenses omnes aliarum Prouinciarum, à Romana Obseruante, & Reformatis Cismontanis, Forenses enim ad Romanam Curiam accedentes præsentant Procuratori Generali Litteras suæ Obedientiæ, causam sui aduentus aperiunt, cum licentia ab ipso obtenta exeunt è Conuentu, & in omnibus negotijs ei obediunt, & si fortè aliquis Forensis Romæ graue aliquod Crimen patret. Procurator Generalis Processum instituit, recluditque Reum, si timeat de fuga. Apostatas Procurator Generalis absoluit à Censuris solemniter in Communitate Refectorij, ijsque format Litteras Obedientiæ, vt ad proprias Prouincias redeant, quæ, & alia similia, vt debitè fiant, cùm Iurisdictionem requirant, procul dubio à Lege censentur concessa, vt intelligamus, quòd respectu Forensium, & Apostatarū Procurator Generalis exercet munus Prelatiæ, & Superioritatis,

consequenter in Ordine Nostro est propriè Prelatus, & in falsificando ipsius Sigillo incurritur Reseruatio Casus, sicuti in falsificando Sigillo Generalis, vel Prouincialium, aut Guardianorum, qui apud Nos absque vlla difficultate censentur Prælati.

Quando autem Falsificatio Reseruata habeatur Litterarum, aut Sigilli *apud Nos*, & quando habeatur non reseruata, facilè colliges ex Serie supradicta Incidentium, & non Incidentium in Casum Septimum Reseruabilem *per Clementem VIII.*, notando quòd *apud Obseruantes* magis extendatur Reseruatio, *quàm in Decreto Clementino*, vt constat.

16 Præter Reseruationem habentur etiam *Pœnæ in Statutis Generalibus Sambucanis cap. 7. §. 6. num. 61.*, deductæ ex Decretis Capitulorum Generalium Salmaticensis cap. 7., & Vallisoletani 1593., vbi sic legitur: *Qui per se, vel per alios, Litteras, aut Sigilla Prælatorum Ordinis Nostri, aut alterius Personæ notabilis falsificauerit, ipso facto Sententiam Excommunicationis incurrat, ac etiam arbitrio Superioris carceretur; Si verò Sigilla, & Litteræ fuerint Generalium, sine eorum assensu Falsificatores è Carcere liberari non possint, ac etiam ad omnia Officia Ordinis perpetuò sint inhabiles.*



OCTA-

# OCTAVVS CASVS

## RESERVABILIS A SVPERIORIBVS REGVLARIVM

*Furtum de Rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quę sit peccatum Mortale.*



1. NOmen hoc *Furis* adeò abominabile est in Consortio Hominum, vt nihil pestilentiùs, nihil odiosiùs à Bonis reputetur, cùm Furtum sit contrà Bonum commune, contrà Bonum videlicet Societatis humanæ, quæ per Furta valdè turbatur, atque dissoluitur, deinde opponitur Furtum nedum Charitati, qua vnusquisque tenetur non solùm velle Bona, sed nec inferre mala, & nocumenta Proximo, verùm etiam aduersatur Iustitię, qua vnusquisque tenetur reddere Proximo, quod suum est. Nullum profectò genus Hominum, quàm in Furtorum infamia laborantium despectiùs est, ideò à cunctis Legibus Fur grauissimis plectitur pęnis, quòd verò nobis specialiter occurrit notandum ex Diaz: in Practica Crimin. Canon. cap. 91., est, quòd Iudex Ecclesiasticus grauiori pęna punit Clericum, qui in obsequio alicuius degit, si Furtum intrà Domum illius, cui inseruit, committat, quàm si extrà eius Domum, quoniam quis Domesticos Fures effugere valebit, nisi eos seuerior pęna, quàm alios à tanto facinore retrahat? Sunt Religiosi obsequio sui Ordinis fa-

miliariter emancipati, grauiori propterea plectitur pęna. Furtum Religiosorum, qui in Religione, in qua degunt, Furta grauia committunt, rebus temporalibus, & Spiritualibus quoque nocent, Sacram Congregationem Religiosorum conturbant, eorumque bonum spirituale impediunt, vnde licet nimis rigidè saltem temporibus nostris, religiosè tamen de Furibus loquitur Ioannes Trullo lib. 2. Can. Regul. cap. 23 num. 9. dicens, quòd pergraue est peccatum Furti in Religionibus, & Religiosi Fures sunt à Religione expellendi, sicut expelluntur Incorrigibiles, & hoc ad vtilitatem ipsorum, vt cùm se expulsos intueantur, confusione, tribulationeque percussi ad Cor reuertantur. Pęnæ autem Religiosis Furibus ex *Nostris Statutis Generalibus*, *per Amenum part. 1. tit. 6. §. 19.* est huiusmodi: *Furtum committens, suffragiorum Iure biennio est priuandus; Proprietariorum pęnam luere tenetur, & si Furtum fuerit notabile, aut iteratum, vel ex Sacro loco, aut Sęcularium Domibus, aut bonis, crescente sceleris turpitudine, crescere etiam debet seueritatis districtio, Superiorum arbitrio.* Ad tantum igitur Crimen à Religionibus arcendum, & ad quietem in Claustris roborandam permittit *Clemens VIII.*, posse à Superioribus Regularibus reseruari, seruatis modo, & forma sui Decreti, *Furtum de Rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quę sit peccatum mortale*, & *Octauo* Casui Clementino parificatur Duodecimus in Nostra Religione Reseruatus Ministro Generali Totius Ordinis Minorum *Seraphici Sancti Patris Nostri Francisci*, necnon Prouincialibus in Conuentibus suarum respectiuè Prouinciarum, qui Casus in Tabella sub his Verbis legitur: *Rei Sacræ, vel notabilis Furtum perpetrantes.*

2. Verba Octaui Casus Reseruabilis sic elucidantur. Dicitur *Furtum de Rebus Monasterij, seu Conuentus*, & à Theologis definitur Furtum *Acceptio Rei alienæ occulta, siue Vi, Domino rationabiliter inuito*. Ex qua definitione habes, quòd per ly *Acceptio* innuatur, requiri ad Furtum, vt Fur sibi saltèm ad modicum tempus Rem alienam vin-

dicet,

dicet, quòd si Religiosus nullo modo vindicet, sed distrahat, proijciat, comburat Rem Monasterij, non erit Fur, at Damnificator. Habes per ly *Rei alienæ*, non esse Furtum, si Religiosus rem ad suum particularem Vsum applicatam afferat ab alio Religioso, quia non est acceptio Rei alienæ, siue autem Res aliena sit temporalis, vt sunt Pecunia, Habitus, Palium, Calceamenta, Vinum, Oleum, Panis, Libri Sacristiæ, aut Conuentus, & alia similia, siue sit Sacra, aut Benedicta, vt sunt Calix, Patena, Pixis, Reliquiæ Sanctorum, Indumenta Sacerdotalia, Mappæ Altarium, Thuribulum, & cętera huiusmodi, quando Religiosus hæc, & similia de Officinis Monasterij, de Cella alterius Religiosi, de Sacristia, de Ecclesia aufert, *Furtum de Rebus Monasterij* committit. Habes per ly *Occulta*, *& sine Vi*, quòd si à Religioso Res Monasterij, quæuis sit, auferatur palàm vidente Superiore, facta Vi, & violentia, Furtum propriè, de quo loquitur Reseruatio, non committatur, sed committatur propriè Rapina specie a Furto distincta, de qua non procedit Reseruatio, Furtum verò occultè, sine Vi, & violentia patratur. Habes etiam per ly *Domino rationabiliter inuito*, quòd si à Religioso occultè, & sine Vi Res Monasterij auferatur, sed consentiente, aut sciente Superiore, tunc non committatur Furtum, quia Superior, non est inuitus; quando autem dubitatur, an Superior sit inuitus, tunc potiùs debet præsumi, quòd sit inuitus, quia generaliter nemo præsumitur velle spoliari Re sua. Habes tandèm, quòd si à Religioso occultè, & sine Vi Res Monasterij auferatur, sed Superiore irrationabiliter inuito, si v. g. Religiosus auferens constitutus sit in extrema necessitate, non committatur Furtum. Hæc quantum ad illa Verba Clementina: *Furtum de Rebus* Monasterij.

3. Dicitur: *In ea quantitate, quæ sit peccatum mortale*, quæ verba non eodem modo elucidantur à Theologis, quia nec apud Sacros Canones reperitur determinata quantitas in Furto, quæ sit peccatum mortale, & ideò valdè variant Doctores in tanta difficultate, vbi tamen Omnes reflectunt

flectunt qualitati Personæ, cui Res aufertur, an scilicet sit valdè Diues, vt sunt Magnates, qui splendidè viuunt, an sit mediocriter Diues, vt sunt Ciues, & Mercatores, an sit negatiuè Diues, sicuti sunt Operarij laborantes, qui vitam suam, & Suorum sustentant, nec tamen mendicant, & an sit Persona mendicans, & positiuè inops. Si valdè Diuitibus quis furetur vnum Aureum, vnus Aureus erit in Furto quantitas, quæ est peccatum mortale; si mediocriter Diuitibus quis medium Aureum auferat, medius Aureus erit sufficiens quantitas pro Furto lethali. Si negatiuè Diuitibus quatuor auferantur Iulij, isti conficient in Furto quantitatem, quæ est peccatum mortale; si tandem Personæ positiuè Inopi, & Mendicanti quis duos furetur Iulios, duo Iulij in Furto erunt quantitas notabilis, & mortalis. Conformiter ad hos quatuor Status Personarum censeo cum melioribus Doctoribus, quòd iudicandum sit de quantitate, & qualitate Furti facti à Religioso in sua Religione, itaut in Religione valdè diuite si Religiosus surripiat valorem vnius Aurei, hic sufficiat pro Furto mortali; in Religione mediocriter Diuite si Religiosus furetur medium Aureum, hic sit quantitas sufficiens pro Furto mortifero; in Religione negatiuè diuite, quæ scilicet nec positiuè diues, nec positiuè pauper est, si Religiosus quatuor auferat Iulios, isti quantitatem Furti lethalis complebunt; in Religione positiuè paupere, & mendicante, si Religiosus rem Monasterij furetur valoris duorum Iuliorum, isti erunt quantitas sufficiens pro Furto Mortifero perficiendo, consequenter pro Reseruatione *Octaui Casus Clementini* incurrenda, & hanc Opinionem præ cæteris amplector tamquam probabiliorem, & magis accomodatam Statibus Omnium Religionum; Persona autem Sęcularis auferens à Personis enumeratis, sicut & Religiosus auferens à Monasterio quantitatem minorem, quam dictum est, non dicitur patrare Furtum mortale, quia per quantitatem minorem supradicta ablatam non redditur Dominus adeò inuitus.

4 Neque valet, si dicas, quòd ratione alicuius Circumstantiæ,

cumstantiæ, & quasi per accidens possit quis contra supradictas Regulas mortaliter peccare, vt si Acum à Sutore, qui alium non habet, quo possit ea die sibi Victum acquirere, surripiat. Non, inquam, valet, quia Acus est materia modica in ratione Furti, & Furtum Acus non est propriè Furtum, sed solùm in specie iniustæ damnificationis est graue peccatum, & ideò si Excommunicatio, aut Reseruatio feratur contrà Furtum; Fur Acus non incurreret, quia Furtum leue foret ex Tamburino in Decal. lib. 8. tract. 2. cap. 2. num. 3.

5. Notant tamen Doctores, quòd non cum tanto rigore attendenda est quantitas notabilis Furti in Religiosis, ac attenditur in Personis Sęcularibus, præsertim si Religiosi repetitis Furtulis Comestibilia de Rebus Monasterij ad proprium Vsum, & non vt vendant, vel donent, surripiant, etiamsi successu temporis ad notabilem quantitatem deueniant ex Sanchez lib. 7. cap. 2. num. 31., eò quòd Superior non censetur rationabiliter inuitus; Religiosi enim Subditi respectu Superioris æquiparantur quodamodò Filijs respectu Patris, qui relatè ad Furtula Filiorum non censetur rationabiliter inuitus, etiamsi deueniant ad quantitatem notabilem; circà hoc tamen rectè inquit Lugo disp. 3. De Iustit., quòd Religiosi Subditi non omnimodè equiparentur Filijs, tùm quia Religiosi Subditi non succedunt in Bona Monasterij, sicuti succedunt Filij in Bona Patris, tùm quia Superior non solùm respicit damnum temporale, quòd à Subditis causatur per repetita Furtula, sed multò magis respicit damnum spirituale Subditorum, quod tamen non respicitur à Patre relatè ad Filios, quapropter faciliùs sunt inuiti Superiores, quàm Patres, negari tamen non potest, quod Religiosus mortaliter peccet, qui magnam simul Comestibilium quantitatem clàm surripit ad proprium Vsum, quàmuis maior requiratur quantitas ad peccandum mortaliter, si surripiat ad proprium vsum, quàm ad vendendum, vel donandum, eò quòd in hoc Secundo Casu Superior sit magis inuitus.

6. Sed quid si Religiosus, qui aliqua modica de Rebus

bus Monasterij furatus est, alia deinde furetur, quæ notabilem cum illis modicis quantitatem constituunt?

℞. Quòd Religiosus, qui aliqua modica de Rebus Monasterij furatus est, si alia deinde furetur, quæ notabilem cum illis modicis præcedentibus quantiatem constituunt, vel aduertit in vltima acceptione ad Furtula præcedentia, vel non aduertit, si aduertat, quòd in vltima acceptione cum reliquis Furtulis præcedentibus coalescat in fine quantitas notabilis, vtique mortaliter peccat, & grauitèr nocet Monasterio; si non aduertat ad alia Furtula præcedentia, & vltimum Furtulum committat præteritorum immemor, & nullatenus cogitans ex illis omnibus simul cum vltimo Furtulo coalescere quantitatem notabilem, tunc mortaliter non peccat, cęterùm siue Religiosus aduertat, siue non aduertat tenetur sub Culpa mortali ad restitutionem, quando aliqua modica de Rebus Monasterij furatus est, deinde in vltima acceptione facta inuito rationabiliter Superiore deuenit ad quantitatem notabilem cum graui damno Monasterij, immò ad hanc restitutionem tenetur sub graui, etiamsi absque animo deueniendi ad talem quantitatem notabilem surripuerit, & oppositum fuit reprobatum *ab Innocentio XI. in Propositione trigesima octaua ex sexaginta quinque Damnatis*.

7. Verùm tenetur ne Religiosus Monasterio restituere sub mortali totam quantitatem per plura illa Furtula ablatam, an potiùs illam solam quantitatem ablatam per vltimum Furtulum, quo dicitur deuenisse ad peccatum mortale Furti?

℞. Quòd teneretur Religiosus restituere solùm quantitatem ablatam per vltimum Furtulum, illam scilicet quantitatem, quæ compleuit quantitatem notabilem, qua restituta non dicitur amplius retinere Rem Monasterij notabilem, si enim ante vltimum Furtulum non tenebatur sub graui restituere, eò quòd non haberet tunc Rem Monasterij notabilem, sic neque tenebitur sub peccato graui ad restituendam quantitatem leuem antecedentem, postquàm restituit vltimam, per quam Furtum factum est graue, &

ne, & restituta hac vltima non dicitur Religiosus ampliùs detinere notabilem quantitatem, ex Bonacc. De Restit. disp. 2. qu. 8. punct. 2. num. 2., & ex alijs.

8. Aduertendum tamen est, quòd quantitas maior ad Furtum Mortale requiritur, quando quis repetitis Vicibus modica semper furatur ab eodem, quàm si simul, & vnica Vice furetur, eò quòd ille, cui in primo Casu quis furaretur, esset minùs inuitus, & minùs detrimentum sentiret, ideò volunt aliqui Doctores, quòd quantitas debeat esse dimidio maior, ille autem, cui quis simul, & vnica Vice furaretur, foret magis inuitus, & maiùs nocumentum pateretur. Item ad Furtum mortale in repetitis Vicibus requiritur quædam moralis continuatio temporis, non autem longa interruptio, aut magnum temporis interuallum, quod interuallum pro euitando peccato mortali secundum aliquos Doctores esset, si inter vnum, & aliud Furtulum intercedat Annus, secundùm alios, si intercedant sex Menses, secundùm alios, si vnus Mensis, & secundùm alios, si quindecim dies intercedant, at Tamburinus cit. cap. 3. §. 1. num. 3. in hoc, & in similibus Casibus rectè aduertit, meliorem Regulam desumendam esse à prudentia, considerando damnum Proximi, aut Communitatis, eiusque inuoluntarium.

9. At quid, si Religiosus duobus Religiosis sui Ordinis modica de Rebus Monasterij disiunctim surripiat, quæ tamen coniunctìm notabilem quantitatem compleant?

℟. Quòd eadem ratio currat, sicuti in num. 6. nimirùm, quòd hic Religiosus, vel aduertat in vltima acceptione ad Furtula præcedentia, in qua acceptione completur summa notabilis, quia tunc suppositis prioribus acceptionibus incipit esse causa Damni notabilis, vel non aduertat, & factus sit immemor Furtulorum præcedentium in vltima acceptione, hinc modò sic discurras, sicut in num. præcitato. Ità discurrunt Theologi de illis, qui iniusto pondere, & mensura vendunt Merces, quando perueniunt ad quantitatem notabilem damnificatiuam totius Communitatis, & hoc est valdè repugnans Societati, &

Comercio humano, ac *prouerb.* 11. *prohibetur: Statera dolosa abominabilis est apud Deum*, *necnon damnatur ab Innocentio XI. in Prosp.* 38. *sic: Non tenetur quis sub pęna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca Furta, quantùmcumque sit magna Summa totalis*. Addo tamen, quòd quando quis furatur multis, & modica singulis, maior etiam arbitrio Prudentum requiratur quantitas, vt Furtum sit lethale, & obliget sub graui ad Restitutionem, quàm requiratur, quando quis per repetitas Vices semper modica furatur eidem, ex Sanchez, Rubello, Felix, & alijs.

10. Dices: Cur ergo solet dici, quòd innumera Venialia non possunt euadere vnum Mortale, & adhuc dicitur, quòd plura Furtula leuia euadant vnum Furtum graue, & lethale?

℞. Quòd quidem verùm sit, quòd innumera Venialia, non ęquiualeant vni Mortali, sed non est verum, quòd plura Furtula leuia non æquiualeant vni Furto graui, & lethali; plures ergo Damnificationes leues æquiualent vni graui, & notabili in ordine ad faciendum Dominum rationabiliter inuitum, igitur quàmuis multa Venialia numquàm pertingant ad Mortale, plura tamen furtula possunt ad vnum graue, & lethale Furtum pertingere, quando scilicèt Furtula præcedentia ita coniunguntur vltimæ acceptioni, vt posita aduersantia coalescant in vnum Furtum notabile, conflatum ex tot modicis Furtulis,

11. Verum quid si Furtulo, quod complere dicitur notabilem Furti quantitatem, Religiosus addat aliud Furtulum?

℞. Quòd in Sententia probabiliori etiam Mortaliter peccet, eo quòd notabile damnum præcedens velit efficere maius, & Religiosus pergat notabiliter damnificare Monasterium, ita Rebellus Tract. de Iustitia part. 1. lib. 3. qu. 15. sect. 4. num. 38. quem sequitur Sanchez in Opere Mor. Tom. 1. lib. 1. cap. 4.

12. Hìc nota, quòd vt plurimùm Religiosus Fur est etiam Proprietarius, vt si de Rebus Monasterij quantita-

tem

tem notabilem furaretur, Superiore rationabiliter inuito; poteſt tamen Religioſus eſſe quandoque Proprietarius, & non Fur, vt ſi acciperet à Seculari quantitatem notabilem ſine licentia Superioris, nam tunc peccaret peccato Proprietatis Reſeruato, & non peccato Furti, ſicuti etiam ſi Religioſus ſurriperet à Principe, vel ab aliquo Monaſterio valdè Diuite quatuor Iulios, tunc incurreret in peccatum Proprietatis Reſeruatum, & non in Caſum Reſeruatum Furti, eo quòd in præſenti non eſſet Furtum lethale, cùm non peruenerit ad Valorem vnius Nummi Aurei iuxtà Regulas datas ſuprà in num. 3. Nummus autem Aureus, teſtante P. Felix Tom. 1. part. 2. cap. 3. num. 2619., importat Valorem treſdecim Iuliorum cum dimidio; præterquàm quòd Furtum hoc non eſſet de Rebus Monaſterij, ſeu Religionis, in qua degit Fur. Dixi *incurrere in peccatum Proprietatis Reſeruatum*, eo quòd licet malitia Furti menſuretur à quantitate Rei ablatæ, Domino rationabiliter inuito, qui remanet damnificatus, & à qualitate Perſonæ, cui fit Furtum, an ſcilicet ſit valdè Diues, an mediocriter Diues, an negatiuè Diues, an poſitiuè Pauper, attamen malitia Proprietatis conſurgit ſemper ex ſola tranſgreſſione Voti Paupertatis, quia inuito Prælato Religioſus ſibi aliquid appropriat, & ideò *Clemens VIII.* peccato Proprietatis, & peccato Furti Mortalis de Rebus Monaſterij diuerſam Sedem dedit in ſuo Decreto, prout malitia Religioſi Proprietarij, & malitia Religioſi Furis ſunt duæ Malitiæ ſpecie diſtinctæ, prior contrà Votum Paupertatis, & poſterior contrà Iuſtitiam commutatiuam, eſtò ſæpè ſæpiùs iſtæ duæ Malitiæ reperiantur ſimul in eodem actu.

Vt ergo deſcendamus ad Caſus practicos, & diſcernamus Religioſos Incidentes in Octauum Caſum Reſeruabilem à non Incidentibus, diſcurramus ſic.

# IN RESERVATIONEM INCIDVNT

*Furti de Rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum Mortale.*

13. RELigiosus, qui furatus est de Rebus Monasterij, seu Conuentus quantitatem mortalem à Cella alicuius Fratris particularis, cuius Vsui Superior eas applicauerat, eò quòd Res ad Vsum Fratris particularis applicatæ, non desinunt esse Res Monasterij, seu Conuentus, & licet in Religionibus omnia sint communia, Vsus tamen aliquarum Rerum non est omnibus communis, sed à prudenti. Superioris iudicio debet suis Subditis iuxtà Gradus, & Officia applicari, & hoc ad tollendos Scrupulos declarauit de hac re consultus *Clemens VIII.*, referente Sorbo in Compend. Regul. Verb. Absolutio Ordin. quoad Fratres, ex Suarez Tom. 4. de Relig. Tract. 1. lib. 2. cap. 18. num. 11., Coriolano, Peyrino, & alijs contrà Dianam part. 1. tr. 6. Resol. 44.

Religiosus, qui furatus est quantitatem Rerum Monasterij mortalem alicui Fratri particulari habenti licentiam donandi, & alienandi eam extrà Religionem, eò quòd quàmdiù illam retinet, & illam non alienat, res semper est Monasterij quoad proprietatem, & dominium, vndè semper est in potestate Superioris reuocare dictam alienandi licentiam, iuxtà præallatos Doctores.

Religiosus, qui furatus est quantitatem Rerum Monasterij mortalem, non solùm ad finem conuertendi eas in proprium Vsum, sed etiam ad finem distribuendi ipsas in Eleemosynam, & de facto distribuit, vt in *C. Non est putanda*, *& in C. Si fortè* 24. *qu.* 5., nec enim Rei alienę citrà Furtum fieri potest Eleemosyna *ex L. Si pignore* §. 1. *ff. de Furt.*, nisi necessitas Pauperis esset extrema, cui Monasterium succurrere teneretur, cùm tunc temporis omnia sint communia *C. Discipulos de Consecr. d.* 5., *& ex D. Tho-*

*ex D. Thoma* 2. 2. *qu.* 66. *art.* 8., vel nisi supponatur Ratihabitio Superioris, quando Religiosus consuetam Pauperibus elargitur Eleemosynam C. *Exijt De Verb. Signific.*, vel nisi Religiosus per excessum Charitatis erga Pauperes hoc faciat, sicuti legitur de Nostro Patriarcha *S. Francisco*, & de B. Iunipero, qui, vt Pauperes cooperirent, aliquando se expoliabant habitu proprio, & idem legitur de alijs Viris Religiosis, verùm isti, qui Spiritu Dei aguntur, non sunt sub Lege, quapropter excusantur.

Religiosus, qui furatus est quantitatem Rerum mortalem v. g. Pecunias, vel alias Res, quibus Prouincialis vtitur, etenim vt benè explicat Suarez supracit. sub illo termino singulari *Monasterij*, *seu Conuentus* à fortiori comprehenditur pluralis *Monasteriorum*, *seu Conuentuum*, Bona autem Prouinciæ vt sic sunt Omnium Monasteriorum simul, hinc Pecuniæ, & aliæ Res, quibus vtitur Prouincialis, cùm sint Prouinciæ, erunt consequenter vniuscuiusque Monasterij, seu Conuentus.

Religiosus, qui alteri Religioso furatus est Scripta, in quibus ille multùm vigilando desudauit, hoc enim reputatur Furtum magnum ex damno magno illato, siue postea furatus sit, vt illis vtatur contra voluntatem Domini, siue ad aliquem malum finem, v. g. vt ea combureret, vel vt in foueam, aut in Puteum, aut in Sterquilinium proijceret, in quo Casu non solùm interuenit Furtum, sed etiam contemptus Rerum Sacrarum, & contrà hunc inquiri posset, quidnam sentiat de Fide, ità Coriolanus part. 2. Casu 8. num. 14.

Religiosus, qui contrà Præceptum sui Superioris descendit in Hortum Monasterij, & furatus est Fructus cum ipsius damno notabili, quòd si in Odium Superioris, & in Contemptum formalem Præcepti Sanctæ Obedientiæ Fructus conculcet pedibus, vel in sterquilinium, seu in latrinam proijciat, non solùm in præsentis Casus Reseruationem incidit, sed reputatur etiam Suspectus de Fide, & potest interrogari, quid sentiat de Votis Religionis, sic multi Doctores, & addit Paramus De Orig. Inquisit. lib. 3. qu. 10.

qu. 10. à num. 58. per totum, quòd esset speciale peccatum Hæresis.

Religiosus, qui furatus est Sacras Monasterij, seu Conuentus Reliquias, nam sunt Res valdè pretiosæ, quàmuis pretio nummario non æstimentur, nec excusat consensus, seu conuiuentia Sacristæ, neque licentia Prælati, quia nec Sacrista, nec Prælatus sunt Reliquiarum Domini, sed Monasterium ipsum, & totum Capitulum Monasterij, quapropter Religiosus non solùm committit Furtum Reseruatum, sed etiam Sacrilegium, *quod ex Cap. Si quis 17. qu. 4. per Ioannem Papam committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, vel Sacrum de non Sacro.* Idem dicitur si Religiosus fuerit furatus Calicem, Patenam, Pixidem, Thuribulum, Indumenta Altarium, aut Sacerdotum, aut alia huiusmodi de Ecclesia, seu Sacristia, & *ex Cap. Conquæstus de Sent. Excommunic.* Religiosus erit ipso facto excommunicatus, si pro patrando Furto Sacrilego effrangat violenter Muros, Fenestras, Portas Ecclesiæ, seu Sacristiæ, diruat Seras, frangat Armaria, aut alio medio violento paret sibi ingressum in Ecclesiam, aut Sacristiam. Patres verò Minores de Obseruantia in Casu 12. Reseruato sic exprimunt: *Rei Sacræ, vel notabilis Furtum perpetrantes.*

Religiosus qui furatus est quantitatem Rerum Monasterio mutuatarum mortalem, etenim is dicitur, *Furtum fecisse de Rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale*, quoniam Res mutuatæ Monasterio sunt Monasterij, cùm de ratione Mutui sit transferre dominium penes Mutuatarium *L. 2. §. Apellata ff. Si cert. petat*, proinde dicitur, quòd si res mutuata pereat, etiam absque culpa Mutuatarij, perit Mutuatario, & non Mutuanti.

Religiosus, qui non solùm vnica Vice furatus est de Rebus Monasterij quantitatem notabilem, & mortalem, sed etiam ille, qui plura modica de Rebus Monasterij pluribus Furtulis surripuit, & aduertenter ad dicta Furtula præcedentia post breue temporis interuallum furatus est alia vice,

vice, qua dicitur compleuisse quantitatem Furti notabilem, & mortalem de Rebus Monasterij, quæ tamen quantitas debet esse dimidio maior quàm si omnia simul furatus esset, iuxtà dicta num. 8.

Religiosus, qui furatus est de Rebus Monasterij, seu Conuentus quantitatem notabilem, & Mortalem, siue Furtum fuerit manifestum, siue fuerit non Manifestum; erit Manifestum, si Fur cum Re furtiua fuerit visus, aut fuerit deprehensus à Domino, vel ab alio; erit non manifestum; si Fur cum Re furtiua non fuerit visus, nec deprehensus ab alio, antequam eò perueniat, quò asportare, vel deponere determinauit, ex *L. Manifestum* §. *De Furt.*, *&* §. *Furtum in Instit. De Obligat. Quæ ex delicto nascuntur*, quòd ergo Furtum sit manifestum, vel non manifestum, quoties est de Rebus Monasterij in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale, reseruatur.

Religiosus, qui vel non degit de Familia in Monasterio suæ Religionis, vbi quantitatem Rerum Monasterij mortalem furatus est, seu ibi solùm commoratur vt Hospes, eò quòd *Casus Clementinus* Reseruabilis non specificat Furtum notabile, & mortale de Rebus Monasterij, seu Conuentus, in quo degit de Familia, sed loquitur generaliter, & afficit Omnes, & Singulos Subditos illius Religionis, cuius est Prælatus Legislator, consequenter comprehendit etiam Subditos Hospites, seu Forenses contra Duardum disp. 8. Sect. 11. num. 142.

Monialis sub regimine Prælatorum Regularium, item Nouitiæ, & Nouitij, qui quantitatem de Rebus Monasterij, seu Conuentus mortalem furati sunt, si hic Casus reseruetur in sua Religione, cùm hæc materia sit accomodabilis Religiosis vtriusque sexus tàm Professis, quàm non Professis, qui Habitu Religioso induti nondùm se obstrinxerunt Voti Religionis.

IN RESER-

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT

*Furti de Rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum Mortale.*

14. RElIgiosus, qui de Rebus Monasterij, seu Conuentus furatus est quantitatem leuem, etiamsi habuerit animum furandi de Rebus Monasterij, seu Conuentus quantitatem notabilem, etenim Furtum solùm exteriùs grauiter peccaminosum includitur in Reseruatione, & licet per prauum animum, prauamque intentionem furandi de Rebus Monasterij mortiferè peccet, nisi tamen illam quantitatem notabilem actu furetur, non incidit *in Casum Octauum Reseruabilem*.

Religiosus, qui Cellam ingreditur alterius Religiosi, & ibi aufert Rem Monasterij notabilem, quam habet ad suum Vsum, habet tamen Religiosus, qui aufert, animum illam iterum restituendi, etenim non diceretur Fur, nec ex hoc Capite peccaret peccato Furti, quia hæc non est acceptio, sed Mora iniusta reddendi alteri, quod ad eum spectat, ex Iunypero part. 3. disp. 10. qu. 1. num. 2.

Religiosus, qui Cellam ingreditur alterius Religiosi, eique aufert occultè Gladium, quo alioquin erat aliquem priuaturus Vita, vel ei aufert occultè de Cubiculo Scripta Geomantiæ, Pyromantiæ, Pecuniam alteri furatam, & alia huiusmodi, vt vel ea scripta comburat, vel hanc pecuniam consignet Superiori, aut illi restituat, ad quem pertinet, non enim committit Furtum, quia non fit iniusta Rei alienæ Acceptio, quæ est necessaria ad Furtum, auferret quidem scripta, quibus vti non est permissum, & auferret pecuniam, quam iustè retinere non potest, cùm sit alterius, vnde auferret, vt Domino legitimo restitueret.

Religiosus qui faciendi causa Furtum mortale de Rebus Monasterij intrat in Cellam Superioris, sed vel non potuit

fuit confumare, quia fuperuenit Superior, vel fuit ab alio impeditus, vel fe pęnituit, quapropter nihil furatus eft, etenim non diceretur Fur, nec voluntas faciendi Furtum eft facere Furtum Referuatum, fed folùm Furtum mentale, quod nifi fit exteriùs confumatum in quantitate notabili, non cadit fub Referuatione, ex Coriolano.

Religiofus, qui ab altero Religiofo habente fuperflua, & contrà voluntatem Superioris aufert rem Monafterij, feu Conuentus notabilem, vt alteri fubueniat in neceffitate vrgenti conftituto, cui alter fubuenire non poteft, etenim in tali Cafu debet præfumi voluntas Superioris, quòd Res fuperflua illius applicetur ifti indigenti, & per confequens non erit Furtum, nec Cafus, de quo in præfenti loquimur.

Religiofus, qui de rebus Monafterij, feu Conuentus in notabili quantitate occultè accipit, quia credit, Prælatum, fi adeffet, id fibi permiffurum, & iuftam habet Caufam fic credendi, vt fi Religiofus fit valdè familiaris, & fingulariter dilectus Prælato, hinc nec peccat; aliter verò dicendum foret, fi vel nullam iuftam habeat fic credendi caufam, vel tantùm incertam habeat, cùm in dubio debeat præfumere Prælatum potiùs inuitum, ac diffenfurum, eò quòd nemo cenfeatur velle, quòd fua Bona fint prædæ expofita, hinc lethaliter peccaret Subditus, effet Fur, & in Referuationem *Octaui Cafus* incurreret.

Religiofus, qui furatus eft materiam in fe paruam de Rebus Monafterij, feu Conuentus, eftò fit maxima fi compareture ad magnam affectionem Superioris, & ad magnam valdè moleftiam ipfi fubfequturam, vt fi v. g. Religiofus auferat primum Fructum ex Horto, quem Superior Matrone Benefactrici promiferat, eft enim Fructus ille in fe materia parui valoris, & eum furripere erit potiùs peccatum mortale contrà Charitatem in ratione contriftationis, quàm Furtum propriè, vel fi Furtum, erit leue, & non obnoxium Referuationi.

Religiofus, qui *palam*, *& per Vim*, Superiore vidente, & diffen-

& dissentiente, aufert de Rebus Monasterij, seu Conuentus quantitatem, quæ est peccatum mortale, nam Furtum propriè sumptum excludit Vim, & Violentiam, ad differentiam Rapinæ, quæ de sui natura, Vim, & Violentiam, contrà Dominum rationabiliter inuitum imbibit, & cùm simus in pęnalibus, non est, cur faciamus ampliationem, & accipiamus Verba extrà suam propriam significationem, estò sit grauior Culpa.

Religiosus, qui grauiter damnificat Monasterium, scilicet impediendo Bonum acquirendum, vel acquisitum alienando, distrahendo, proijciendo, comburendo, nam dicitur quidem iniustus Damnificator, sed non Fur, sicuti nec iniusta Damnificatio dicitur Furtum, & sicut Excommunicatio lata contrà Furem non comprehendit iniustum Damnificatorem, ex Bonaccina qu. 1. de Censuris punct. 3. num. 11., ita nec Reseruatio lata contrà Religiosum Furem de Rebus Monasterij, seu Conuentus in quantitate mortali dicitur comprehendere Religiosum Damnificatorem, & hæc est differentia inter vnum, & alterum, quòd Fur est Rei alienę in propriam vtilitatem Vsurpator, at verò iniustus damnificator nihil in proprium commodum conuertit, vt de se patet.

Religiosus, qui mandat Seruo Sęculari Monasterij, vt alicui Fratri particulari suæ Religionis furetur Pallium, Habitum, aut aliud notabilis quantitatis, quæ sit peccatum Mortale, & de facto furatus est, ac dedit Religioso mandanti, non enim incurreret Seruus Sęcularis Fur in Reseruationem, vt constat, neque incurreret Religiosus mandans, eò quòd qui mandat fieri Furtum, non dicitur verè, & propriè facere Furtum, sed per alium fictè facere Furtum, & causam solùm præbere *L. Item si Obstetrix* §. 1. *ff. ad Legem Aquil.*, *& L. 1. Deijecisse ff. De Vi, & Vi Arm.*, peccaret verò grauiter, esset Proprietarius, & teneretur ad Restitutionem. Vide Meam Apodixim Casu 13. n. 26. Multò minus incurreret in Reseruationem Religiosus ex Obseruantium Familia vbi Reseruatio non fertur in Rem, sed in Personam, & non exprimitur mandans,

dùm

dùm dicitur: *Rei Sacræ, vel notabilis Furtum Perpetrantes.*

Religiosus, qui furatus est de Rebus Monasterij alienæ Religionis, vel de Rebus alicuius Personæ Sęcularis, & extraneæ quantitatem notabilem, quæ sit peccatum mortale, eo quòd Reseruatio sicuti non se extendit nisi ad Religiosos Subditos Prælati Legislatoris, ita non se extendit, nisi ad Res Monasterij, seu Conuentus de eiusdem Iurisdictione, neque se extendit ad Res Sęcularium, etiamsi in tali Casu Religiosus Fur seueriori pęna esset plectendus, eo quòd secundum *Statuta Generalia Patrum Minorum de Obseruantia*: *Crescente Sceleris turpitudine, crescere etiam debet seueritatis districtio, Superiorum Arbitrio*.

Religiosus, qui furatus est de Rebus, quæ sunt in Monasterio, seu Conuentu quantitatem lethalem, non autem de Rebus Monasterij, seu Conuentus, nam Res Monasterij seu Conuentus sunt bona communia ipsius, vel sunt bona destinata ad Vsus Religiosorum, at Res, quæ sunt in Monasterio, seu Conuentu non sunt ipsęmet, quæ sunt Monasterij, seu Conuentus, sed sunt illæ, quæ sunt alterius Domini à Monasterio, seu Conuentu, & cadunt quidem sub Furto mortali, sed non Reseruato, nisi tamen essent Res, quæ forent alterius Monasterij, seu Conuentus de eadem Religione. Quod dictum est vsque adhùc de Religiosis Viris, cuiusque Gradus, & Conditionis sint, dicatur etiam de Monialibus subiectis Regimini Prælatorum Regularium, & de Nouitijs vtriusque Sexus in illo Ordine, vbi hic Casus reseruatur.

15. An verò si Religiosus Rem, aut commodatam, aut locatam Monasterio, aut depositam apud Monasterium in quantitate notabili furetur, incidat in Reseruationem huiusce Casus?

℟. Quòd non incurrat in præsentis Casus Reseruationem, quandoquidem in his Contractibus, vt constat ex eorum definitionibus suo loco, non trasfertur dominium Rei, definitur enim *Commodatum*, quòd sit illud, quo Vsus alicuius Rei gratis alteri conceditur sine translatione dominij;

*Locatum*, quòd fit illud, quo Vfus alicuius Rei traditur alteri fine translatione Dominij ad tempus fed adhibito aliquo pretio annuatim foluendo; *Depositum*, quòd fit illud, quo aliquid alteri cuftodiendum datur fine Vfu, fiue cum pretio, fiue fine pretio. Cùm igitur Religiofus Rem, aut commodatam, aut locatam Monafterio, aut depofitam apud Monafterium in quantitate mortali furetur, iam fequitur, quòd nihil fub dominio Monafterij furetur, confequenter nec Res commodata, aut locata Monafterio, aut depofita apud Monafterium fit verè dicenda res Monafterij, fed res Commodantis, Locantis, aut Deponentis, nec Religiofus incidit in Referuationem *huius Octaui Casus*. Contrarium verò diximus de Re mutuata Monafterio, adeò vt fi Religiofus Rem mutuatam Monafterio in quantitate mortali furetur, cùm per Mutuum transferatur dominium, iam fequitur, quòd Res Mutuata Monafterio fit Res fub Dominio Monafterij, & dicatur verè Res Monafterij, hinc Religiofus in præfentis Cafus Referuationem incurrit; definitur autem *Mutuum*, quòd fit illud, quo Res quoad Dominium, & Vfum ad certum tempus à Mutuante transfertur in Mutuatarium, cum obligatione reftituendi Rem eamdem, vel fimilem in fpecie, & qualitate.

16. Quomodò verò Religiofus, qui quantitatem de Rebus Monafterij, feu Conuentus Mortalem furripuit ad finem mœcandi, debeat fe exprimere in Confeffione?

℞. Quòd inter Circumftantias exprimendas in Confeffione enumeretur *Cur*, feu propter Quid, vt conftat ex illo Verficulo: *Quis, Quid, Vbi, Quibus Auxilijs, Cur, Quomodò, Quandò*, ly ergo *Cur* fi denotet Circumftantiam finis de fe peccaminofi, propter quem fiat Opus peccaminofum, tunc finis eft neceffariò exprimendus in Confeffione, finis autem propter quem in noftro Cafu Religiofus furatur quantitatem de Rebus Monafterij, feu Conuentus mortalem, eft mœchari, & tunc Circumftantia finis eft neceffariò exprimenda in Confeffione à Religiofo, quia Mœchia nouam fuperaddit malitiam fpecie

diuerfam

diuersam à malitia Furti; secùs dicendum, si Iy *Cur* denotet Circumstantiam finis, qui de se non est mortaliter peccaminosus, vt si quis omittat auditionem Missæ in die Festo, vt attendat Studio, tunc satis est in Confessione exprimere solam omissionem Missæ, & non finem, nempè attentionem Studio, eo quòd tota Malitia est in transgressione Præcepti de audienda Missa, quo Præcepto circumscripto nulla malitia remanet in actu studendi, sicuti si quis ob finem dandi Eleemosynam furaretur, iste non peccat nisi peccato Furti, & tota malitia remanet in actu Furti, nulla autem in elargitione Eleemosynæ, ideò sufficit exprimere in Confessione Furtum, & non finem Furti, ex Palao, Suarez, Diana part. 1. tract. 7. Resol. 23., & alijs.

17. Si ergo Circumstantia finis, seu Mechiæ est actus de se peccaminosus, & medium, scilicèt Furtum graue de Rebus Monasterij ad finem mechandi est Opus peccaminosum, poterit ne Religiosus in Confessione explicare illas duas malitias seorsìm?

℞. Cum Sententia mihi probabiliore, quòd non, debeat verò ambas malitias coniunctìm exprimere in Confessione, prout vna ordinatur ad aliam, sicut medium ad finem, ideò tenetur Religiosus exprimere simul medium, & finem, dicendo furatus sum de Rebus Monasterij, seu Conuentus quantitatem mortalem propter Mechiam, nec satis est, si dicat seorsìm, furatus sum, & posteà mechatus sum, vel habui intentionem mechandi, ità *Syluester*, Megala, Nugus apud Dianam citatum, adeò vt si fateatur vnum, & obliuiscatur alterius, teneatur simul fateri vtrumque peccatum.

18. Num autem Religiosus Fur iuxtà Octauum Casum Reseruabilem obligetur ad restituendū ablatum Monasterio?

℞. Quòd obligetur non quidem obligatione propriè capta eo quòd Religiosus nihil habet proprium, sed obligatione impropriè sumpta, nam Onus restituendi in Casibus, vbi lesa fuit Iustitia commutatiua, & Ius alterius, est de Iure naturali, deductum ex illo Iuris naturæ Principio,

*reddendi*

*reddendi vnicuique quod suum est*, vnde si Religiosus non habeat peculium, ex quo restituat, tenetur laborare, vel ex sibi concessis aliqua subtrahere v. g. de Cibo, Potu, & Vestitu, immò Confessarius potest eum obligare, ne à Monasterio recipiat Vestimentum, vt ità compenset damnum illatum.

19. Confessarius ergò interroget Religiosum pęnitentem de quantitate Rei ablatæ Monasterio, & de qualitate eiusdem Rei, an sit prophana, an Sacra, quia si sit Res Sacra, erit Sacrilegium, quòd si, vt furetur rem Sacram, Ecclesiæ, aut Sacristiæ Muros, Fores, Fenestras, Armaria, & alia violento medio fregerit, aut disruperit, erit Excommunicatus; inquirat, an à Monasterio Religionis diuitis, an pauperis, & mendicantis quantitatem sufficientem ad Reseruationem iuxtà Regulas datas suprà num. 3. surripuerit; videat, an etiam in Reseruationem Quarti Casus incurrerit, sicuti vt plurimùm contingit; ostendat Pęnitenti grauitatem delicti patrati, quòd semper reputatur grauius in Persona Religiosa, quàm Sęculari *C. Homo dist.* 40.; obliget ipsum, vt Monasterio restituat omnimodo sibi possibili; Pęnitentia deinde non leui iniuncta, dummodò Religiosus sit Contritus, Absolutionem ei impartiatur. Hæc sufficiant quoad *Octauum Casum Reseruabilem*.




NONVS

# NONVS CASVS

## RESERVABILIS A' SVPERIORIBVS REGVLARIVM

*Lapsus Carnis volontarius Opere Consumatus.*



1. Scandalosa mehercle, & sacrilega est Peccati Carnalis deformitas in Personis Regularibus solemne Castitatis Votum professis, vnde nec mirum est quòd à Laicis passim parui pendantur, risui, ac contemptui habeantur Religiosi turpi Luxuriæ cęno inuoluti, qui Religiosæ Honestatis in Populo fulgere debent exemplis. Exhorescit animus huius Vitij fęditatem audire, huiusue Monstri impuritatem tractare, quod solum inter cætera nomen Turpitudinis propriè retinet, eò quòd, inquit *Angelicus Doctor* 2. 2. *qu.* 156. *art.* 4., *omnia carnali cupiditate, quæ nobis est communis cum Belluis, non ratione metiatur*. De hoc itaque turpissimo Crimine, quo nihil tetrius, nihil periculosius, nihil detestabilius est, nonus Casus per *Clementem VIII. Reseruabilis* loquitur, & in ipsius animaduersionem *Romanus Pontifex* Superioribus Regularibus Virgam auctoritatis exhibet permittens, vt ab ijs reseruari possit. Ego interim de ipsomet, ne alienę Modestiæ displiceam, maxima cum circumspectione tractabo, & breuem de eius Reseruatione intelligentiam, Diuina

Diuina opitulante Gratia, præstabo. *Hic est primus ex tribus Casibus Reseruatis P. Guardiano Ordinis Minorum Conuentualium*

1. Dupliciter itaque solet à Superioribus Regularibus reseruari eiusmodi Casus, *primò simpliciter*, prout scribitur *in Decreto Clementino*, & tres, vt reseruetur, imbibit conditiones, nimirùm quòd Casus *sit lapsus Carnis*, *quòd sit voluntarius*, *& quòd sit opere consummatus*, & nisi coniunctim habeantur istæ tres conditiones, nec habebitur Reseruatio; *secundò cum hac limitatione*, scilicet quòd sit opere consumatus solùm in secundam Personam, ex Graffio lib. 3. cap. 8. num. 4. qui ait, à *Clemente VIII*. declaratum fuisse Reuerendo Adm. Procuratori suo Generali Romæ pro tempore tunc existenti, non ex hoc prohiberi, quin Prælatus possit reseruare solùm actum consumatum in secundam Personam, si ità sibi placuerit, intelligas tamen in Capitulo Generali, vel Prouinciali *iuxtà formam Decreti Clementini*.

Quoad primam conditionem, quæ est *Lapsus Carnis*, dico probabiliùs cum melioribus Doctoribus, quòd per Lapsum Carnis comprehendatur omne peccatum Luxuriæ cum Seminis effusione quocumque modo prouocata in actu exteriori, hinc comprehenduntur non solùm simplex Fornicatio, Stuprum, Adulterium, Incestus, Raptus, Sacrilegium, Sodomia, Bestialitas, sed etiam simplex Pollutio, seu Mollities, quæ est voluntaria Seminis effusio extrà Vas, & de his Luxuriæ speciebus tractat *D. Thomas* 2. 2. *qu.* 154. *per vndecim Artic.*, vnde quando Peccatum Carnis peruenit ad Pollutionem, dicitur Lapsus carnis consumatus in specie propria Pollutionis, & hoc satis est ad Reseruationem., quàmuis non perueniatur ad consumationem illius actus, quem fortasse peccans intendebat, Copulæ scilicet Carnalis ex Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 18. num 12.

Quoad secundam conditionem, quæ est, quòd sit *Voluntarius*, dico, quòd, vt Lapsus Carnis cadat sub Reseruatione, debet esse factus cum plena aduertentia Intel-

lectus,

lectus, & cum pleno voluntatis consensu, nec sufficit, si factus sit cum semiplena Intellectus aduertentia, & deliberatione, necnon cum semipleno voluntatis consensu, v. g. à Semidormiente, à Semiebrio, à distracto, aut ab alio, qui non est plenè sui Compos.

Quoad tertiam Conditionem, quæ est, quòd sit *Opere Consumatus*, dico, quòd per Opus externum, idest per voluntariam Seminis effusionem Lapsus Carnis, vt reseruetur, debeat voluntariè perfici, in quacumque specie Luxuriæ perficiatur, siue effusio Seminis fiat in Vase naturali, aut innaturali, siue extrà Vas, siue cum Fęmina, vel Coniugata, vel soluta, vel Moniali, siue cum Mare, siue cum Persona sua propria, siue cum secunda Persona, siue à se solo, siue cum auxilio Socij, ex Bordono Re fol. 48. num. 20., quia semper est Lapsus Carnis voluntarius Opere consumatus, effusione scilicet Seminis. Addo, quòd per ly *Opere Consumatur*, excludatur Lapsus Carnis voluntarius per consensum internum, aut morosam delectationem, itaut non exeat in lapsum externum, & ideò solùm peccata Carnis externa consumata per Seminis effusionem comprehendantur sub illis Verbis *Opere Consumatus*, & omnia peccata Carnis interna consensu, & cogitatione completa excludantur.

3. Probabiliori Suarez, Lezanæ, Fragosij, Bordoni, & aliorum Opinioni libenter adhereo, qui Reseruationem huius *Noni Casus Clementini* explicant iuxta primum sensum, & quoad tres dictas conditiones, sic explicant PP. Conuentuales in suo Manuali Pag. 153. nec possum assentiri Graffio supracit., qui in secundo sensu, & cum facta limitatione Reseruationem *Noni Casus Clementini* explicat, volens, quòd Lapsus Carnis voluntarius sit Reseruatus solùm, quando Opere consumatus est in secundam Personam, & non aliàs, ita quòd si quis tangendo, aut osculando secundam Personam, se proprijs manibus pollueret, non incideret in Reseruationem huiusce Casus, quia ex vi talis Reseruationis, inquit ipse, requiritur consumatio actus in Corporum coniunctione. Sed in hoc multis

 displicet

displicet Graffius, quoniam absque coniunctione corporum potest haberi Lapsus Carnis voluntarius Opere in omni rigore consumatus, quoties peccatum peruenit ad Pollutionem, quia illud peccatum habet propriam speciem, in qua consumatur, *ex D. Thoma cit.*, propterea vt verificentur *Verba Clementina* in ordine ad Reseruationem, non est necesse, quòd peccatum semper perueniat ad Copulam carnalem, siue naturalem, siue innaturalem cum secunda Persona, aut bestialem, sicut existimat ipse Graffius, quem sequitur Iuniperus part. 3. disp. 11. qu. 2. cap. Vnic. n. 1. volens, sub hac Voce *Lapsus Carnis* comprehendi solùmmodò Copulam Carnalem, quòd Nos absolutè negamus, non tamen negamus, quod Prælati Regulares in Capitulis possint restringere Casum hunc Clementinum ad Copulam Carnalem, vt dixi in prima Parte num. 7. Declaratio autem, quam per *Clementem VIII.* addit Graffius, factam fuisse suo Procuratori Generali, cùm authenticè constare non possit, ideò testimonio eius tota non est præstanda fides.

4. Displicet quoque Coriolanus part. 2. casu 9. num. 15., quem sequitur Kien de casib. reseru. part. 3. cap. 6. num. 5. volens, quòd vt *Lapsus Carnis* Reseruetur, non solùm requiratur externa actio in specie consumata, sed requiratur etiam externa Mediorum applicatio, idest vt cum aliqua actione externa, cum manu scilicet, cum motu, cum tactu, vel cum alio instrumento procuretur, vnde si quis ex turpibus delectationibus voluntariè prolaberetur in pollutionem, absque tamen contactu libidinoso, aut alio externo motu instrumentali, tunc secundùm Coriolanum non incurreret in Reseruationem peccati *Lapsus Carnis*; idem similiter docet de aspectu libidinoso directo in Fœminam pulchram, aut superbè ornatam, si ex tali aspectu oriatur Pollutio, eo quia Oculus impudicus per se censeri non potest propinquè Lapsus Carnis Opere consumatus. Secùs discurrit Coriolanus, si Pollutio oriatur ex aspectu Fœminæ denudatæ, vel eius potioris partis, in qua Impudicitia locum habet. Non, inquam, est audien-

est audiendus, eò quòd applicatio illa externa Mediorum est extrinseca Pollutioni, vnde quomodocumque habeatur Pollutio voluntaria consumata, siue sit causata ab aliquo interno, siue non, & estò per medium externum, seu per motum Corporis, aut per manum non fuerit procurata, semper dicitur *Lapsus Carnis voluntarius Opere consumatus*, & cum Seminis effusione, qui est Casus Reseruabilis per *Clementem VIII.*

5. At numquid sub *Verbis Clementinis* Lapsus Carnis voluntarius Opere consumatus comprehenduntur Sollicitatio ad turpia, Oscula, Tactus, Amplexus impudici, & alia huiusmodi?

℞. Quòd hæc omnia sint quidem contra Castitatem, at non comprehendantur *sub Verbis Clementinis*, quandoquidem *Verba Clementina* sonant consumationem actus in sua specie Fornicationis v. g. Molitiei &c. nullus verò actus in speciebus Luxuriæ dicitur externè consumatus sine effusione Seminis, Sollicitatio autem ad turpia, Oscula, Tactus, Amplexus impudicos, & alia huiusmodi excludunt Seminis effusionem, nec de se sunt actus exteriùs consumati in aliqua specie peccati carnalis, ideò de se non comprehenduntur sub significatione Verborum *Clementis VIII.* ex Lezana cap. 5. num. 10., Diana part. 2. tract. 2. De Dubijs Regul. Resol. 118., Molfett., & alijs.

6. Quòd si *Verbis Clementinis* superaddantur præfati actus citrà effusionem Seminis, & reseruentur cum matura discussione, & consensu Capituli Generalis in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia *iuxtà formam Pontificij Decreti*, dicendo sic: *Et quidquid est contra Votum Castitatis, quòd in actum externum prodeat*, tunc tales actus erunt Reseruati, eò quòd possunt Superiores Regulares, *seruata forma Clementini Decreti*, reseruare sibi prædictos actus, *ampliando Casum nonum Clementinum*, si velint, ex Bordono Resol. 48. num. 21., & de facto sic practicatur *apud PP. Societatis Iesu*, vbi reseruantur omnes vndecim Casus per *Clementem VIII.* reseruabiles, hisque superadduntur alij decem, quorum tertius est hu-

 iusmodi

iuſmodi apud P. Thomam Tamburinum de Caſibus Reſerv. cap. 7. §. 3. num. 3. *Lapſus Carnis voluntarius, & quidquid eſt contrà Votum Caſtitatis, quod in actum externum prodeat*, propterà in Societate reſeruari etiam dicuntur Prouocatio, ſeu Solicitatio ad turpia, Oſcula, Tactus, Amplexus impudici, & alia huiuſmodi, ſiue in propria, ſiue in ſecunda Perſona ſint habiti, ex eò quòd per illa Verba ſuperaddita comprehenduntur prædicti Actus, quatenus mortaliter peccaminoſi, & contrarij Caſtitati, ex Quaranta Verb. Caſus Reſeruati num. 10., ceterùm in illis Religionibus, vbi non ſuperadduntur illa Verba *Quidquid eſt contrà Votum Caſtitatis, quod in actum externum prodeat*, abſolutè dico, ipſos Actus non reſeruari, ex eò quia *Clemens VIII.* ſolùm dixerit *Lapſus Carnis voluntarius Opere Conſumatus*, nec aliud Verbum addiderit.

7. Quando autem illa Verba ſuperaddita: *Et quidquid eſt contra Votum Caſtitatis, quod in actum externum prodeat*, inducant, & non inducant Reſeruationem in Societate, legas Tamburinum loco ſupracit. num. 48. vſque ad num. 51., à quo breuem intelligentiam, ſed ad Dignitatem veneraberis, & edoceberis, quando cenſeatur peccatum contra Votum Caſtitatis prodire in actum externum, & quando non, vt diſtinguas in Societate Caſum hunc Reſeruatum à non Reſeruato.

8. Caſui nono Reſeruabili per *Clementem VIII. conformatur Caſus decimus apud Nos Obſeruantes Reſeruatus*, & eſt huiuſmodi: *Conſumatum Carnis peccatum quodcumque admittentes*, vbi implicitè ponitur *voluntarium*, quia imbibitur in ly *peccatum*, non enim eſt peccatum, niſi voluntarium, & dicitur ly *quodcumque*, quatenus ſeptem Luxuriæ, ſpecies amplectitur; & ſunt Fornicatio, Stuprum, Adulterium, Inceſtus, Raptus, Sacrilegium, peccatum contrà Naturam, *Fornicatio* eſt inordinatus Concubitus Soluti cum Soluta: *Stuprum* eſt Defloratio Puellæ Virginis, ipſa inuita. *Adulterium* eſt inordinatus Concubitus cum Perſona Coniugata: *Inceſtus* eſt inordinatus Concubitus

cubitus cum Persona Consanguinea, vel Affine: *Raptus* est, quo Persona aliqua inuita, vel resistentibus eius Parentibus, vel illis, sub quorum cura est, abducitur per vim ad Libidinem explendam, vel ad Matrimonium contrahendum. *Sacrilegium* est illud, quo Persona Sacra, qualis est Persona Voto Castitatis Deo dicata, vel Locus Sacer violatur. *Peccatum contra Naturam* est illud, quo fit Seminatio modis repugnantibus Institutioni Naturæ, & cùm tres sint isti modi, tres quoque sunt species Peccati contrà Naturam, nimirùm Pollutio, Sodomia, Bestialitas. *Pollutio* est voluntaria Seminis effusio extrà Vas. *Sodomia* propriè est Concubitus inter Masculos in Vase non Naturali, largè autem est Concubitus Masculi cum Fœmina in Vase præpostero, vel Fœminarum inter se. *Bestialitas* est Coitus habitus cum Indiuiduo, seu Supposito animato alterius Speciei ab Homine, siue sit Bestia, siue sit Dæmon in Corpore assumpto. Dicitur etiam *Consumatum*, adeò vt nullum peccatum in supradictis Luxuriæ Speciebus contrà Votum Castitatis censeatur Reseruatum, nisi sit exteriùs Opere consumatus, seu completus, neque sufficit conatus, aut attentatio ad incurrendam Reseruationem, nisi per Legislatorem Reseruantem exprimatur, sicut alibi diximus.

9. Aduertendum est, quòd Nouitius, estò Reseruationibus in sua Religione Statutis subiaceat, non tamen omnibus, sed illis solùm, quarum materia ipsi Nouitio accomodari potest, cùm verò præsentis Casus materia accomodetur tantùm Religiosis Professis, quatenus solemne Castitatis Votum in Religione emiserunt, nec Nouitius, prout Nouitius, solemne Castitatis Votum emiserit, nulla est ratio, propter quam huiusce Casus Reseruationi subdatur, licet grauissimè diceretur peccasse *contrà Sextum Decalogi Præceptum*, eo quidem modo, quo Nouitium, diximus non cadere *sub Reseruatione quarti Casus Clementini*: *Proprietas contra Votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale*, quatenus nondum solemne Paupertatis Votum professus est, estò peccet non se accomodando

Oneribus

Oneribus Religionis, in qua tenetur experiri austeritates, vt probetur in Vita, & Moribus, an Viam perfectionis possit ingredi.

10. At numquid Religiosus Professus Lapsum Carnis consumans cum Nouitio tenetur præter Reseruationem exprimere in Confessione circumstantiam Sacrilegij ex parte Nouitij?

℞. Quòd non obligetur necessariò confiteri talem circumstantiam, sed solùm ad benè esse, quia talis circumstantia notabiliter aggrauat peccatum, prout Lapsum Carnis consumauit cum illo, qui in Schola est Virtutis, & Castitatis, ac ad probandum, si viam Perfectionis possit ingredi, ex Graffio lib. 3. cap. 8. num. 26.; secùs dicendum est, si Professus cum Professo, vel cum Professa Lapsum Carnis consumauerit, in quo Casu teneretur necessariò exprimere in Confessione, quòd ipse sit Professus, & cognouerit Personam solemni Castitatis Voto ligatam, hinc duplex Sacrilegium commisit ob duas iniurias, & irreuerentias numero distinctas, vnum scilicet Sacrilegium, quia violauit Votum, aliud, quia est causa Violationis Voti in alia Persona, eo modo, quo Coniugatus Lapsum Carnis consumans cum Coniugata duo Adulteria committit ob duas iniurias, & iniustitias, quarum vnam infert Vxori suæ, & alteram infert Viro Coniugis cognitæ, ideò tenetur in Confessione necessariò exprimere, se esse Coniugatum, & Coniugatam alteri se carnaliter cognouisse.

11. Sed numquid Religiosus cooperans Pollutioni alterius Religiosi, vel Sodomiam patiens ab alio Religioso incurrat in Reseruationem *noni Casus Clementini*?

℞. Cum Sententia magis probabili, quòd cooperans Pollutioni alterius Religiosi non incurrat, siquidem ex parte cooperantis non verificatur *Lapsus Carnis voluntarius Opere consumatus*, eo quòd supponamus cooperantem ipsum non fuisse lapsum in Pollutionem, quàmuis vterque parem culpam apud Deum contraxerit, ex Sayro in Claue Regia lib. 8. cap. 5. num. 7. Nec in Reseruationem incurrat Religiosus, qui ab altero Sodomiam patitur, dummodò

dummodò Patiens Semen non effuderit, & eadem ratio currit, quia ſcilicet ex parte Agentis ſolùm, & non ex parte Patientis verificatur *Lapſus Carnis voluntarius Opere conſumatus*, quamuis vterque pari pęna puniatur, quandoquidem aliàs dictum eſt, quòd in Caſuum Reſeruatione non fiat extenſio ex indemnitate pęnæ, *ſed in ea fiat ſtricta interpretatio*.

12. Dices: Ex Suarez de Cenſuris diſp. 21. ſect. 2. num. 66. Cenſura lata contrà Facientes includit etiam cooperantes, quoniam Agens, & cooperans ſunt vna ſimul cauſa moralis, ergo et idem in noſtro caſu concludendum eſt pro Reſeruatione.

℞. Quòd antecedens ideò eſt verum, quia Agens, & cooperans concurrunt actiuè ad effectum, ſicuti ſunt v. g. plures ſimul furantes, plures ſimul occidentes, vbi omnes dicuntur facientes, at in noſtro Caſu ſolùm ille, de quo verificatur *Lapſus Carnis voluntarius Opere conſumatus*, dicitur Agens, alter verò dicitur Patiens, hinc ille ſolùm, & non iſte incurrit in Reſeruationem, & eadem ratione Religioſus, qui alterius Religioſi Virilia perfricando cauſauit illi Seminis effuſionem, non incurrit in Reſeruationem, quia quàmuis actiuè ſe habeat ad perfricationem paſſiuè tamen ſe habet ad Lapſum Carnis voluntarium Opere conſumatum, ità probabilior Sententia contrà Coriolanum, Molfett., & alios paucos, quidquid ſit de Pęnis, in quas vnus, vel alter incurrit. His ſuppoſitis, ne Confeſſarij Regulares in Confeſſionibus ſuorum excipiendis excedant limites ſuæ Iuriſdictionis videndum eſt, quinam incidant, aut non incidant in hanc Reſeruat.

## IN RESERVATIONEM INCIDVNT

### *Lapſus Carnis Voluntarij Opere Conſummati.*

13. RElîgioſus, qui non ſolùm patrauit peccatum, vel Fornicationis, vel Stupri, vel Adulterij, vel Inceſtus, vel Raptus, vel Sacrilegij, vel Sodomiæ, vel Be-

vel Bestialitatis, verùm etiam Pollutionis, quia Pollutio est in rigore Lapsus Carnis voluntarius in sua specie Opere consumatus cum Seminis effusione, licet in ordine ad Copulam carnalem consumatus, non fuerit cum secunda Persona, contrà Graffium, & Iuniperum.

Religiosus, qui cum auxilio Socij polluitur, quia siue à se ipso, siue tactu, alterius habeatur Pollutio, cùm sit Lapsus Carnis voluntarius Opere consumatus, cadit sub Reseruatione, in quo Casu si Socius, qui cooperatus est pro Pollutione, sit Vir, vel Fęmina communis, satis est, quòd Religiosus lapsus in Pollutionem dicat in Confessione: *Tactu alterius commisi Pollutionem*, at si Socius, qui cooperatus est, sit Persona Sacra, tenetur necessariò Religiosus lapsus in Pollutionem dicere: *Tactu Personæ Sacræ pollutus fui*, ex eo quòd superadditur noua malitia speciè distincta, non solùm contrà Castitatem, sed etiam contrà Religionem, & hanc Sententiam probabiliorem, & tutiorem defendit P. Mastrius in Theol. Mor. disp. 11. qu. 2. art. 2. nnm. 130., & hoc multò magis est verum cum communi Sententia, si Religiosus lapsus in Pollutionem habuerit affectum ad Personam Sacram, quæ illum tetigit.

Religiosus, qui lapsus est in Pollutionem voluntariam, siue Lapsus volitus fuerit in se, vt cùm quis directè polluitur, siue Lapsus volitus fuerit in causa, quæ sit causa propinqua, & ex natura sua ordinata ad Venerem, vt sunt actus luxuriosi, verba turpia, eorum lectio, & auditio, eò quòd in talem causam consentiens, moraliter quoque in effectum consentire videtur, cum sit causa illius propinqua, quibus in casibus si sequatur Pollutio, quamuis non fuerit volita per se, nihilominus incurritur *Reseruatio noni Casus Clementini*, cum fuerit volita in causa, ex Duardo disp. 8. sect. 11. num. 151.

Religiosus, qui sine aliqua agitatione Corporis, aut sine alio tactu libidinoso, & cum sola vehementi cogitatione ad turpia, aut cum solo aspectu pulchræ Fęminæ, etiam non denudatæ polluitur, etenim Pollutio voluntaria

taria Opere consumata est Reseruata, estò sit causata ab aliquo interno, nec enim medium semper debet esse externum, sed sufficit, si opus prohibitum de se exeat in actum externum completum in genere malitiæ, sub qua reseruatur, & Pollutio siue cum motu Corporis, aut cum tactu, vel sine motu, vel sine tactu, dummodò sit voluntaria, deliberata, & Opere consumata, censetur Reseruata contrà Coriolanum supracit.

Religiosus, qui Copulam habens cum Puero, vel cum Muliere, vel cum Bestia, vel cum Dęmone Succubo se malitiosè disiunxit, & extrà Vas seminauit, quia dicitur voluntariam consumasse Pollutionem, licet cętera peccata carnalia solùm attentauerit.

Religiosus, qui metu Mortis coactus fuit rem veneream habere cum Matrona, etenim Lapsus Carnis eiusmodi est voluntarius simpliciter, & inuoluntarius secundùm quid, estque intrinsecè malus, vnde sicuti non excusatur à peccato, ità nec à Reseruatione; tum quia licet coactè Religiosus carnaliter peccet, attamen *coacta voluntas semper est voluntas* C. 2., 25. *qu.* 2., & tenetur Religiosus Mortem Corporis sustinere potius, quàm mortem Animę, ex Duardo cit. num. 160. Tum quia licet eiusmodi Lapsus non fuerit simpliciter voluntarius in principio actus, fuit tamen postea, à pari de Mercatore propter Tempestatem proijeciente Merces in Mare, nam licet simpliciter non vellet illas proijcere, nihilominus voluntate libera eas proijcit, sic ad rem nostram, Religiosus illę non vellet rem habere cum Matrona comminante Mortem, habet tamen, quapropter *D. Augustinus in Libris de Ciuitate Dei* non excusat Lucretiam illam Romanam, quæ licet quasi coactè, & per metum consenserit Tarquinio minitanti, consensit tamen, & Religiosus non debet consentire, & plura remedia habet ad id non faciendum, maximè *si ex corde Deo se commendet*, *atque Beatæ Virgini*, ex Coriolano part. 2. Casu 9. num. 20.

Religiosus, qui inuincibiliter ignorat Reseruationem talis peccati, licet certò sciat grauitatem eius, etenim

aliàs dictum fuit, quòd Reseruatio sit pęna Confessariorum, prout eorum Iurisdictionem restringit circà particularia Crimina, non sit autem pęna, sed potiùs medicina respectu Pęnitentium cum Sententia probabiliori.

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT

*Lapsus Carnis Voluntarij Opere Cosumati.*

14. Religiosus, qui contrà Votum Castitatis actum patrat cum animo libidinoso, aut cum delectatione interna mortaliter mala, qui actus, spectatis omnibus circumstantijs, non est ampliùs indifferens, vt possit accipi in bonam, vel malam partem, sed eius malitia interna prodit in malitiam externam, quæ de se indicat internam malam voluntatem, sicuti sunt contactus interiùs libidinosi Manus muliebris, Aspectus in Fęminam interiùs prauus, Locutio, & Lectio turpium cum delectatione interna mortaliter mala, estò enim malitia istorum actuum interior manifestetur exteriùs, & malitia exterior indicet malitiam interiorem, attamen stando *Litteræ Casus noni Clementini* est immunis à Reseruatione, cum non habeatur Lapsus Carnis voluntarius Opere consumatus, vbi necessaria est Seminis effusio, cadit autem sub Reseruatione *tertij Casus apud PP. Societatis*, qui addunt: *Et quidquid est contrà Votum Castitatis, quòd in actum externum prodeat.*

Religiosus, qui vel solo consensu interno, cogitatione, vel delectatione morosa peccat contrà Votum Castitatis, vel qui peccatum in aliqua specie Luxuriæ voluntariè inchoauit, sed non consumauit, aut quia non potuit, aut quia se pęnituit, aut quia se voluntariè retraxit, eo quod non verificatur *nonus Casus Clementinus Lapsus Carnis voluntarius Opere consumatus*, & ad consumationem Operis requiritur effusio Seminis, grauissimè tamen peccauit.

Religiosus, qui tangendo, osculando, impudica loquendo, aut turpia cogitando cum delectatione morosa

venit

venit ad quamdam humectationem, seu distillationem, quæ, vt ait Caietanus in Opusc. tom. 1. tract. 22. de Pollut. ex Audientia Confessionum qu. 1. art. 2., est medius, & tertius quidam humor inter Vrinam, & Semen, qui ex quacumque alteratione turpis Membri solet emitti, & de hoc non magis, quàm de Sudore curandum est, nisi ipsum Carnis rebellio comittetur, non ergo inducit Reseruationem, cùm non sit verè Pollutio, nec sit veri Seminis effusio, *Verba autem Legis in materia odiosa, & pœnali secundùm propriam significationem sunt intelligenda*, *& ly Opere consumatus* importat veri Seminis effusionem, cuiusmodi non est humectatio, seu distillatio.

Religiosus, qui in Somnis, postquàm ex Lumbis excisa est Pollutio, expergiscitur, nec eam retinet, nec impedit, cum cohibere non possit, etenim non peccat saltem mortaliter, quia Pollutio inuoluntaria in Semiexperrecto caret lethali Culpa, cum non adsit plenum iudicium, nec perfecta libertas, ideò non cadit sub Reseruatione. Idem dicatur de Semiebrio, de Semidormiente, & de alijs huiusmodi non habentibus perfectum animi iudicium, turpia inuoluntariè, & præter intentionem cogitantibus, vt dum v. g. mediante Studio oportet, Religiosos vacare rebus huiusmodi ad ediscendos Conscientiæ Casus, etenim ad peccatum Mortale contrahendum consequenter ad Reseruationem incurrendam, exigitur perfectum iudicium, ac plena deliberatio, vt in *C. 1. De Delictis Puerorum*. Quòd si Religiosus sit timoratæ conscientiæ, & non sit solitus pollui, dubitet, verò an vigilans, an potius dormiens ceciderit in pollutionem, & an perfectum habuerit iudicium, præsumendum est, fuisse dormientem, & perfectum non habuisse iudicium, siquidem id multoties euenire solet illusione Dæmonum, qui conatur tales Personas Scrupulis infestare, vt benè ait Molfett. part. 1. Summæ Theol. tract. 7. cap. 20. num. 103.

Religiosus, qui cum aliqua Persona deuenit ad Oscula, ad Tactus, ad Amplexus impudicos, posteà dormiens incidit in Pollutionem, etiamsi ierit ad cubandum cum

hoc proposito, & ratio est, quia Lapsus Carnis non fuit voluntariè consumatus, nec Religiosus vigilabat, nec erat perfectè liber, ideò non incurrit in Reseruationem, licet in præcedentibus actionibus cum plena aduertentia, & libertate factis grauiter peccauerit.

Religiosus, qui alterum polluit, aut qui ab alio passus est Sodomiam, nec enim de illo verificatur *Casus nonus Clementinus*: *Lapsus Carnis voluntarius Opere consumatus*, dummodò Cooperans Pollutioni, aut Sodomiæ non fuerit pollutus cum effusione Seminis, iuxtà dicta num. 11.

Religiosus, qui ab alio per vim prouocatus Tactibus, nec potens vllo modo recedere, aut clamare polluitur, tametsi Sensus voluptatem sentiat insitam Pollutioni, sed absque consensu, sicuti accidit in eo, cui inuitò Liquor immiteretur in Gutture, tametsi Gustus delectationem sentiat, de quo non est curandum, ex Graffio c. 8. num. 29. Similem Casum fingit Iuniperus disp. 11. qu. 1. cap. vnic. num. 12. in fine de Religioso, quem Matrona iuberet per vim capi, eiusque Manus, & Pedes ligari, & deinde suprà ipsum Matrona ad modum Viri accubaret, & Copula perfecta haberetur, Religioso Semen effundente inuoluntariè, estò delectationem sentiente insitam Copulæ, sed absque consensu. Profectò Casus hic est toto Cęlo diuersus ab eo, in quo Religiosus metu Mortis cogitur ad Copulam, consentiendo Copulæ, & actiuè se habendo ad ipsam.

Religiosus, qui, vt Muneri audiendi Confessiones sibi imposito à Superiore satisfaciat, audiens peccata carnalia cadit in Pollutionem, & delectationem sentit in effusione Seminis, & ratio est, quia dicitur inuoluntariè pollui, & potiùs pati Pollutionem, vnde nec peccat, quinimmò dicitur potiùs mereri obtemperans Superiori, vt habetur ex Turrecrem. in Summa disp. 5. cap. 1. Dixi *vt satisfaciat muneri sibi imposito à Superiore*, quoniam si Confessarius voluntarie se exponens ad audiendas Confessiones fuerit expertus, vt plurimùm pati Pollutionem, quàmuis inuoluntariam, tunc debet se abstinere à Munere

nere audiendi Confessiones, per Nauarrum in Man. cap. 6. num. 7.

Nouitius, eò quòd non est Religiosus Professus, seu nondum Sacrum Castitatis Votum emisit, ideò non accommodatur Nouitio materia huiusce Casus, nec Sacrilegium committit, si voluntariè ruat in Lapsum carnis Opere consumatum, proinde nec obligatur manifestare in Confessione, se esse Nouitium.

15. Sed numquid Religiosus, qui consilium dat, vel inducit ad turpem, & illicitum congressum Ioannem, & Antonium non obstrictos Voto Castitatis, teneatur manifestare in Confessione præter Inductionem, quòd sit Religiosus?

℞. Quòd non, sed sufficiat confiteri illam inductionem, tacendo, quòd ipse inducens sit Religiosus, seu Voto Castitatis adstrictus, & rationem ex Sanchez assignat Thomas Tamburinus in Methodo Confess. lib. 2. cap. 7. §. 5. num. 32., quia scilicet Votum non videtur se extendere nisi ad obligandum Vouentem, ne ipse in sua Persona delectationes venereas admittat, non verò ne alios ad easdem inducat, propriam enim, suamque Castitatem promisit, non alienam.

16. An autem Religiosus penetrans Vas siue naturale, siue innaturale Maris, vel Fęminæ, vel Monialis, vel Solutæ, vel Coniugatæ, vel alicuius Bestiæ, si Membrum retrahat à Vase, nec Semen intrà, vel extrà emittat, censeatur incurrere *in Reseruationem noni Casus Clementini*?

℞. Quòd non, & ratio est, quia Reseruatio regulariter intelligitur de Delicto consumato, at quando Semen non effunditur siue intrà Vas, siue extrà Vas, non dicitur Delictum consumatum, & constat *ex Verbis Clementinis*, sed dicitur solummodò attentatum, ergo nec dicitur Reseruatum. Similiter quando Lex prohibet aliquod Delictum, Pęnis adiunctis, intelligenda est semper de Delicto perfecto, & consumato, & non de imperfecto, & attentato, propterea quando *Pius V. in sua Bulla Incipient. Horrendum illud Scelus edita Romæ* 1566. *sub die* 3. *Septembris*,

*tembris*, in qua quoscumque Clericos Sęculares, & Regulares cuiuscumque Gradus, & Dignitatis dirum nefas Sodomiæ exercentes ( *nota ly Exercentes* ) priuat omni priuilegio Clericali, omnique Officio, Dignitate, & Beneficio Ecclesiastico, & per Ecclesiasticum Iudicem degradandos, igne comburendos, & statim tradendos esse Sęculari Potestati decernit, *Lex Piana* intelligitur solùm de Sodomia perfecta, & consumata, non verò de imperfecta, & attentata in specie Sodomiæ, vnde illi solum, & non isti adiecit pęnas perfectas. Videas *Tu in Nostris Statutis Generalibus Sambucanis cap.* 7. §. 6. *num.* 23., 24. *Pęnas*, quibus in Nostra Religione plectitur Religiosus, qui notatus fuerit, ac legitimè conuictus de hoc innominabili Sodomię Crimine, (quod Deus auertat) propter quòd venit Ira Dei in Filios Diffidentiæ, Ego enim cętera fętida in hac Materia sub silentio libentissimè prætereo.

17. Quoad Praxim Confessarij Regularis, si Iurisdictionem habeat in Reseruata Suorum, aduertat, quod Religiosus Pęnitens toties mortaliter Votum Castitatis infringat, quoties deliberato animo in aliquem actum Luxuriæ mente ipsa consentit *Cap. Vouentibus* 17. *qu.* 1., cùm verò actum Opere non consumauerit per Seminis effusionem, tunc iuxtà dicta in num. 16. non censeatur obnoxius pręsentis Casus Reseruationi. Aduertat, quòd in rebus Venereis non detur paruitas materiæ, & de hoc nullam habeat dubitationem, cùm sit conforme Motui proprio Summorum Pontificum *Clementis VIII.*, & *Pauli V.*, qui Inquisitoribus Sanctæ Fidei denunciari iusserunt asserentes, non committi Crimen lęthale contrà Castitatem in Osculis, Amplexibus, Tactibus, & Aspectibus libidinosis, & Doctores Meliores testantur, per *Clementem VIII.* definitum etiam fuisse in Officio Sanctissimæ Inquisitionis, in rebus Venereis non dari paruitatem materiæ, & ideò si præfati actus fiant ex delectatione carnali sensibili, etiamsi non ordinentur ad coniunctionem carnalem, neque fiant ex desiderio ad ipsam, adhuc sunt mortaliter peccaminosi,

nosi, & quoad Oscula habetur expressè *in Thesi quadragesima ex Damnatis ab Alexandro VII.*, vnde facile potest fieri extensio ad prædictos actus, eo quòd in materia Luxuriæ non datur paruitas materiæ, daretur verò, nisi huiusmodi actus facti ex delectatione carnali, quæ præcipitur ex commotione Spirituum partium pudendarum, essent mortaliter peccaminosi.

Quoad Religiosum verò Pęnitentem, qui incidit in huius *noni Casus Reseruationem*, aduertat Confessarius, quòd si Pęnitens se accuset Reum Pollutionis voluntariæ, debeat ipsum interrogare de Persona, quæ ei in mente adhærebat, & quam ipse in Pollutione affectabat, in Pollutione siquidem aliæ deformitates solent inuolui, ideò necessè est explicare, an Persona, quam turpiter cogitabat, fuerit Soluta; ecce simplicem Fornicationem, an Coniugata, & ecce Adulterium, an Monialis, vel Voto Castitatis ligata, & ecce Sacrilegium, & sic discurras in alijs speciebus Luxuriæ; deinde debeat ipsum interrogare de Vicibus, & de Consuetudine se polluendi, quòd si Pęnitens sit Consuetudinarius, obseruet Confessarius ea, quæ contrariantur *Thesibus* 58. *& 60. damnatis ab Inocentio XI.* apud Cardenam, cùm teneatur Pęnitens, si à Confessario interrogetur fateri peccati sui Consuetudinem, & possit Confessarius negare, seu differre absolutionem, quando videt, quòd nulla apparet spes emendationis, stante illa facilitate, vniformitate, & frequentia Lapsus, quę omnia sunt signum, quod nec verum dolorem nec firmum propositum habeat, quamuis ore dicat, se habere.

18. Sed quid si ob Salutem procurandam, & non ob delectationem carnalem sensibilem captandam respondeat Pęnitens Confessario, quòd se polluerit?

℞. Quòd Pollutio voluntaria nullo ex motiuo, etiam solius Salutis procurandæ possit procurari, quia ex se, & intrinsecè est mala, est contrà ordinem naturæ, & est contrà naturam generationis, cum per Pollutionem prodigatur Semen, & impediatur generatio, *ac Molles à Regno Cęlorum excludantur ex D. Paulo 1. Corinth. 6.* nec

enim

*enim sunt facienda Mala , vt eueniant Bona* , ideò numquàm licitum est Pollutionem procurare , nec Medicus potest Medicamentum consulere , aut præbere , vt Naturam ad Pollutionem concitet , quia si semel hoc licitaretur in iacturam generationis humanæ , tunc Via latissima aperiretur huic fęditati , *immutando naturalem vsum in eum vsum , qui est contrà Naturam ad Rom. Cap. 1.* Nec excusatur Pęnitens , estò dicat , se non intendere delectationem carnalem sensibilem , sed solam sanitatem procurare , quandoquidem delectatio hæc est inseparabilis à Pollutione voluntaria , & ex natura Operis sequitur ad pollutionem .

In Cæteris etiam Luxuriæ speciebus Confessarius interroget Pęnitentem de permanentia diuturna in peccato, de Scandalis , de qualitate Personarum , cum quibus se immiscuit , de actibus proprietatis commissis in carnalibus actionibus , & de occasione proxima ; in quo Casu Confessarius eum obiurget , & grauitatem delicti ostendat , Remedijs generalibus , & specialibus eum adiuuet , quibus si Pęnitens vsus fuerit cum profectu spirituali , & Confessarius deprehenderit , quòd Pęnitens occasionem proximam dereliquerit , quòd perfectum Dolorem conceperit , quòd efficaci proposito se munierit , absolutum dimittat , graui imposita Pęnitentia . Cætera , ne species excitem incongruas Religiosę Modestiæ , omitto.

# DECIMVS CASVS

## RESERVABILIS A'SVPERIORIBVS REGVLARIVM

*Occisio, aut Vulneratio, seu grauis Percussio cuiuscumque Personæ.*



1. DEbet Religiosus magis, quàm Persona Secularis studere Perfectioni, & cum omnibus Charitatis vinculo iungi, itaut nefas sit, animo auersum esse alicui; debet referre lenitatem, & mansuetudinem Christi, *qui cum percuteretur, non repercutiebat* 1. D. Petri 2., qui vulneribus suis vulnera nostra sanare, & sua tormentosissima Morte Vitam Vniuersis donare voluit. Nobile igitur Vindictę genus est Hominem molestum non percutere, non vulnerare, non occidere, nulli iniuriam inferre, nec illatā vlcisci, sed ignoscere ijs, qui nos persequuntur, & ad hoc Vindictę genus inuitatur pręsertim Religiosus Deo mancipatus, & in Dei sortem vocatus; hunc pręcipuè decet vera, & perfecta patientia in sustinendis iniurijs, & non solùm cùm Reus est, sed etiam cùm est Innocens Exemplo *Iob Cap. 17. dicentis: Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus, sic D. Augustinus suadet Patientiam Fratribus Eremi Cap. 37. Si Colaphis cędimur aliam partem parare non differamus; si blasphemamur, non respondeamus, sed pareamus; si Verbo vel Murmure percutimur, taceamus; si occidimur, prudenter ad Mortem pergamus; quare?*

re? *quia non est Seruus maior Domino suo*, quapropter *Clemens VIII.* hunc decimum Casum proposuit reseruandum Superioribus, ne subditi Religiosi (Reseruatione perterriti) ad Occisionem, aut ad Vulnerationem, seu ad grauẽ Percussionem cuiuscumque Personę descendere audeant, sed Iniurias constanter tolerent, Christum imitati.

2. Tres actiones per disiunctiuas, seu alternatiuas Dictiones separatè nimirum *Occisio*, *Vulneratio*, *grauis percussio* hic reseruantur, *Occisio* quę idem importat, ac Homicidium, quantum spectat ad hunc locum, est *Corporis Humani animati iniusta peremptio*. Dicitur ly *Corporis humani animati*, hinc si quis vel Corpus humanum mortuum perfodiat, abscindat, aut obtruncet, cum sit Cadauer, vel Corpus non adhuc informatum Anima rationali disperdat, cum non sit Animatum, non patrat Homicidium. Dicitur ly *Iniusta*, vt detur intelligi, quòd definiatur hic homicidium peccaminosum, sic iniusta, & peccaminosa est peremptio Corporis humani animati, quę vel fit à priuata Auctoritate non seruato Moderamine inculpatę tutelę, vel fit à publica Potestate, non seruata debita iustitia, nec seruato Iuris ordine, & hoc est illud Homicidium, quod prohibetur in Quinto Decalogi Præcepto: *Non Occides*.

3. Homicidium aliud est simpliciter voluntarium, quod scilicet studiosè, dolosè, & malo animo patratur & hoc vel est volontarium in se, & directè, quando scilicet Voluntas directè fertur in ipsum Homicidium, & illud expresè intendit; vel est voluntarium per accidens, & indirectè, quòd dicitur voluntarium in sua causa proxima, & habetur quando, voluntas non fertur directè in Homicidium, nec illud expresè intendit, sed tamen tendit in aliud quidpiam, quod est causa proxima Homicidij, vt cũ quis dat alteri Venenum, vel grauiter illum ferit in Capite, vel in corde. Aliud est Homicidium Casuale, quod scilicet à casu, & fortuitò pręter intentionem contingit, & hoc vel est Casuale simpliciter, quod scilicet nec est volitum directè, nec indirectè, nec in se, nec in causa, quale est Homicidium comissum in Ebrietate, quod nullo modo ante

ante Ebrietatem fuit præuisum, vel si fuit præuisum, adhibita est sufficiens diligentia, ne sequeretur, auferendo arma, quibus occidere posset, vel adhibendo Custodes, vt illud impedirent; vel est non simpliciter Casuale, quod scilicet aliquo modo est volitum in sua causa, sicuti est Homicidium, quod commissum fuit in Ebrietate, & ante Ebrietatem fuit præuisum, nec tamen adhibita fuit sufficiens diligentia ad ipsum præcauendum, ex Bonaccina de Censuris disp. 7. qu. 4. punct. 7. num. 1.

4. Diuiditur etiam Homicidium in Homicidium factum Causa Defensionis, & in Homicidium patratum non Causa Defensionis. Homicidium factum Causa Defensionis non est Homicidium spectans ad Quintum Decalogi Præceptum, quia non est quid iniustum, est verò quid iustum, & licitum occidere iniquum Nostræ Vitæ Inuasorem, si seruetur Moderamen inculpatæ Tutelæ, aiente *Innocentio III. Cap. Significasti 12. de Homicidio sic*: *Quàmuis Vim Vi repellere omnes Leges, & omnia Iura permittant, tamen id debet fieri cum Moderamine inculpatæ Tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam. Seruatur Moderamen Gloss. ibid. Verb. Moderamine, si illud fiat dumtaxat, quo omisso, violentia repelli non possit, & non ex proposito modum excedat, ac ex incontinenti, & non ex interuallo Vim Vi repellat*. Quare hoc non solùm Laicis, sed etiam Clericis, Monachis, & alijs Religiosis licitum est contrà quoscumque, etiam contrà Superiores, vt Monacho contrà Abbatem, Religioso contrà Generalem, Filio contrà Parentem, Seruo contrà Dominum, & Vasallo contrà Principem, & in quocumque Officio sit quis occupatus, vt si celebret, & iniustè inuadatur in Vita, potest se defendere, & occidere iniquum Inuasorem, si necessè sit, & posteà Sacrum continuare, ità cum probabiliori Sententia, *Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 8. num. 41., Sylvester Verb. Bellum 2. §. 7., Diana part. 5. tr. 4. de Homicidio resol. 2. Vasquez, Comitulus, Emanuel, Rodriquez, Corduba, Binsfeldius, & alij*, quia vnusquisque secundùm Legem naturalem, &

secundùm omnia Iura, vt Vitam propriam iniquè aggressam defendat, licitè potest Vim Vi repellere absque vlla distinctione Personæ, vel Dignitatis, & cùm Leges non distinguant, nec Nos distinguere debemus; immò addit Zabarella in Clement. 1. de Pœnis, quòd Inuasus sine incursione Censuræ Excommunicationis in tali Casu pro defensione propriæ Vitæ percutere, & occidere potest etiam Pontificem, quando iniustè vellet eum occidere, & non posset aliter se à Morte liberare in illo actu Agressionis iniustæ, & allegat Zabarella Marsilium Consil. 4. num. 6., ac Innocentium in C. *Quantæ de Sent. Excom.*, & concordant Lessius, & Diana supracit. Hoc tamen intelligendum est secundùm Caietanum Opusc. 1. De Potest. Papæ Cap. 27., & secundùm Franciscum à Victoria in fine Relectionis primæ de Potestate Ecclesiæ, quòd Occidens non peccat contrà Iustitiam, mortaliter tamen peccat contrà Charitatem, quia vita Aggressoris in hoc Casu vtilior est Reipublicæ, quàm sit Vita Aggressi, & ratio est, quia, vt inquit Capeauill. p. 2. Casu 3. diff. 5. Vers. Dixi, *Cætera non sunt paria*.

5. Probatur etiam, quòd possit licitè occidi iniustus Vitæ nostræ Aggressor, seruato Moderamine inculpatæ Tutelæ, ex alijs Textibus Iuris Canonici, vt ex C. *Si verò 1. De Sent. Excom.*, *ex Clement. 1. de Homicid. & ex C. Dilecto Filio De Sent. Excom. in 6.*, vbi clarè habetur, quòd omnes Leges, omniaque Iura, Vim Vi repellere, cunctisque se se defensare permittunt. Neque obstat, quòd Salus Spiritualis Proximi secundùm ordinem Charitatis præferenda sit Vitæ nostræ corporali, quod non videtur fieri, quando iniustus inuasor occiditur, qui non solùm Corpore, sed vt frequentius Anima in æternum perit. Non, inquam, obstat, quia secundùm ordinem Charitatis tunc solùm tenemur Vitam Proximi Spiritualem præferre Vitæ Nostræ corporali, quando est necessitas, hoc est quando aliter saluari non potest, nisi Opem feramus, quæ necessitas in casu non reperitur, nam Inuasor, si velit, potest desistere, & se saluare, si ergo in peccato Mortali mo-

riatur, sibimetipsi iacturam propriæ salutis Spiritualis debet imputare, qui sponte sua, & propria malitia in Discrimen Vitæ Spiritualis se coniecit propter iniustam Vitæ Proximi Aggressionem. Tum quia si non posset licitè occidi Iniustus Vitæ nostræ Aggressor, seruato Moderamine inculpatæ Tutelæ, satis perturbaretur Respublica, & frequentia committerentur Homicidia per Homines Facinorosos, eo quòd occasionem sumerent inuadendi Bonos, dum haberent certitudinem, non esse ab eis occidendos, cùm Boni ob timorem peccandi non possent se licitè opponere Malis, eo quidem modo, quo 1. *Machabæorum cap.* 2. legitur, quòd Pagani videntes, Iudæos ob Sabbathi reuerentiam nolle pugnare, nec se defendere in Sabbathis, eos aggrediebantur, & occidebant, hoc autem videntes Duces, & Sacerdotes, inito Concilio, decreuerunt in Sabbathis pugnare, & se defendere.

6. An autem liceat intendere Mortem Aggressoris iniusti, tamquam medium ad sui defensionem?

℟. Quòd quidem licitum sit intendere Mortem Aggressoris iniusti, non quidem per se, quia hoc ad publicam potestatem spectat, sed tantum per accidens, quatenus id necessarium est ad propriæ Vitæ Defensionem, quæ naturali Iure cuilibet competit, quatenus est Custos Vitæ suæ, à quo etiam habet, vt Vim Vi repellere possit, quapropter quilibet in sui Defensionem, & in Conseruationem propriæ Vitæ, tamquam in finem vlteriorem potest Aggressoris iniusti Mortem intendere, quando iudicat illius Mortem ad hunc finem esse necessariam, atque ad tutè euadendum Manus eiusdem, & hoc modo explicandus est *D. Thomas* 2. 2. *qu.* 64. *art.* 7. volens, in ipsa Aggressione non esse licitum intendere Mortem Aggressoris iniusti Vitæ Proximi.

7. An verò licitum sit Homicidium iniusti Aggressoris etiam pro necessaria Defensione alterius Innocentis in Vitâ Inuasi?

℟. Affirmatiuè cum communi Sententia, quia licitum est suscipere partes Innocentis, cuiusmodi est Proximus in Vita

Vita iniustè inuasus, immò censetur innocens, etiamsi fortè occasionem dederit Inuasioni, nam semper Inuasio est iniusta. Deinde licitum est, Lege Charitatis prò alijs facere, quod pro se ipso quis potest facere, sed prò necessaria sui Defensione licitum est vnicuique iniustum suæ Vitæ Aggressorem occidere, ergo etiam licitum erit pro necessaria alterius Innocentis Defensione. Immò sepe ex Lege Charitatis ad hoc tenemur, si absque notabili damno nostro possimus auxilium ferre alteri Innocenti contrà Nocentem ex Lessio lib. 2. cap. 9. dub. 13. num. 88., quia magis tenemur, supposito notabili nostro Damno, diligere Vitam propriam, quàm alienam, nisi fortè inuasus esset Princeps, seu Persona publica, cuius salus cederet, in Bonum publicum, & Bonum publicum debemus præferre Bono nostro priuato, vel nisi esset proprius Pater, Mater, Vxor, Filius, Frater, aut altera Persona Sanguine coniuncta. Addo, quòd si Proximus iniustè aggressus nollet defendi, & Mortem mallet oppetere cedendo Iuri suo, adhuc possumus Nos licitè iniustum Vitæ eius Inuasorem occidere, quia Nos non priuamur hoc Iure defendendi Proximum iniustè inuasum, cùm enim nemo sit Dominus Vitæ suæ, sed tantùm Custos, ideò nequit alijs præfatum Ius Defensionis adimere, vnde, etiam ipso inuito, Nos possumus Vitam eius iniustè inuasi velle custodire, & defendere tamquam Mandatarij Domini Dei, qui vnicuique mandauit de Proximo suo iuxtà Dianam part. 5. tract. 4. de Homicid. resol. 19.; hoc tamen limitatur, nisi Proximus iniustè inuasus seriò dicat, se nolle defendi, sed velle potius mori, quàm quòd occidatur Inuasor in peccato Mortali.

8. Quęnam autem Conditiones, vt seruetur Moderamen inculpatæ Tutelæ, requirantur?

℟. Quòd plures debeant concurrere Conditiones, & *prima* est, quòd Inuasor sit iniustus, hoc est, quòd inuadat contrà Iustitiam; *secunda* est, quòd Inuasus non priùs offendat, quàm inuadatur, nam quando non est Inuasio, non licet occidere. Hinc videtur errare Maior in 4. Sent.

dist. 15.

dist. 15. qu. 22., cùm dicit: quòd si quatuor essent in vna Naui, & ista esset submergenda, nisi duo proijcerentur in Mare, tunc debere Sortem mitti, vt de Iona factum fuit, super quem verò caderet Sors, ille deberet permittere, se occidi, & proijci in Mare, quòd si nollent Sortem Mittere, tunc licitum esse viribus certare, & qui vincere posset, licitè posse alios in Mare proijcere, & ratio est contra Maiorem, quia hic nulla est Inuasio, Regula autem occidendi ad propriam vitam seruandam valet tantùm de Inuasore, eoque iniusto, & quando Inuasus non priùs offendit, quàm inuadatur; *tertia* est, quòd Inuasus defendat se, & offendat Inuasorem in ipsa Inuasione, & incontinenti itaut Vim Vi repellat, dum actu fit Vis, non verò ante, vel postquàm Vis facta fuit, & congressus finitus est, vnde si Inuasor fugiat, non potest Inuasus eum insequi, & occidere; quia tunc Vis iam cessauit, & repercussio potius esset Vindicta, quàm defensio. Non tamen est opus expectare omnimodam inuasionem ad sui defensionem, quia subinde nimis sera esset defensio, hinc si quis inclusisset Inimicum suum in Cubiculo, vt eum occideret, & iste non posset se aliter liberare, nisi eum occidendo, poterit eum occidere, antequàm Gladium eximat, quia ipsa inclusio videtur esse principium Inuasionis; *quarta* est, quòd Inuasus non maiori vtatur Vi contrà Inuasorem, ac sit necessaria pro suæ Vitæ defensione, itaut si Verbis, aut Minis possit se tueri, non veniat ad Verbera; si Verberibus, non veniat ad Mutilationem; si Mutilatione, non occidat, & si fuga possit se tueri, tunc fugere teneatur; *quinta* est, quòd sit æqualitas Armorum, quia non licet Pugione ferire illum, à quo quis impetitur Pugnis; *sexta* est, quòd Inuasus non possit alia via saluare Vitam suam, quàm occidendo Inuasorem *ex D. Thoma 2.2. qu. 64. art. 7.* Quòd si huiusmodi Conditiones non seruentur, tunc Homicidium erit illicitum, quia factum non causa moderatæ Defensionis, sed sumendi gratia Vindictam.

9. Tenebitur ne Religiosus fugere ab impetu iniusti Aggresso-

Aggressoris, vt seruet Moderamen inculpatæ Tutelæ?

℟. Quòd fugere teneatur, nisi fuga esset sibi periculosa, & fugiendo Vulnus timeret à tergo, alioquin si potens commodè, & sine periculo fugere, Religiosus non fugiat; sed iniustum Aggressorem occidat, tunc non dicitur seruare Moderamen inculpatæ Tutelæ, sed potiùs excedere, eò quòd fugiendo euitasset Mortem iniusti Aggressoris. Hoc autem verum pronuncio non solùm de Religioso, vt Religiosus est, & de Ecclesiastico, vt Ecclesiasticus est, adeò vt non solùm Religioso, aut alteri Ecclesiastico in Vita iniustè aggresso non sit ignominiosa Fuga, sed idem pronuncio de quolibet Laico, idest non tantùm Plebeio, vt omnes ferè Theologi testantur, sed etiam si Laicus iste foret Persona Nobilis, quia nec Viro Nobili obligatio fugiendi est ignominiosa apud Prudentes, Deumque Timentes. Et Mehercle nemo Prudens iudicabit id dedecere, & dehonorare Virum Nobilem, cùm in obseruantia Diuinorum Præceptorum Vir nobilis non differat à Plebæio, nullumque Priuilegium habeat coram Deo supra Plebæium in omnibus ijs, quæ concernunt Salutem Animæ iuxtà Nostrum Doctissimum, & Religiosissimum Matthæuccium in Cautela Confessarij lib. 1. cap. 13., quidquid dicant in contrarium plurimi Doctores nulla efficaci ratione muniti, quæ Deo placere possit, estò placeat Mundanis, contrà quos non Te pigeat audire, quid scribat *Ioannes Harpecht in Comment. ad Instit. Iustin. Tom. 4. Tit. de Publicis Iudicijs §. Item Legem Corneliam §. 121.: si Insultato verisimiliter fuga periculosa non sit futura, tunc certè is remota omni inter Plebeios, Nobiles, Honoratos, & Infames differentia, fugere tenetur, si omninò innoxius esse velit, nam Leges de legitima defensione generatim, & indistinctè loquuntur, & vbi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus L. De Pretio 8. ff. de Public. in Rem act., nam quamuis fugam arripere non sit fortitudinis, nec sit nobile, tamen est Virtus, quæ cum pietate, cum Christiana Proximi Dilectione, & cum Religionis candore non pugnat, propterea Hominibus ratione præditis*,

*præditis, & Christiana Religione Institutis conuenit*. *Nec in iure scriptum est, quòd ille quisquis sit, sic fugit, dedecus committat, & Dignitatem suam deformet, immò potiùs laudabilis est, quia non tam propriæ, quàm Aduersarij consulit Saluti*. Addo Ego: Ecquis non videt, quod Vir Nobilis, si potens sine periculo suæ Vitæ fugere, non fugiat, sed certatim pugnam expectet, potiùs dat causam frequentioribus Homicidijs, & Dilectionem Proximi, quod est alterum ex præcipuis Dei mandatis diminuit? ergo ne Mundo parendum est, non Christo?

10. Licebit ne Religioso præuenire occisione eum, qui non actu aggreditur, sed parat Aggressionem, si Innocens aliud refugium non habeat ad Vitam suam saluandam?

℞. Quòd in hoc Casu cautè sit procedendum, licet enim speculatiuè loquendo Sententia affirmatiua videatur probabilis, & iusta, in praxi tamen est satis periculosa, & maximis absurdis exposita, ideò negatiuæ Sententiæ adhæremus, tum quia non est licitum Vim inferre ante Vim, & inuasionem factam ab altero, cùm non seruaretur Moderamen inculpatæ Tutelæ, & via multis cędibus aperiretur, quia quisque posset sibi fingere paratos iam esse Aggressores, & deuenire ad Occisionem. Tum quia, vt benè docet Lessius, Casus præfatus est potiùs Metaphysicus, & Speculatiuus, est enim inuerisimile, quòd non habeat Spem aliquam refugij, quo saluet Vitam suam ille, qui est tantæ potentiæ, vt possit præueniendo paratum Aggressorem occidere, & non potuerit etiam priùs recurrere ad Amicorum Officia, & ad Iustitiæ Ministros, vt paratam Aggressionem repellat, absque eo quòd occidendo preueniat. Secus dicendum esset, si iniustum Aggressorem contrà se *Armis* actu irruentem occidat ille, qui nec fuga, nec alio modo potest suam Vitam saluare, & tunc dixi suprà in tertia Conditione requisita ad seruandum Moderamen inculpatæ Tutelæ, quòd non est opus expectare omnimodam Inuasionem ad se defendendum, quia nimis sera posset esse Defensio.

Dixi ſupra ly *Armis*, quia ſi falſis accuſationibus, Falſo Teſtimonio, aut iniuſto Proceſſu quis impetatur, hic nequit licitè falſum Accuſatorem, Falſos Teſtes, & Iniuſtum Iudicem præuenire occidendo *iuxtà Propoſ. 18. damnatam ab Alex. VII.*, luce enim clariùs eſt, quòd animarum ſaluti hoc ſit perniciofum, & quòd ſit Homicidium priuata Auctoritate factum, nec vmquam ſit committendum ex dictis *in Noſtra Apodixi Caſu 11. num. 16.*

11. Licitum ne erit Religioſo ſe defendere defenſione etiam occiſiua contrà Iniuſtum ſuæ Vitæ Inuaſorem, cui cauſam dedit inuadendi?

℞. Licitum eſſe Religioſo ſeruato Moderamine inculpatæ Tutelæ ſe defendere defenſione occiſiua, eò quòd vnuſquiſque inuaſus, etiamſi culpa ſua reperiatur in periculo Mortis, retinet Ius defendendi propriam Vitam, etiam cum Morte iniuſti Inuaſoris, ſi fuga, aut alio modo nequeat ſe ſaluare, ſicuti diſcurrunt Theologi communiter de Adultero, qui repertus in fragranti inuaditur à Marito, & adhuc poteſt licitè ſe defendere defenſione etiam occiſiua contrà Maritum, ſi aliter non poſſit ſaluare Vitam ſuam, quia licet Adulter adulterando cauſam inuadendi dederit Marito, Maritus tamen eſt iniuſtus Inuaſor, nec Ius habet coràm Deo occidendi Adulterum propria auctoritate, vnde ſicut non confertur Ius Marito occidendi Adulterum propria auctoritate, ſic nec priuatur Adulter Iure defendendi ſe defenſione etiam occiſiua contrà Maritum iniuſtè inuadentem, ſi debitum ſeruet moderamen, quia in ordine ad Occiſionem Adulter conſideratur Innocens, quàmuis in ordine ad Adulterium ſit Nocens, verùm ſolùm ad Iudicem ſpectat punire, & non ad Maritum priuata Auctoritate occidere. Id, quod dicimus de Adultero, dictum etiam ſit de Vxore Adultera; tum quia nequit quis priuata Auctoritate occidere, nullus enim Malefactor poteſt occidi, niſi Iuris ordine ſeruato. Tum quia Eccleſia, ad quam ſpectat explicare latitudinem Præcepti Homicidij, expreſsè in Sacris Canonibus prohibet, ne Maritus Vxorem in Adulterio deprehenſam occidat. Tum

Tum quia *Alexander VII. in Propos. 19.* damnauit oppositum, ergo quàmuis Adultera adulterando causam dederit Marito inuadendi, non tamen tollitur Adulteræ Ius se defendendi defensione etiam occisiua contrà Maritum, si alio modo non possit se defendere, quàm occidendo ipsum, qui est iniustus Inuasor, nec habet Ius coràm Deo occidendi propria auctoritate Adulteram. Ex his patet Solutio ad dubium suprà de Religioso.

12. Numquid Religiosus insidens Equo, & fugens per Viam angustam ab Iniusto Inuasore, & Inimico, qui vult eum occidere, possit licitè, vt Viuus euadat Manus hostiles, Infantem, vel Claudam, aut Dormientem iacentem in Via conculcare, & interimere, vel alterum in Flumen, seu in Præcipitium etiamsi sint Innocentes, impellere?

℞. Quòd licitè possit, adhibita tamen omni circumspectione, ne vlli noceat, quia Religiosus non potest priuari Iure, quod habet ad fugā in Via publica, præsertim in tanto discrimine, nam sic directè intendit Mortis propriæ euasionem, & indirectè solùm Mortem Infantis, Claudi, Dormientis, vel alterius, hinc non habet intentionem occidendi directè quempiam, sed omni circumspectione adhibita habet intentionem liberandi se ipsum à tali Morte certa, & imminenti, seruato semper Moderamine. Nec Proximus in tali casu rationabiliter conqueri potest, cùm Religiosus ad Vitam propriam saluandam aliud non habuerit remedium, & in pari periculo Ius habet vnusquisque Vitam propriam saluandi potiùs, quàm alterius, estò Innocentis; sic in Bello iusto licitum est Bellica Tormenta, aut Ignem dirigere in Arcem, & in Vrbem, quàmuis ibidem sint plures Innocentes, & remaneant interfecti, ita Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 9. num. 59.

13. An autem Religiosus iniustè inuasus in Vita possit se ipsum licitè defendere ab Inimico Inuasore, & hunc occidere simul cum Infante, quo veluti Clypeo se protegit, quando iniustè inuasus non potest fuga, vel alter se defendere?

℞. Quòd licitè possit, eò quòd iniustè inuasus non amit-

tit Ius se defendendi propter illam Interpositionem Infantis innocentis, non potest tamen priùs directè impetere Innocentem, vt eo sublato faciliùs superet Inimicum, benè quidem potest directè impetere Inimicum, quàmuis ante se teneat Innocentem, cuius occisionem solùm indirectè intendit. Si autem ageretur de Morte Infantis nondum baptizati, teneretur quidem Religiosus iniustè inuasus permittere potiùs occisionem sui, & salutem Spiritualem Proximi anteponere Vitæ suæ corporali, secùs dicendum est de Infante si sit Filius Infidelium, qui etiamsi superuiuat, non speratur prudenter, quòd baptizabitur, ita Rodriquez in Summ. Tom. 1. cap. 220. num. 7.

14. Numquid verò licitum erit Religioso interficere Furem, qui Res valde pretiosas Monasterij inuadit?

℟. Quòd, cùm hic non sit sermo de Rebus exigui valoris in quo Casu omnes Doctores licitum esse negant tàm Personæ Seculari, quàm Personæ Regulari, sed sit Sermo de Rebus maximi Pretij, Doctores discordent ad inuicem, pluribus affirmantibus, licitum esse tàm Personæ Seculari, quàm Religiosæ interficere Furem pro defensione Rerum maximi momenti, præsertim quando istæ non tàm facilè recuperari possunt, aliquibus alijs, & quidem probabiliùs negantibus, quos Ego ipse sequor. Probatur igitur & explicatur hoc iuxtà id quod dixi *in Mea Apodixi Casu* 11. *num.* 10., vbi loquens de Persona Seculari asserui, quod occidendo Furem inuadentem eius Facultates maximi Valoris, ad quas recuperandas non haberet modum, irrationabiliter eligit maiùs malum ad fugiendum malum minus, quod cùm absurdum maximum sit in Persona Seculari, multò magis erit in Persona Religiosa, quę nihil habet proprij, Bonis Mundi Externis abrenunciauit, lenitatem, ac mansuetudinem Christi specialiter imitatur. Et profectò maiùs malum est iactura Vitæ, quàm iactura cuiuslibet Boni externi, si ordinem Charitatis attendamus cum Theologis, qui in 3. Sent. Vitam Honori, & Honorem Diuitijs præponunt, Vitamque dicunt substantiam Corporis humani, Honorem verò, & Diuitias accidentia

dentia eiusdem, & ad hanc maiorem Vitæ pretiositatem relatè ad Diuitias respiciens *Innocentius XI. proscripsit Theses*, 13., 14., 15., 31. 32., 33., eo modo quo aduertens *Alexander VII.* maiorem Vitæ Nostræ excellentiam, & ęstimabilitatem relatè ad honorem *condemnauit Theses* 2. 17. 18., 19., quibus addi possunt *Theses* 30., 34., 35. *proscriptæ ab eodem Innocentio*. Neque ex Thesi 31. condemnata *ab Innocentio*: *Regulariter occidere possum Furem pro Conseruatione vnius Aurei*, quatenùs vnus Aureus respectu Vitæ Furis est res exigua, valebit deduci, ergo possum occidere Furem pro Conseruatione plurium Aureorum, quatenùs plures Aurei respectu Vitæ Furis sunt Res Maximi Momenti. Non, inquam, valebit deduci, præfata siquidem *Thesis* 31. *condemnatur, vt iacet iuxtà Decretum Innocentianum*, non verò comparatiuè ad alias Theses, quæ ex ipsa affirmatiuè, vel negatiuè deduci possunt, sic Boni Expositores eiusdem Decreti circà Propositiones Damnatas; vbi nota *ly regulariter*, quod idem significat ac in Casibus ordinarijs, nam de Casibus extraordinarijs, & secundùm quasdam particulares circumstantias positis *Papa* nihil definire intendit, certum enim est, quòd prò defensione etiam vnius Panis, vnius Obuli secundùm communem Sententiam potest occidi Fur, si sine illo Pane, aut absque illo Obulo quis ad extremam, vel quasi extremam Necessitatem inducatur, & Sartorpro defensione vnius Acus potest occidere Furem, quando ex carentia illius Acus nullo modo possit se, & suos sustentare, similiter Res alienę possent ęquiualere Vitæ Furis, si Fur Res alienas maximi momenti furando, ad quas recuperandas nullus suppetit modus, inducat Dominum in Extremam, vel quasi Extremam necessitatem, & in hoc Casu extraordinario licitè potest occidi Fur, quapropter non subsistit instantia adducta ex Thesi 31. Immò ipsemet *Innocentius in Thesi* 32. immediatè sequenti, quę duas habet partes, damnat hoc: *Non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quæ actu possidemus*, & hæc est prima pars, *sed etiam ad quæ Ius inchoatum habemus, & quæ Nos possessuros speramus*,

*ramus*, & hæc est secunda pars; nota igitur in prima parte, quòd per ly *quę actu possidemus*, intelligantur tàm ea, quæ sunt minimi valoris, quàm ea, quæ sunt maximi pretij, adeò vt nec illa, nec ista licitum sit defendere defensione occisiua contrà Furem, ideò præstantissimus Nostræ Sententiæ Aduocatus P. Matthæuccius in Cautela Confessarij lib. 2. cap. 19. propos. 32. num. 9. hæc habet Verba. *Quam propositionem Innocentius damnat, vt iacet, & quoad vtramque partem*, dicere autem cum Aduersarijs, quòd *Innocentius XI.* proscribat, quidem secundam partem *Thesis* 32., & non primam partem, si nulla adducatur ratio sui dicti, est gratis dictum.

15. Dices primò cum Aduersarijs: Quis non videt ex Sententia Nostra Ianuam Furibus apertam, vt impunè furentur, præsertim in hypothesi Nostri Casus, vbi nec Fur posset coerceri per Iudicem, nec Res pretiosa furata posset rehaberi à Iudice, nec alia via suppeteret ad eam recuperandam?

℞. Quis non videt, quòd Aduersarij incidunt in Scillam, cupientes vitare Charibdim? Portam ipsemet aperiunt Homicidijs priuata Auctoritate patrandis, & hoc est malum maius, & nullo modo permittendum, nec enim Vita Hominis ad Pecudum paritatem est mactanda. Addit *Scotus in 4. dist. 15. quæst. 1. quòd nequit Magistratus Furem Morte mulctare*, nec ab ipso Fure pro satisfactione Rei furatæ Vitam ipsius exigere, quia tunc Fur plùs daret, quàm requirat iusta, & debita satisfactio, nulla enim Res temporalis quantùmcumque pretiosa potest ęquiualere Vitæ Furis, ergo si publica Auctoritate nequit Fur, qui pretiosa furatus est, occidi, multò minùs priuata Auctoritate poterit occidi Fur, qui pretiosa actu furatur. Ex hoc sic construo rationem pro Me. Nemini Priuato licet occidere Malefactorem illum, quam Magistratui, seu publicæ Auctoritati non licet occcidere, sed non est licitum Magistratui, ad quem pertinet pęnam excessibus imponere, Furem interficere, nisi sit Fur nocturnus, *iuxtà Scotum* mox citandum, ergo nec licitum erit priuato Furem ipsum interfi-

interficere. Verba *Scoti in 4. dist. 15. qu. 3. litt. N. sunt. Non video, quòd Lex aliqua iusta possit statuere, Hominem occidi pro furto solo, dico autem solo, quia si est Fur, & cum hoc Inuasor, prȩsumitur Homicida, quia vult occidere, & hoc paratus est, si aliquis sibi resistat: Hoc patet per illud Exodi 22. de Fure Nocturno, & Diurno, Fur Nocturnus impunè occiditur, qui autem intrantem de die ad furandum occidit, Homicidij reus est, causa diuersitatis est hęc, quia prȩsumitur, quòd qui de Nocte furatur, occideret sibi resistentem, si posset, non autem qui de die intrat. Hęc Scotus* Canonista perfectus.

16. Neque valet dicere, fortè plùs licere Priuato in nostro Casu, quàm liceat Magistratui, hic etenim, quod facit, est tantùm in pęnam, & quod facit Priuatus, non tantùm est in pęnam, sed etiam in custodiam, ergo quia Priuatus tenetur ex debito custodire Res suas, tenetur etiam resistere Furanti, adeò vt si aliter nequeat Res suas, præsertim maximi Momenti, seruare sine occisione Furis iustè, & licitè occidat Furem. Non inquam, valet eò quia quod facit priuatus, non est in pęnam, quia ad Priuatum non pertinet pęnam imponere Furi, facit autem in custodiam, idest debet custodire Res suas, & defendere cum Moderamine, at si ad eas defendendas à Fure (dummodò non sit nocturnus) resistat cum occisione Furis, non seruat Moderamen, sed iniustè, & illicitè occidit; cùm enim Moderamen consistat præcipuè in modo æquali propulsandi iniuriam, non potest dici seruare Moderamen, qui Furem propulsat occidendo, vt si, quia Fur Titio aufert Bona pretiosa, Titius Furi auferat Vitam, eò quòd Vita Furis est æstimabilior, ac altioris ordinis, quàm sint Bona pretiosa Titij; Titius itaque tenetur Bona sua custodire, at solùm cum Moderamine defendere, quæ Moderatio consistit in hoc, quòd Furem statim insequatur fugientem ad recuperandas Res suas, quia inuasio durat, donec Fur se in tutum receperit, non potest tamen ferire, mutilare, aut occidere pro Rebus suis recuperandis; si autem Fur contrà Titium vtatur Vi, tunc vtique potest

Titius

Titius inuasus, seruato debito Moderamine, Vim Vi repellere etiam occidendo, si necesse sit, non vt recuperet Res suas, sed vt saluet Vitam suam, vbi fieret transitus à defensione Rerũ ad defensionem Vitæ propriæ, ceterum si Titius fuerit inuasus solummodò in Rebus, & eas nullo modo recuperare possit, minus malum erit, quòd perdantur eius Res etiò pretiosæ, quàm quòd perdatur Vita Furis, sic obligante ordine Charitatis Christianæ contrà Politiam Mundanam.

17. Dices secundò cum Aduersarijs, quòd Nostra Sententia discordet ab ipsa Sapientia Dei in *Exod.* 22. *Si effrigens Fur Domum, si suffodiens inuentus fuerit, & accepto Vulnere mortuus fuerit, Percussor non erit Reus Sanguinis*, ergo non est recedendum à Sententia, quę licitũ facit occidere Furem pro defensione Rerum maximi Momenti, eò vel Magis, quia Fures sciendo, se non posse impediri à Furtis per Dominos Rerum, valdè perturbarent Rempublicam in frequentia Furtorum,

℞. Quòd debuissent etiam proferre in medio alium immediatè sequentem Versum Exodi, vbi sic legitur. *Quòd si Orto Sole hoc fecerit, Homicidium perpetrauit, & ipse morietur*, quare Exodus in priori Versu loquitur de Fure nocturno, at in secundo Versu sermonem habet de Fure Diurno, rationem diuersitatis assignat *Magnus Doctor Augustinus* super Versus Exodi citatos, & habetur in *lib.* 5. *Decretalium tit.* 12. *de Homicid. cap.* 3. *Si perfodiens*, quod est ad litteram *Sancti Doctoris*, *Si Perfodiens inuentus fuerit Fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi Homicidium imputandum. Si autem ortatur Sol supra Eum; Reus erit. Intelligitur ergo non pertinere ad eum Homicidium, si Fur Nocturnus occidatur, si autem Diurnus fuerit, ad Homicidium pertinere.* Hoc est enim, quod ait: *Si ortatur super eum Sol &c. quia poterat discernere, quòd ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideò non debet occidi. Hoc etiam in Antiquis Legibus Sęcularibus (quibus ista est antiquior) inuenitur, impunè scilicet occidi Nocturnum Furem quoquo modo, Diurnum autem si se*

Telo

*Telo defenderit , iam enim plus est quàm Fur.* Nota igitur illa Verba *Augustini : quia scilicet occidens Furem, orto iam Sole , poterat discernere , quòd ad furandum , non ad occidendum venisset , & ideò non debet occidi ;* quæ ratio probat à contrario, propterea Furem Nocturnum occidi posse , qui , incertum est, an venerit animo occidendi, vel furandi , & sic quoad occidendum Furem Nocturnum, cùm agatur de periculo Personæ, & Rerum simul , licita erit defensio occisiua cum Moderamine tamen inculpatæ Tutelæ, idest nisi inuasus in Persona, & Rebus simul possit aliò modo se defendere; quoad occidendum verò Furem diurnum , cùm agatur de periculo Rerum dumtaxat, numquam erit licita defensio occisiua, *nisi tamen Fur Diurnus se Telo defenderit, quia iam plùs est, quàm Fur* ex præfato Cap. Si Persod.

18. Probatur hoc idem cum Principalioribus Canonistis ex Cap. *Interfecisti 2. de Homicid.*, vbi legitur: *Si autem sine Odij meditatione, Te, Tuaque liberando , huiusmodi Diaboli Membra interfecisti* , quibus ex Verbis habetur, quòd vt quis excusetur ab Homicidio , debent duo necessariò concurrere copulatiuè , nimirùm vt occidat defendendo cum Moderamine non solùs Res , sed etiam Personam , iuxtà sensum illorum Verborum *Te, Tuaque, liberando*, vbi Textus non loquitur disiunctiuè dicendo *Te, vel Tua*, vt benè notat Doctissimus Fagnanus hìc num. 2., aliàs si occidat quis pro defensione Rerum dumtaxat , & non Personæ , non excusabitur ab Homicidio . Addit etiam Marianus Socin. num. 9. , quòd hoc procedat respectu Rerum , quia respectu Personæ non requiritur Copulatiua Rerum , nam si Mortem quis aliter vitare non possit ; sufficit Defensio Personæ tantùm , vt est Casus in *Clement. Si Furiosus de Homicid.* , & hanc Canonistarum interpretationem , ait Fagnanus hìc num. 10., esse amplectendam *quidquid dicant Theologi , quia hæc est propria Messis Canonistarum.* Tum quia hoc constat ex Auctoritate *Diui Augustini relati à D. Thoma 2.2. q. 64. art. 7. in 2. Argum. contrario* , vbi inquit. *Quomodò apud*

*Diuinam Prouidentiam à peccato liberi sunt, qui pro his Rebus, quas contemni oportet, humana cęde polluti sunt?* & ex cap. *Suscepimus 10. de Homicid. sic: expediebat potiùs post Tunicam relinquere Pallium, & Rerum sustinere iacturam, quàm pro conseruandis vilibus Rebus, & transitorijs, tam acriter in aliquos exardescere.*

19. Ex his sic obseruant Canonistæ quùm de Irregularitate Clerici contracta propter occisionem loquuntur: Si Clericus ob ineuitabilem, & necessariam defensionem Personæ, & Rerum simul occidat seruato Moderamine inculpatæ Tutelæ, non incurrit in Irregularitatem; similiter si ob ineuitabilem, & necessariam defensionem Personæ tantùm, & non Rerum occidat, Irregularitatem effugit ex Alleg. *Cap. Interfecisti*, & *Clement. Si Furiosus*, secus si ob defensionem non necessariam occidat; si verò Clericus occidat ob defensionem Rerum dumtaxat, tunc non est immunis ab Irregularitate; sed vnde hoc? nisi quia occidendo in primis duobus Casibus, vbi periculum est de Persona, seruari potest Moderamen in defendenda Persona, & occidi Inuasor, at occidendo pro defendendis Rebus dumtaxat, & non Persona, numquam seruari potest Moderamen, nisi Res ęquiualeant Personæ, sicuti v. g. ęquiualerent in casu, quo poneretur in extrema necessitate ille, qui Rebus suis omninò spoliaretur.

20. Verùm non Canonistæ solùm, sed & ipsi Iuristæ, qui per Sacros Canones in aliquibus fuere correcti, multa Verba ex Textibus Iuris Ciuilis adducunt denotantia, licitam esse solùm defensionem Personæ occidendo, & non denotantia licitam esse defensionem Rerum cum occisione Spoliatoris, sicuti accuratè obseruat *Ioannes de Anan. in Cap. interfecisti 2. de Homicid. Vers. Adde etiam prędictis, sic in L. Itaque ff. ad legem Aquil. dicitur: Si occidero Latronem insidiantem Mihi, securus ero*, pondera illud Verbum *Mihi*, & non dicit Textus *Rebus Meis*, immò subdit: *Nam aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere*, pondera illud Verbum *Se*, non enim dicit *Bona sua*. Item in *L. Sequent.* dicitur. *Si Metu Mor-*

*tu Mortis quis Furem occiderit, non tenebitur*, non enim dicit *Metu Bonorum*, sed Metu *Mortis occidit Furem Nocturnum, si parcere ei sine suo periculo non possit*, nota ly *sine suo periculo*, cùm non dixerit Textus *sine periculo Bonorum*. Item *in L. Scientiam §. Qui cùm aliter ff. Ad Legem Aquil.*, vbi sic legitur: *Qui cùm aliter tueri se non possent, damni culpam dederunt, innoxij sunt*, nota ly, *Se*, vbi non sequitur *Sua*. Idem habetur in *C. 1. §. Si quis Hominem in Tit. de Pace tenenda*, *vbi* habentur hæc Verba: *Vitam suam defendendo*, & non legitur *Bona sua*. Quare ex his, & alijs Textibus Iuris Ciuilis habemus, quòd si agatur de periculo Personæ, potest ad defensionem occidi Fur, hinc licitè occidi potest Fur Nocturnus, & etiam Diurnus Telo resistens, quia tunc agitur non de solo periculo Rerum, sed Personæ simul, & Rerum, at vbi de periculo dumtaxat Rerum agitur, Ius Ciuile non habet expressam auctoritatem, propter quam deducatur, quod ad defensionem dumtaxat Rerum possit licitè occidi Fur. Tum quia quando in aliquibus Textibus Iuris Ciuilis legitur, *Vim Vi repellere licitum esse*, *Vim Vi defendere omnes Leges, omnia Iura permittere*, *Vim Vi propulsare licitum esse*, tunc explicandi sunt illi Textus, quod illa Verba repellere, defendere, propulsare non sint idem, ac occidere, nisi in repellendo, in defendendo, in propulsando seruetur Moderamen inculpatæ Tutelæ, quod Moderamen non dicitur seruari, si pro Rebus temporalibus, etiam pretiosissimis defendendis Fur Vita priuetur.

21. Dices tertiò: plùs tenetur quis habere curam Rerum suarum, quæ sunt fulcimenta propriæ Vitæ, quàm teneatur habere curam Vitæ alienæ, quoniam Vitæ alienæ tenetur habere curam solùm secundùm quid, & in casu necessitatis iuxtà *Cap. Pasce 86.*, Rerum verò suarum tenetur simpliciter, & semper habere curam, ergò pro conseruatione Rerum suarum maximi Momenti poterit quis licitè occidere Furem.

℞. Concesso antecedenti negando consequentiam, sicuti non audebunt Aduersarij concedere hanc consequentiam:

tenetur Tutor plùs habere curam Rerum Pupilli, quæ cura ex officio incumbit ipsi Tutori, quàm teneatur habere curam Vitæ alienæ, ergo prò saluandis Rebus Pupilli Tutor potest licitè occidere Furem; sufficit autem, ait *Fagnanus Cap. Interfecisti 2. num. 12.*, *respondenti dare instantiam ad tollendam vim consequentiæ, vt post Aristotelem 8. Topic. Declarat. Gloss. 2. in Cap. Sicut Vrgent. 1. qu. 1.* Prætereà nec est bona consequentia: Minùs tenetur quis habere curam Vitę Proximi, quàm teneatur habere curam Rerum suarum, ergò pro saluandis Rebus suis potest Proximum licitè occidere, non, inquam, est bona consequentia, eò quòd arguitur à negligentia, seu à culpa negatiua in omittendo, prout est non habere curam Rerum suarum, ad culpam positiuam in committendo, prout est Proximum occidere, & nulla mehercle est proportio inter omissionem curæ Rerum temporalium, & destructionem Vitæ alienæ ex Fagnano supracit.

22. Neque valet dicere, quòd Res temporales sunt secundus Sanguis Hominum, sunt media ad conseruationem Vitæ necessaria, vnde Pecunia, & Patrimonium dicuntur Vita Hominis, itaut qui Patrimonium perdit, Vitam perdere dicatur, tradit *Gloss. iuncto Textu in L. Aduocati Cod. de Aduoc. Diuers. Iudic.*, ergo si pro defensione Vitæ licitum est occidere Inuasorem, ita etiam pro defensione Rerum temporalium maximi Momenti, quæ aliter recuperari non possunt, erit licitum occidere Spoliatorem. Non, inquam, valet, eò quòd inter Res temporales estò pretiosas, & Vitam nulla est proportio, nam Vita Hominis est Rebus omnibus pretiosior, & ęquiparatio Vitæ, & Rerum temporalium procedit solùm secundùm analogiam, & *quoad quid*, scilicet quatenus Homo de Pecunia, & Patrimonio viuit, non autem procedit *quoad hoc*, vt pro defendendis Rebus temporalibus estò pretiosis, licitum sit occidere Inuasorem, & patet Exemplo Clerici *in Clement. Si Furiosus*, qui pro Defensione Vitæ potest interficere Inuasorem, & tamen, sicut est casus apertissimus *in Cap. Suscipimus 10. De Homicid.* non potest pro defensione

fensione Rerum occidere Spoliatorem, sic Ioannes de Anan. in dicto Cap. num. 51. Vers. Nec obstat, si dicatur. Tum quia *Sacri Canones* indistinctè prohibent pro Rebus transitorijs Sanguinem effundere, & Cęde humana se polluere.

23. Dices quartò, & est Achilles Aduersariorum. Tum quia non obligatur quis ex Charitate Christiana Vitam Proximi pręferre rebus suis temporalibus, nisi quando Proximus est in necessitate, (subintellige extrema) sed in nostro Casu Fur non est in necessitate, sed potiùs in praua, & iniqua Voluntate, ergo non obligatur quis ex Charitate Christiana præferre Rebus suis temporalibus Vitam Furis, præsertim si Res huiusmodi sint pretiosæ, & nequeant de facili recuperari, quapropter solùm, quando Proximus est in necessitate extrema, Vita Proximi pluris est æstimanda, quàm sint æstimandæ Res temporales pretiosæ, non autem quando Proximus est in praua, & iniqua voluntate, nec enim teneor dare Rem Meam, quia Proximus illam vult, sed quia Proximus est in Indigentia. Duobus Verbis: Vita Proximi est pluris facienda, non Voluntas praua, cesset ergo Proximus ab iniquitate, & tunc eius Vita erit salua. Tum quia non obstante, quòd Inuasor iniustus Vitæ Meæ sit in periculo perdendi Vitam spiritualem, idest sit constitutus in necessitate Spirituali, quę est maior qualibet necessitate corporali, adhuc possum licitè me defendere illum occidendo, vnde si eum occidam seruato moderamine inculpatæ Tutelæ, non pecco, & quòd ipse perdat Vitam quoque Spiritualem, imputari debet, non meæ Defensioni, sed ipsius Malitiæ, & Iniquitati, ergo & idem dicendum est de iniusto Inuasore Rerum mearum maximi Momenti, quas non alia via possum recuperare, nisi ipsum occidendo.

℞. Ad primum, quòd Argumentum procedat solùm, quando Fur, qui non est in necessitate extrema, furando ponit Proximum in extrema necessitate, & tunc Proximus non pro Rebus suis temporalibus defendendis, sed potiùs pro Vita sua saluanda licitè occideret Furem, at si Pro-

si Proximus inuasus in Rebus suis temporalibus non ponatur in extrema necessitate, tunc præponderat Vita Furis Inuasoris secundùm ordinem Charitatis Christianæ, & tenetur Inuasus Res suas omninò amittere potiùs, quàm furem Vita priuare, eò quia Vita relatè ad quascumque res temporales est ęstimabilius Bonum, & licet non teneat dare Rem meam Proximo, qui illam vult, sed Proximo, qui illa indiget, teneor tamen de duobus Malis eligere minùs graue, vt euitetur magis graue. Ad secundum nego paritatem, quia in antecedenti fit sermo de Vita Mea comparata ad Vitam Proximi, in quo casu Lex naturalis, & omnia Iura permittunt licitam pro defensione meę Vitæ Occisionem iniusti Inuasoris, seruato debito moderamine, & Ordo Charitatis Christianæ petit, quòd Vitam meam Vitæ Proximi præferam, quando Ego, & Proximus sumus in ęquali necessitate defendendi Vitam, & in consequenti fit sermo de Vita Proximi comparata ad Res meas temporales, in quo casu, & Iura, & Ordo Charitatis Christianæ obstant, ne pro defensione Rerum mearum maximi Momenti tollam Vitam Proximo, iniusto Inuasori ipsarum, neque seruarem debitum Moderamen occidendo eum, sed sine modo, & cum maxima inęqualitate, in qua consistit Iniustitia, Res meas præferrem Vitæ Furis Inuasoris. In antecedenti igitur præualet Defensio Meæ Vitæ Corporalis, non solùm Vitę corporali, sed etiam Vitæ spirituali Proximi, qui iniustè, & iniquè meam Vitam inuasit, & quia Proximus absque vlla necessitate, sed sponté & ex propria malitia se coniecit in discrimen non solùm Vitæ corporalis perdendę, sed etiam Vitæ spiritualis, ideò Iacturam vnius, & alterius Vitæ imputet suæ prauitati; in consequenti non præualet Defensio Rerum mearum Vitæ corporali, & spirituali Furis, quia licet Fur absque vlla necessitate; sed spontè, & ex propria malitia se coniecerit in discrimen, vt caperetur à me, vel apud Iudicem à me accusaretur, & à Iudice puniretur, non tamen se coniecit in discrimen Vitæ corporalis, & spiritualis perdendæ. Tum quia nulla
est

est æqualitas Rerum mearum cum Vita Furis, qui furando non ponit Me in extrema necessitate, vt suppono. Tum quia, cum sim Persona priuata, non est in mea potestate occidere Malefactorem; ergo si occidam Furem in Defensionem Rerum mearum, quas de facili recuperare non possum illicitè, & ex mea iniquitate occido, secus dicendum foret, si Fur furando Res meas maximi Momenti, & per Iudicem Irrecuperabiles induceret me in necessitatem extremam, quia tunc Res meæ æquiualerent Vitæ meæ, & præualerent Vitæ Furis, & sic licitè occiderem Furem pro defensione Rerum mearum, seruato debito Moderamine.

24. Dices quintò, quòd Pater Cardenas in 3. part. Christis Theol. disp. 57. cap. 3., art. 3. pro Defensione Patris Molinę contrà Fagnanum cap. Ne innitaris, quadraginta duos Doctores Nobis contrarios adducat, & tot Virorum auctoritas reddat suam Opinionem probabiliorem Nostra.

℞. Quòd ex longa serie Doctorum Nobis aduersantium colligatur solùm, quòd Opinio contraria sit ab extrinseco fortè probabilior, non tamen sit probabilior ab intrinseco, cùm Opinio Nostra firmioribus fundamentis, & grauioribus sit fulcita rationibus, pondus verò rationum prę-ponderat auctoritatibus, vt constat ex *Cap. Capellanus De Ferijs*, vbi Pontifex in electione vnius ex duabus Opinionibus illam non præfert, quæ maiori Doctorum parte erat munita, sed illam, quæ potioribus fundamentis fulcita est, nulla habita ratione Auctoritatis Doctorum. Pro Nostra Sententia stant Matthæuccius, Bonauentura Baro, Gerson, Tabiena, Fagnanus, Maiolus, Fellinus, Glianes, Apulensis, Ioannes de Anania, Augustinus de Ancona, & alij plures Theologi pręsertim Canonistę, quorum specialiùs interest Legem Ecclesiasticam, & Pontificias Sanctiones explanare, & hæc sufficiant ad reddendam probabiliorem, & tutiorem Nostram Santentiam, pręsertim post Condemnationem plurium Thesium factam à Romanis Pontificibus.

25. At

25. At numquid licitum erit Religioso occidere alterum pro Defensione Honoris?

℞. Quòd cùm non sit licitum Viro Seculari, multò minùs licitum erit Religioso, qui Deo est specialiter addictus, ac debet potiùs pro Nomine Iesu Contumeliam pati, quàm suum Honorem cum occisione Dehonorantis tueri; hoc autem constat ex dictis, cùm Vita iuxtà Ordinem Charitatis Christianę semper sit superioris Ordinis ad honorem, Vita semper sit Bonum ęstimabiliùs honore, Vita sit substantia Corporis, Honor verò sit accidens; nec aliter censendum est apud Deum, & Personas Deum timentes, quàmuis Mundani, & Carnales contrarium approbent, sequendo Theses damnatas in Materia Honoris ab *Alexandro VII. num.* 2., 17., 18., 19., *& ab Innocentio XI. num.* 30., 34., 35., ex quibus deducimus, Vitam pręponendam esse Honori, & Occisionem pro Defensione Honoris esse omninò illicitam, & vocari propriè Vindictã priuatam. Iuxtà nostram Resolutionem loquuntur multi Theologi, inter quos Syluius in Additione ad Petrum Binsfeldium in Enchirid. part. 3. Cap. 12. q. 2. sic scribit: *Additio. Valdè prudenter monet, Doctrinam aientem, quòd pro defensione Honoris liceat Hominem occidere, non esse admodum tutam, quia vel nullus, vel rarissimus Casus est, in quo hoc liceat, siue quia Honorem lędens non infert Vim, vt ea possit dici, esse per Vim repellenda, siue quia honor potest aliter defendi, quam per occisionem Inhonorantis, siue quia per illam occisionem non verè recuperatur Honor, nisi apud Mundanos, & Carnales, qui nesciunt, in quo verus Honor consistat*: Hęc Syluius egregiè addidit Binsfeldio, qui in suis comment. cap. 1. qu. 6. Concl. 8. ostenderat post alios, quòd Doctrina Aduersariorũ nõ sit admodùm tuta in Conscientia.

26. Dices cum Aduersarijs apud Cardenam in Christ. Theol. ad propos. damnatas Dissert. 21. cap. 2. art. 4. n. 45., 46., 47., quòd aduersus intentantem aggredi alterius Honorem possit Aggressus se defendere opponendo Gladium, & tunc si Aggressor Honoris desistat, aut fugiat, non potest Aggressus illum insequi, & occidere, quia in-

iuria

iuria iam est impedita; si autem Aggressor Honoris suum Gladium contrà Gladium Aggressi in Honore etiam educat velitque in pugna resistere, tunc potest Aggressus in Honore se licitè defendere defensione occisiua, quia tunc non defendit Honorem solùm, sed Honorem simul & Vitam. Examplificat Cardenas tùm de Marito, qui videt Adulterum accedentem ad violandum sui Thorum; tùm de Viro Nobili, quem Plebeius intentat Fuste, aut Arundine percutere; tùm de Virgine, cuius Virginitatem conatur impudicus Aggressor deflorare, etenim si hæc aggressa non possit fugere, vel Clamor sit ei inutilis, aut ignominiosus, poterit Honorem suum, suamque pudicitiam defendere defensione occisiua contrà impudicum, quàmuis impudicus non insidietur Vitæ Virginis, & hoc probat Cardenas *ex illa Reg. Iuris Vulgata, & certa: Vim Vi repellere licet*, & ex hoc discursu Cardenæ suum formant Argumentum Nostri Aduersarij.

℟. Quòd (quidquid sit de illo modo opponendi Gladium ad impediendum Adulterum à violando Thorum, & ad impediendum Percussorem ab Ictu Fustis, aut Arundinis faciendo, pro Defensione Honoris Mariti, & Viri Nobilis iuxtà duo prima Exempla) si Intentas aggredi Gladium Gladio opponat, & pugnando occidatur eius occisio, relatè ad Defensionem solius Honoris sit illicita, sit contrà Regulam allatam, sit absque Moderamine inculpatæ Tutelæ, & sic contrà Ordinem Charitatis Christianæ, nec sit licita Honoris Defensio, sed est Vindicta priuata, *contrarium verò sentientes, non Christianè, & spiritualiter, sed politicè, mundanè, & carnaliter loquuntur, & docent iuxtà Andream Glianem.* Si autem occisio relatè ad Honoris simul, & Vitæ Defensionem fiat, tunc est licita, est iuxta Regulam præfatam, est iuxta Legem naturalem, & omnia Iura, est cum debito Moderamine inculpatæ Tutelæ, estque conformis ordini Charitatis Christianæ, qui Vitam propriam preferre docet Vitæ alienæ, eo quidem modo, quo *secundum Sacros Canones* supra diximus, *Te, Tuaque* copulatiuè liberando posse licitè occidere Furem,

& Vim Vi repellere, si debitum serues Moderamen. Ex his patet responsum ad duo prima Exempla Cardenæ, quę vt vides, saltant à Defensione solius Honoris ad Defensionem Honoris simul, & Vitæ, & potiùs stant in fauorem Sententiæ Nostræ.

Ad tertium Exemplum de Virgine tentata in sua pudicitia, quod quidem est optimè excogitatum, eò quòd prò Defensione solius Honoris, & non Vitæ simul adducitur, cùm supponat, Impudicum insidiari Pudori Virginis solùm, & non Vitæ, respondeo, quòd Virgo, si non possit fugere à violentia impudici Agressoris, vel nisi clamor sit illi inutilis, aut ignominiosus, nequit licitè impudicum Aggressorem occidere pro Defensione sui Honoris, sed potiùs debet pati violationem suæ Virginitatis, quia si mentis consensus absit, violatio non imputatur sibi ad peccatum, sed duplicatur ad Coronam, iuxtà Luciam Sanctam, cùm non coinquinetur Corpus, nisi de Mentis consensu *ex D. Thoma 2. 2. qu. 64. art. 5. ad 3.* Si autem Virgo sit in probabili periculo dandi mentis consensum peccato, adhuc nequit licitè impudicum Violatorem interficere, eò quòd semper minùs graue peccatum est, quòd Virgo violetur, quàm quòd Virgo volentem violare interficiat, seu minùs graue peccatum est Stuprum, quàm sit Homicidium.

27. Si dicas, quòd multæ Virgines Sanctæ Suicidium patrare potiùs, quàm amittere pudicitiam voluerint, consequenter, pluris ęstimarint Honorem, quàm Vitam. Respondeo, quòd id fecisse credantur *ex Diuina Inspiratione*, prout eas excusat *D. Augustinus lib. 1. De Ciuit. Dei Cap.* 45., at seclusa Inspiratione, & Ordinatione Dei, qui solus est Dominus Vitæ, & Membrorum Nostrorum, nulla potest dari causa ad id necessitans; etenim Suicidium non licet, nec ad detestationem peccati commissi, sicut Donatistæ falsò asserebant, quia potiùs expedit viuere ad peccata commissa delenda per Pęnitentiam, quàm tale tempus sibi subtrahere; neque ad vitandum peccatum futurum proprium ne scilicet consentiat in peccatum, eò

quòd

quòd iuxtà *Apostolum Roman. 3. Non sunt facienda Mala, vt eueniant Bona*, & quia non licet committere Malum maius, & magis certum, ad vitandum malum minùs, & minùs certum; neque ad vitandam ignominiam, vel alias huius Vitæ ęrumnas, vnde meritò Lucretia Romana reprehenditur à *D. Augustino lib. 1. De Ciuit. Dei Cap. 19.*, quæ propter vitandam ignominiam Stupri sibi à Tarquinio illati, se se interemit, & contrà eam sic argumentatur *Augustinus: aut non consstitit, & restitit quantum potuit Adultero, & sic nec vitiata, nec corrupta fuit, & propterea non erat digna, vt se ipsam occideret, aut consensit in culpam Adulterij, & tunc sui ipsius Iudex esse non debuit, vnde concludit Sanctus Doctor, actum illum non fortitudinis, sed pusillanimitatis Opus fuisse, eò quòd ignominiam illam ferre non voluit*; idem quoque dicendum esset de Religioso, quando se ipsum occideret, ne in peccatum incideret, quapropter *Scotus in quart. dist. 15. qu. 3. art. 2. inquit: Sicque nullus debet sibi Mortem inferre, quia nullus debet esse Homicida sui sine speciali Decreto Dei..*

28. Sed quid in his duobus Casibus horrendis resoluendum est; in quibus dubitari potest de Suicidio, videlicet si Religiosus inueniatur vel mortuus in Puteo, vel mortuus in Cella cum Fune ad Collum appensus?

℟. Quòd licet in Iure *Cap. in quibus 13. qu. 1.* definitum fuerit, denegandum esse Sepulturam Ecclesiasticam ei, qui se ipsum occidit, hoc tamen non in omni Casu est verum, propterea in præfatis Casibus debet Superior cum omni circumspectione procedere, & non præcipitanter resoluere, nec, nisi expressè pateat, quòd Religiosus Suicidium patrauerit propter desperationem, propter iracundiam, vel propter impatientiam, Sepultura Ecclesiastica, & applicatione Sacrificiorum, & Orationum priuandus est, quoniam Suicidium potuerat contigisse ex fatuitate, ex Mentis alienatione, vel ex furore in infirmitate; tùm quia Occisio Religiosi potuerat contigisse ex alterius Violentia; tùm quia de Proximo nostro semper benè præsu-

mendum eſt, niſi contrarium expreſsè conſtet *L. Meritò ff. Cap. 2. de Regul.*, *& in dubio Delictum præſertim tam graue de Nemine præſumitur*. Conſultus propterea Prælatus Viceſgerens in Romana Vrbe, an quidam Religioſus Laicus, qui Romæ inuentus fuit Mortuus in Puteo, deberet donari Sepultura Eccleſiaſtica, ac coadiuuari Sacrificijs, & Orationibus, mandauit, donandum eſſe, & coadiuuandum ad modum cęterorum Religioſorum, qui ex hac Vita decedunt pęnitentes, ſic ex Relatione P. Gobat. Tom. 2. Tract. 5. Cap. 50. n. 12. nec contrarium decernitur *in Cap. In quibus* 13. *qu.* 1. Idem quoque dicatur de Religioſo, qui inuentus fuit Mortuus in Cella cum Fune ad Collum appenſus. Sciat autem Superior Regularis, qui imprudenter, cum Scandalo, cum Infamia Religionis, & Religioſi vnum, vel alterum Religioſum ex præfatis ſepeliret in Sterquilinio, quòd Manus Domini non eſt abbreuiata ſuper illo. Secùs reſoluendum eſt, ſi expreſsè conſtet, vnum, vel alterum Religioſum patraſſe Suicidium propter Deſperationem, vel propter Iracundiam, vel propter Impatientiam, vel propter tędium Vitæ, vel propter aliam conſimilem cauſam *ex Cap. Placuit* 12. *Caſu* 23. *qu.* 5. *Placuit, vt qui ſibi ipſis voluntariè, aut per Ferrum, aut per Venenum, aut per Pręcipitium, aut per Suſpendium, vel quolibet modo violentam inferunt Mortem, ad Sepulturam Eorum Cadauera non deducantur*. Vide quæ de Religioſo mortuo cum Marſupio Denariorum dicta fuere Caſu 4. num. 50. Cauti ſint itaque Superiores in examinandis Caſuum iſtorum Circumſtantijs, qui licet in Religionibus de rarò contingant, poſſunt tamen, permittente Deo, contingere, & in facti contingentia nihil ex proprio marte reſoluant, ſed Doctores, & Prudentes Patres Monaſterij conſulant, antequàm Iudicium dent, quid agendum.

29. *Secunda Actio*, quæ eſt Reſeruabilis *in Caſu Decimo Clementino*, habetur in illo Verbo *Aut Vulneratio*, ſubintellige In Grauis, cùm *Sacra Tridentina Synodus præcipiat Cap. 7. de Pęnit. Seſſ.* 14., *quòd Reſeruatio fiat*

*de atro-*

*de atrocioribus*, *& grauioribus Criminibus*, vnde non sufficit ad Reseruationem, quòd sit Vulneratio leuis, quæ facilè, & quàm citò sanatur, & leue Vulnus non est propriè Vulnus, facit ad hoc Textus in *L.* 1. §. *Proinde ff. De Ædil. Edicto*, vbi leuis Febricula non dicitur Febris, consistit ergo Vulneratio, quæ hìc reseruatur, in hoc quòd sit iniusta, & voluntaria, sicuti diximus de Occisione, & quòd sit grauis, adeout per Vulnus inflictum pars aliqua Corporis humani incidatur, aperiatur, aut separetur cum graui lęsione, non solet autem aperiri Caro humana sine effusione Sanguinis, siue postea hæc incisio, & apertura Carnis fiat Telo, Gladio, Cultro, Falce, Nouacula, aut alio Instrumento apto ad partem Corporis humani cum effusione Sanguinis aperiendam, seu separandam.

30. *Tertia Actio*, quæ in *Casu Decimo Clementino* est Reseruabilis, habetur in illis Verbis *Seu Grauis Percussio*, adeò vt si leuis sit Percussio, non cadat sub Reseruatione, subintellige Tu *Iniusta*, & *Voluntaria*, sicuti diximus de Occisione, & Vulneratione, vnde Percussio non accipitur hìc, prout idem significat ac Vulneratio, sed prout differt, & distinguitur à Vulneratione, vt patet, cùm *Vi Decreti Clementini* sit Reseruabilis, non solùm Vulneratio grauis, sed etiam grauis Percussio. Est igitur Percussio pulsatio, aut verberatio alicuius Personæ, facta cum aliquo Tumore, macula, aut Liuore, vel etiam citrà Tumorem, maculam, aut Liuorem, & Liuor est plumbeus quidam color ex eo procedens, quòd in Corpore percusso exiles Venæ contusæ Sanguinem ad extremam cutem diffundunt, siue cum dolore, siue citrà dolorem. Triplex autem est Percussio, Leuis nimirùm, Mediocris, & Enormis, & hæc diuisio est arbitraria, & facta à Doctoribus Iudicio quidem prudenti. *Leuis* est, quæ fit Pugno, Palma, Manu, Digito, Pede, Ligno, vel Lapide, Liuorem, Sigillationem, aut Maculam Carnium non relinquentibus, & vocatur Leuis, non ex eo quòd sit peccatum Veniale, quoniam certum est, quòd qui aliquo ex dictis Modis iniuriosè percutit Personam, mortaliter peccat,

peccat, ſed vocatur Leuis reſpectiuè, hoc eſt reſpectu Medioeris, & Enormis iuxtà Nauarrum in Man. cap. 27. num. 92. *Mediocris*, media ſcilicet inter Leuem & Enormem, eſt, quæ fit cum relictione Liuoris, Sigillationis, aut Maculæ Carnium, ſine tamen Mutilatione, ſine notabili Sanguinis emiſſione, aut ſine lethali Vulnere, vt ſi v. g. Dens extrahatur, Capillorum copia euellatur, Veſtes effringantur, ſi Stercore Vultus fędetur, & ſimilia fiant, abſque tamen graui leſione. *Enormis* eſt, quæ fit cum Mutilatione, aut cum notabili Sanguinis effuſione, quæ non proueniat è Naribus, aut cum lethali Vulnere, eſtò cum modico Sanguine, cum graui lęſione tamen, vel graui iniuria, immò licet Percuſſio in ſe ſit leuis, adhùc fieri poteſt Enormis, & Atrox ratione Dignitatis, ratione Perſonę, ratione Loci, ratione Scandali, & aliarum circumſtantiarum, ſicuti apud P. Felix Tom. 1. qu. 4. cap. 5. n. 3572. clarè conſtat legenti *Conſtitutionem Ioannis XXII. Incipient. Perlectis Litteris Veſtris* quàmuis *in hac Conſtitutione* Percuſſio diſtinguatur ſolùm in Modicam, ſeu Leuem, & in Grauem, ſeu Enormem.

31. *Vltima Dictio*, quæ ponitur *in Caſu Decimo Clementino*, eſt ly *Cuiuſcumque Perſonæ*, adeò vt Reſeruatio huius Caſus incurratur occidendo, aut grauiter vulnerando, aut grauiter percutiendo Hominem viuum (nam Homo mortuus non eſt Perſona) tàm Maſculum, quàm Fęminam, tàm Chriſtianum, quàm non Chriſtianum, tàm Sęcularem, & Laycum, quàm Eccleſiaſticum, & Religioſum, cùm omnes iſti ſint Perſonę, & omnibus conueniat Definitio hæc Perſonæ, quæ eſt: *rationalis Creaturæ induidua Subſtantia*, & quia Lex generaliter loquitur, dum dicit *Cuiuſcumque Perſonæ*, ideò eſt à Nobis generaliter intelligenda, hoc ſolùm aduertendo, quòd percutiens Perſonam Eccleſiaſticam, aut Religioſam duplici innodatur Reſeruatione, nimirùm ratione peccati, & ratione Excommunicationis, Percutiens autem Perſonam Sęcularem vnica tantùm ligatur Reſeruatione, ratione peccati.

32. Sed

32. Sed vndenam habetur huiusmodi Excommunicatio?

℟. Quòd expresè habeatur ex Verbis Canonis 15. *Concilij II. Lateranensis sub Innocentio II.*, quibus dictus Pontifex Percursorem Clerici, vel Monachi excommunicat *in Cap. 17. qu. 4. Sic: Si quis Suadente Diabolo Manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerit, anathematis Vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandata recipiat*, & hoc Decretum comprehendit Mares, & Feminas, Mandantes, Consulentes, Opem, Auxilium, Fauorem Dantes, & alios ad id positiuè influentes, effectu sequuto, iuxtà *Cap. Mulieres, Cap. Quantæ De Sent. Excomm.*, & *iuxtà Clement. Si quis Suadente de Pænis*; item comprehendit eos, qui ratam habent Offensionem Clerici, aut Monachi suo nomine factam *Cap. Cum quis 22. De Sent. Excomm. in 6.*, *quia vt ait Regula 10. Iuris in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & Mandato non est dubium comparari*, & isti omnes ligantur Excommunicatione, ad differentiam Reseruationis peccati, à qua omnes alij excluduntur, præter Principalem Agentem, nisi in Littera Reseruationis expresè nominentur.

33. Verùm quot requiruntur, vt Excommunicatio Canonis cit. incurratur?

℟. Secundùm Opinionem mihi probabiliorem cum Sperello decis. 45. num. 12. quòd tria copulatiuè requirantur, vt ex Verbis ipsius Canonis deducitur; requiritur *primò*, quòd Delictum Percussionis contrà Clericum, aut Monachum fuerit consummatum per aliquam actionem externam iniuriosam Statui Clericali, aut Monachali, ideò dicitur in Canone *Manus iniecerit* denotando tempus perfectum, non tamen necesè est, quòd actio illa externa tantæ sit releuantiæ, vt semper in se sit culpa mortalis, sed satis est, vt sit contrà Ius, quod Clericus, & Monachus habent in suum Corpus, vel Saltem vt secundùm moralem Hominum existimationem honor, & reuerentia debita Statui Clericali, & Monachali grauiter lędatur per ipsam actionem,

nem, dummodò corpus attingatur, quàmuis tactus in se inspectus leuissimus fuerit, sic Sperellus cit. num. 36., aliqua adducens Exempla; requiritur *secundo*, quòd Percussor Clerici, aut Monachi malum iniuriandi, aut offendendi habuerit animum, & exterius lęserit attingendo physicè Corpus, aut res Corpori inhęrentes, vel grauiter secundùm moralem Hominum existimationem offenderit honorem Clerici, aut Monachi per contactum, etiam leuissimum, ideò dicitur in Canone *Suadente Diabolo*, & ex hoc deducas non incurrere Excomunicationem Canonis Patrem, qui solùm suadente Iustitia, vel Charitate, aut Zelo Dei, & Disciplinę percutit Filium Clericum moderatè, vt corrigatur, quia non suadente Diabolo percutit, dummodò tamen Filius Clericus non sit in Sacris constitutus *Cap. Cùm Voluntate*, nam hoc nimis indecorum foret Statui Clericali, nimisque vilesceret. Verùm Prælatos hoc posse contrà Clericos, aut Monachos sibi Subditos, si id faciant per se, vel per Clericum, aut per Monachum, tenet Layman lib. 4. tract. 9. cap. 7. num. 8., quoniam si per Personam Laycam id faciant, tunc & ipsi Prælati Mandantes, & Laycus Mandatarius exequens ligantur Excommunicatione *Cap. Vniuersitatis*. Conceditur tamen ipsis Prælatis *Cap. Vt Famæ*, *posse Clericos incorrigibiles, & ne Crimina remaneant impunita, neue illi deteriores fiant, sub arcta Custodia detinere, qui per Laycos, si opus sit, poterunt citrà Excommunicationem comprehendi, dum tamen id hi de Mandato faciant Prælatorum, quorum illi sunt Iurisdictioni subiecti, & quorum est corrigere Criminosos, cùm hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur, dum tamen non ampliùs eorum violentia se extendat, quam defensio, vel rebellio exigit Clericorum. Immò hoc posse, licet nondùm appareant incorrigibiles, habetur in Cap. Si Clericus in 6. lib. 5. Tit. 11.* Requiritur *tertiò Violentia*, quæ consistit in aliqua actione externa, quæ repugnat Iustitiæ, & fit contrà Clericum, aut Monachum, vel in Res suo Corpori inhęrentes, eas actu attingendo, ideò dicitur in Canone ly *Violentas*,, siue

siue postea huiusmodi violentia sit expulsiua, qua per vim expellitur, siue violentia sit compulsiua, qua scilicet compellitur, vel mouetur Clericus, aut Monachus ad aliquid agendum, quod facere non vult, ex Sperello supracit. n. 80., & nota, quòd in Canone dicitur ly *Manus*, eò quòd Manus regulariter est Organum magis aptum ad ponendas huiusmodi Actiones externas offensiuas, nociuas, & iniuriosas, nec per hoc excluduntur cętera Membra ex quibus sequi potest Percussio Clerici, aut Monachi, sicuti sunt Brachia, Pedes, Caput, & alia membra humana.

34. Quasnam verò Personas per *ly Clericum*, *vel Monachum* comprehendat Canon præfatus?

℟. Per ly *Clericum* comprehendere quamlibet Personam non solùm insignitam aliquo Ordine, sed etiam initiatam solùmmodo Prima Tonsura. Item Clericum Coniugatum, si cum vna & Virgine contraxerit, ac Habitum, & Tonsuram gestet. Excludere autem Clericum verè Bigamum, quatenùs cum duabus contraxit, vel Clericum interprętatiuè, Bigamum, quatenùs cum vna Corrupta contraxit, huiusmodi enim Clericis interdicitur gestare Tonsuram, & Habitum Clericalem *Cap. 1. De Bigam. in 6.* Excludere Clericum, qui Tonsura, & Habitu Clericali dimissis, ter monitus à suo Episcopo reassumere renuit *Cap. Cum contingat De Sent. Excomm.* Excludere Clericum Tabellarium, vel Macellarium, qui ter monitus à suo Episcopo non desistit, vel si destiterit, rursùs reuertitur *Clement. 1. De Vita, & Honest. Cleric.* Excludere Clericum, qui facit se Ioculatorem, Goliardum, Histrionem, Buffonem, & Scurram, si per Annum huic ignominioso officio vacauerit *Cap. Vnic. De Vita, & Honest. Cleric. in 6.* Excludere Clericum, qui sine Tonsura, & Habitu Clericali enormibus se immiscet crassando, Latrocinia; Tirannidem committendo, Seditiones, aut Bella commouendo *Cap. Perpendimus, & Cap. Cum non ab Homine De Sent. Excomm.*, & ex his habes, quinam Clerici gaudeant Priuilegio Canonis, & quinam non.

Per ly *Monachum* comprehendere omnes Personas Reli-

giosas vtriusque Sexus, siue Viri sint, Moniales, Conuersi, & Conuersæ, Nouitij, & Nouitiæ *cap. De Monialibus*, *& cap. Religioso De Sent. Excom. in 6.* Item Tertiarios, qui Habitum Religionis imperfectum, seu Tunicam gestant, & sine Capucio incedunt, Mancipati sub Obedientia sui Superioris, collegialiter viuentes, vel cum Claustralibus habitantes *ex Bulla Leonis X. Incipient. Dum intrà* §. 20., nam quàmdiù ità viuunt, censentur Religiosi, & Personæ Deo dicatæ, sicuti censentur Nouitij. Item Mulieres Tertiarias, quæ Virginalem vitam, seu cęlibem, vel castam Vidualem, expresso Voto (idest simplici Castitatis solùm), & sub dicto Habitu Vitam traduxerint, quemadmodum cauetur *Constit. Concilij Later.*, quæ habetur *Sess. 11. in fine ex Sacra Congregatione Concilij die 20. Decembris 1616*, & hoc est verùm, siue habitent in Consanguineorum, & Affinium suorum, aut in proprijs Domibus, aut seorsìm ex Lezana Tom. 2. cap. 14. num. 28.; secùs dicendum est de Mulieribus Tertiarijs sine tali Voto Vitam ducentibus. Extendunt Priuilegium Canonis nonnulli Doctores ad Homines illos, qui assumpto Habitu Religioso adhibentur ad Seruitia, & obsequia Monialium, & ad quærendas pro Monialibus Eleemosynas, sic Diana part. 4. Tract. 1. Resol. 31., Antonellus De Regim. Ecclesf. lib. 4. cap. 1. num. 22., & aliqui alij. Idem Priuilegium Canonis etiam extendunt aliqui Doctores ad illos Laycos, qui incedunt in Habitu Clericali, & inseruiunt Congregationi Presbyterorum gregatim Viuentium modo Religioso sub certo Superiore, sic Ricc. in Praxi Fori Ecclesf. part. 2. Resol. 419. Item comprehendere Eremitas, qui sub aliqua Regula, & sub Obedientia alicuius Superioris, v. g. Episcopi viuunt, secùs dicendum, si non sic viuant, sed sint Vagi, nullamque specialem obligationem Ecclesiasticam habeant iuxtà Anacletum Tract. 13. de Censuris qu. 4. num. 6. Item comprehendere Equites Sancti Iacobi Calatrauæ Alcantaræ in Hispania, Ordinis Christi in Lusitania, quia cùm emittant Tria Vota Substantialia, sunt Personæ Religiosæ; &

comprehen-

comprehendere Equites prefertim Sancti Ioannis Hierosolomitani, vulgò *Cauaglieri di Malta ex Cap. Canonica Tit. 39. De Senten. Excommun.*, isti enim sunt Viri verè Religiosi, viuentes in Religione approbata à Sede Apostolica, & obligati ad tria Vota substantialia, quibus addunt quartum, defendendi scilicet proprio Ense omnes Christianos ab Infidelibus, etiam cum suæ Vitæ discrimine, vt notat Sperellus Decis. 21. num. 10., & idem etiam dicitur de præfatorum Equitum Nouitijs.

35. Numquid si Religiosus ex ioco aliū Religiosum percutiat, etiamsi in ioco sit excessus, & in percussione, incurrat in Excommunicationem Canonis?

℞. Quòd non quia Percussio non sit *Suadente Diabolo*, & quàmuis aliqua ira in progressu Ioci interfuerit, dummodò à ioco habuerit initium, & talis iocus non fuerit interruptus per aliquod spatium temporis, censeo, idem resoluendum esse; si autem post interruptionem ioci per aliquod spatium temporis Religiosus ex aduertentia percutiat alterum cum Ira, & *Suadente Diabolo*, quàmuis talis Percussio, & Ira habuerit principium à Ioco, censeo, Percussorem incurrere in Excommunic. Canonis.

36. Quid, si Religiosus se ipsum grauiter vulneret, aut percutiat?

℞. Quòd, si irato animo faciat hoc, letaliter peccat, & in Excomm. Canonis incurrit *ex cap. Contingit. 1. De Sent. Excomm.*; tum quia nemo priuata auctoritate potest cedere Iuri Status Clericalis, aut Monachalis cum tanta eiusdem Status iniuria, *Priuilegium siquidem concessum alicui Ordini, ac Status non potest à priuata Persona renunciari, ac cedi L. Si cum publ. ff. de Pactis C. Si diligenter*. Tum quia nemo est Dominus suæ Vitæ, & suorum Membrorum, adeòut sine necessitate possit pro libito suo disponere, sed Deus solus reseruat sibi hoc dominium. Deinde in Reseruationem etiam *Casus Decimi Clementini* incidit, quia Religiosus se ipsum animo deliberato grauiter vulnerans, aut percutiens dicitur grauiter, iniustè, & iniuriosè ledere *Personam*, vnde in Littera

Mmm. 2 Reserua-

Reseruationis ponitur ly *Cuiuscumque Personæ*. Tum ex *cap. Si non licet 23. qu. 5.*, vbi habetur, *plùs esse Homicidam, qui se occidit, quàm qui occidit alium*, ergo etiam plùs est Percussor, & Vulnerator Religiosus, qui se ipsum grauiter percutit, aut vulnerat, quàm qui alium percutit, aut vulnerat. Contrarium est dicendum de Religioso, qui non animo irato, sed ob feruorem deuotionis seipsum grauiter percutit.

37. At quid, si grauiter quis percutiat Religiosum volentem, & consentientem percussioni?

℞. Percutientem esse innodatum Excommunicatione Canonis, & incidere in Reseruationem *Decimi Casus Clementini*, est enim Percussio grauis, & iniuriosa ex *cap. Contingit De Sent. Excomm.* Neque valet, quòd *volenti, & consentienti non fiat iniuria*; non, inquàm, valet in ijs, in quibus consentiendo resultat damnum Tertio, sicuti in casu resultat maxima iniuria Statui Monachali, quapropter nequit Religiosus alium grauiter percutere Religiosum, qui nequit velle, & consentire graui, & iniuriosæ sui ipsius percussioni, ex qua grauis etiam resultat iniuria Statui Monachali. Et licet percussus consentiens non sit de facto excommunicatus ex dicto *cap. Contingit*, vbi habetur hoc Verbum: *excommunicetur*:, est tamen excommunicandus, quia illud verbum futuri temporis indicat Exommunicationem ferendam, vt notat Suarez disp. 22. Sect. 1. num. 57.

38. Num autem, qui iniuriosè Vestes adhęrentes Corpori Clerici, aut Monachi lędit, aut effringit irato animo, aut contumeliosè in Vestem eorum puluerem, aquam, vel saliuam inijcit, aut qui manus violentas inijcit in Equum, cui Clericus, aut Monachus insidet, sistendo per Frenum (& quidem actiones istæ sunt graues respectu honoris, non tamen respectu Corporis), aut qui Clericum, vel Monachum sic persequitur, vt in Flumen, aut in fossam Incidat, aut Equo decidat; aut qui in Carcere violenter detinet, aut in alio loco, à quo sine dedecore Clericus, aut Monachus exire non potest; aut qui explodit Sclopum

contrà

contrà Clericum, aut Monachum, quem plumbea Glande non ferit, sed solùm cum puluere, aut cum stuppa Vestem ipsius attingit, vel quem solo strepitu Sclopi perterritum occidit; aut qui Clerico, vel Monacho Venenum propinat, num, inquam, per istas actiones physicas sigillatim consideratas incidere dicatur in Excommunicationem Canonis?

℞. Communiter, quòd incidat, eò quòd omnes istæ actiones sigillatim captæ habent sibi annexam iniuriam, violentiam, læsionem contrà Clericum, aut Monachum, & tria illa concurrunt, quæ diximus supra, esse necessaria, vt pæna Canonis incurratur. Neque dicas, quòd in vltima ex præfatis actionibus, scilicet in propinatione Veneni simpliciter, & morte non sequuta, non incurratur pæna Canonis. Siquidem respondeo cum Sperello decis. 20, & cum Nostro Matthæuccio Tom. 1. Officiales Curiæ Regularis Verb. Excomm. Canonis num. 29., quòd non est necesse, mortem sequi, sed sufficit ad incurrendam Excommunicationem Canonis, quòd sit sequutus haustus Veneni, in quo consistit actio exterior physica, iniuriosa, violenta, nociua, quòd si postea Mors sequatur, tunc erit factum enorme, & Homicidium.

39. Quid si Religiosus altercans cum alio Religioso, qui non vult ei consignare Cedulam continentem graue negotium, violenter scindat, & rapiat violenter partem Cædulæ præcisæ è Manibus illius, qui nolebat consignare?

℞. Quòd talis Religiosus incidat in Excommunicationem Canonis, eò quòd ad hanc incurrendam satis est, vt cum violentia de Manibus Religiosi extraxerit, & Suadente Diabolo fregerit partem illius cædulæ, nam dicitur iniecisse Manus Violentas in Rem adherentem Monacho, quod importat Excommunicationem iuxtà *Cap. Pulsatus 23. dist. 1. De Pænis Qui mittit Manum in Vestem Clerici, vel in Rem ab eo detentam*, & sic de rapina, seu fractione alicuius Rei è Manibus Clerici resoluerunt Caietanus Verb. Excomm. cap. 10. not. 1., Toletus lib. 1. cap. 22. num. 4., Reginaldus, Bonaccina, & alij, etenim iniectio

iniectio Manuum violentarum non semper importat grauem læsionem corporalem in Clerico, sed etiam importat quamlibet aliam iniuriam, & violentiam factam in Persona Clerici, vel in Rebus illi adhærentibus, ex Panormitano *in cap. Nuper de Sent. Excomm. not.* 3., & ideò ex Grillez Consil. 82. quidam damnatus fuit Excommunic. qui animo irato misit Manum super dorsum Clerici, absque vlla graui læsione Corporis.

40. An verò incurrat Excommunicationem Canonis Religiosus, qui animo iniurandi alium Religiosum capiens per Capillos, per Barbam, aut per Capuccium dicat, si non esses Religiosus, Te profectò percuterem, Te occiderem?

℟. Affirmatiuè; & quidem magis communiter cum Spezello Tom. 1. Decis. 45. num. 37., 38., 39., Diana part. 9. tract. 4. resol. 35., & pluribus alijs contrà Bordonum Resol. 28. num. 38., eò quòd licet contactus physicè consideratus sit leuissimus, moraliter tamen existimatur sufficiens ad grauem iniuriam contrà Statum Religiosum, talis siquidem iniuria est violenta, est facta Suadente Diabolo, est grauis contra honorem, & reuerentiam debitam Religioso, licet non sit grauis lesio corporis, eo modo quo iuxtà Grilensonum supracit. iudicatus fuit excommunicatus quidam, qui Manum iniecit ad Collum Sacerdotis, alteram Manum super Pugionem retinens, & iuxtà Nauarrum Concil. 24. de Sent. Excom. iudicatum fuit, incurrisse in Excom. Canonis Religiosum, qui alium Religiosum exportauit à sua Sede cum violentia, licet non percusserit, & hoc iudicium datum fuit non quia grauiter Lesus fuerit Religiosus in Corpore, sed quia maximum dedecus Statui Religioso obuenit.

41. In quibus ergo actionibus externis Religiosus alium Religiosum Percutiens excusabitur ab Excommunicatione Canonis?

℟. Excusandum esse in pluribus actionibus, & in his præsertim: Si videlicet Religiosus alium Religiosum percutiat non Odio, non Inuidia, non Indignatione, sed leuitate

leuitate iocosa iuxtà *cap. super Eo*. Si fortuitò, & non deliberatè percutiat, quia quod Casu fortuitò fit, nemini est imputandum, quia præuideri non potest iuxtà *cap. si verò*, secus si malitiosè non fuerit præuisum. Si inuincibiliter ignorans Censuram Canonis alium Religiosum percutiat, siue sit ignorantia Iuris, vt si Religiosus percutiens nesciat, esse Legem, quæ vult Percussioni Religiosi annexam esse excommunicationem, siue sit Ignorantia Facti, vt si Religiosus percutiens nesciat, eum quem percutit, esse Religiosum, ignorantia etenim inculpabilis Excommunicationis non importat Ecclesiæ contemptum inobedientiam, aut contumaciam iuxtà *cap. Si verò* 2. Idem dicas de Religioso, qui ratione sui Officij alium Religiosum cum Vi extrahit ex Ecclesia perturbantem Diuina Officia, aut ibi indecentia patrantem iuxtà *cap. Veniens, iuncta Glossa in Verb. Celebrationem, & tunc præsumitur, quod bono zelo, & non animo iniuriandi in eum Manus apponat*. Idem dicas de Religioso, qui Vim Vi repellendo, vt se defendat, percutit alium Religiosum cum Moderamine inculpatæ Tutelæ iuxtà *cap. Significasti De Homicid.* Idem dicas de Religioso, qui alium Religiosum in fragranti Crimine repertum cum Matre, aut Sorore percutit statim, & in continenti iuxtà *cap. Si verò De Sent. Excomm.* eò quòd Ecclesia non reputat, huiusmodi Percussionem factam esse Suadente Diabolo, sed ex vehementi passione, & iusto dolore, peccat tamen Religiosum percutiendo, non excusabitur autem ab Excommunicatione Canonis, si Religiosum percutiat turpiter, & impudicè inuentum cum Nepte, vt significatur in dicto *cap. si verò, iuncta Glossa Verb. Matre*; neque excusabitur, si non statim, & in continenti, sed interposito tempore, quo iustus dolor compesci potest, Religiosum percutiat impudicè inuentum cum Matre, vel Sorore; aut si data Opera expectet in loco occulto impudicum Religiosum, vt in fragranti inuentum percutiat, ex eodem Textu. In his, & consimilibus actionibus excusatur Religiosus ab Excommunicatione Canonis, qui alium percutit Religiosum.

42. Quid

42. Quid dicendum Si Religiosus alium Religiosum in eadem rixa pluribus Percussionibus grauiter afficiat, quarum singulæ fiunt successiuè sine morali temporis interruptione?

℞. Quòd vnum censeatur committere peccatum, & in vnicam incurrere Excommunicationem, tùm quia tales Percussiones habentur vt actus incompleti, qui ordinantur ad vnam Percussionem completam, & consequenter vnam Malitiam, vnum Peccatum, & vnicam Excommunicationem conflant. Tum quia si quis successiuè sine morali temporis interruptione pluries appellaret aliquem v. g. Ebrium, vel pluries sine interruptione morali Iuramentum falsum proferret ad Rem aliquam confirmandam, vnicum censetur patrare peccatum, ergo etiam si Religiosus alium Religiosum successiuè sine morali temporis interruptione in eadem Rixa pluribus percussionibus grauiter afficiat, vnicum patrabit peccatum, consequenter in vnicam incurret Excommunicationem, & hoc clarè comprobatur ex *cap. Cùm pro Causa De Sent. Excomm.*, *vbi vnicam dicitur contrahere Excommunic.*, *qui incipit in Dormitorio percutere Clericum*, *& continuat Percussionem per Claustrum*, ita Palaus Tom. 1. Tract. 2. Disp. 3. punct. 3. num. 5., Faber, Suarez, & alij.

43. Dices: pluries successiuè fornicans plura patrat peccata, consequenter si Fornicatio prohiberetur sub Censura, plures Fornicationes successiuè patrans pluribus afficeretur Censuris, ergo etiam Religiosus plures Percussiones successiuè, sine morali temporis interruptione committens contrà alium Religiosum, pluribus innodaretur Excommunicationibus.

℞. Negando consequentiam, & paritatem, etenim Fornicationis actus quilibet in se est ita perfectus, vt non possit pro malitia accipienda pluries ordinari ad eumdem actum, at verò Actus Percussionis habet malitiam non simpliciter ex se, sed à voluntate Percutientis ordinare volentis plures ad vnam completam malitiam, & ratio est, quia Fornicationis actus physicè sumptus per se prohibitus

est,

est, & consequenter malitiam induit completam ex se quilibet actus physicus, at verò Percussionis actus non solùm tamquam vnus physicus actus prohibetur, sed etiam tamquam actus moraliter vnus potest constare ex pluribus actibus physicis successiuè moraliter non interruptis, & consequenter &c.

44. At quid si vnus Religiosus vnico actu plures percutiat Religiosos?

℟. Cum Sententia probabiliori, quòd plura censeatur committere peccata, in Confessione explicanda, & plures incurrat Excommunicationes, eò quòd, licet sit vnicus actus, plures tamen offenduntur Religiosi, quorum vnusquisque per se spectatur, cum Nauarro cap. *6.* n. 18., & Diana part. 2. tract. 4. Resol. *164*. Versic. Notandum. Similiter si pluribus actibus moraliter non interruptis plures percutiat Religiosos, eò quòd Censuræ ferantur ratione iniuriæ factæ tali Personæ Religiosæ, ergo propter diuersas Personas Religiosas iniuriatas, & offensas debent multiplicari Censuræ, quàmuis ex eadem actione culpabili, aut ex diuersis actionibus moraliter non interruptis procedant. Tum quia moralis vnitas actionis contrà Iustitiam non sumitur solùm ex tempore, aut continuatione physica actionis, sed ex subiecto, quòd attingit, quodue in Materia Iustitiæ se habet vt terminus, cùm Virtus Iustitiæ respiciat Ius alterius formaliter, vt est terminus, & ideò multiplicato Iure, quod læditur, multiplicatur quoque moraliter Iniustitia, ac proinde multiplicatis formaliter delictis in præsenti casu, multiplicantur etiam excommunicationes, quæ propter talia delicta incurruntur, sic Diana part. 5. tract. *9.* resol. 58., *59.*, Candidus, Vgolinus, Antonius à Spiritu Sancto, & alij plures, qui stant pro Nostra Sententia.

45. Fortè ne duas incurrit excommunicationes Religiosus, qui percutit alium Religiosum Sacerdotem, ex quo sit Clericus, & etiam sit Monachus?

℟. Quòd non, eò quòd ex eodem motiuo reuerentiæ debitæ Statui Ecclesiastico inducta fuit hæc Censura Ca-

nonis contrà Abutentes reuerentia ipsa in percutiendo Ecclesiastico, sic Sententia communis contra Suarez de Censuris disp. 5. sect. 3. num. 15.

46. At quid si Religiosus Religiosum percutiat, vel Apostatam, vel à Religione eiectum, vel inualidè Professum?

℟. Incurrere in Pœnam Canonis; nam in primis contrà Religiosum Apostatam à Religione non inuenitur in Iure, quòd per Apostasiam remaneat priuatus Priuilegio Canonis, deinde Religiosus Apostata aduc est verè Religiosus, & hoc est verum, etiam si Religiosus Apostata sit Clericus in sua Religione contra Lezanam Verb. Apostasia n. 14., licet enim Clericus apostatando à Clericatu priuetur Priuilegio Canonis ex *Cap. 1. de Apostatis*, hoc tamen Caput est odiosum, & expressè loquitur de Clericis, sub quo nomine non veniunt Religiosi iuxtà Barbosam appel. 51. num. 7. Tùm quia loquendo de Religiosis Apostatis, & etiam de eiectis à Religione, neutri possunt à se Iugum Professionis excutere, aliter essent melioris conditionis, quàm sint Religiosi, qui viuunt intrà Claustra, & de vtrisque loquitur sic *Vrbanus VIII. in Bulla 26. Incipient. Sacra* §. 7. *Sic verò eiecti, quàmdiù non redierint ad Religionem, in Habitu Clericali incedant, atque Ordinarij Loci Iurisdictioni, & Obedientiæ subsint*. Gaudet quoque Priuilegio Canonis Religiosus inualidè Professus, cùm tale Priuilegium radicetur in assumptione Habitus Religiosi auctoritate publica, ob Honorem enim Habitus Regularis illud Priuilegium conceditur, sicuti ob solam assumptionem Habitus Religiosi dicitur etiam concedi Nouitio, & in hoc Religiosus inualidè professus Nouitio æquiparatur, ergo Religiosus Religiosum percutiens, vel Apostatam, vel à Religione eiectum, vel inualidè Professum incurrit in excommunicationem Canonis.

47. Verùm quid resoluendum est de Religioso Exorcista, qui Religiosum Dæmone obsessum percuteret?

℟. Quòd in Excommunicationem Canonis incurreret, nisi per ignorantiam excusetur, quia Religiosum gauden-

tem

tem Priuilegio Canonis percuteret, nec percuteret Dæmonem, qui est Spiritus non sentiens percussionem, sed percuteret Religiosum in Dæmone, & hoc est verum, licet intentio Religiosi percutientis feratur directè in Dæmonem, à quo contumelijs afficeretur, quapropter Dæmone suadente, immò Religiosi Exorcizantis excandescentiam commouente, Religiosum grauiter percuteret, & non Dæmonem. Examplificat Tamburinus in Decal. lib. 3. cap. 8. §. 2. num. 27. De Cane, quem contra Te latrantem gladio prosequeris, & fugientem in Sinum Clerici sui Domini confodis simul cum Domino, profectò in excommunicationem Canonis incurris, estò directè, & ex prima Tui intentione contenderis ferire Canem, & non Clericum Dominum; sic in Casu nostro; hinc Delrius, Sanchez, & Palaus De Adiur. part. 4. num. 15. volunt, esse illicitum acriter flagellare, vel pugnis percutere Obsessum à Dæmone, quia hoc esset contrà Charitatem Proximi, & nihil vtilitatis haberetur ad Dæmonis expulsionem, cùm Dæmon Percussiones corporeas sentiendi sit incapax.

48. Sed quid dicendum de Religioso, qui alium Religiosum Mortuum vulnerat, mutilat, aut percutit?

℟. Quòd, relicta in sua probabilitate Opinione negatiua Bordoni, qui pluribus in Dubijs circà Excommunicationem Canonis impugnat doctissimum Sperellum, probabiliorem censeo Opinionem affirmatiuam eiusdem Sperelli Decis. 45. num. 56., & Pignatelli Tom. *6.* Consult. 5. n. 3., & cum ipsis Sperello assero, quòd impius Religiosus in Casu præfato incurrat in Censuram Canonis, eò quòd, cùm Canon sit editus in fauorem Clericorum, & Monachorum, fauor extendi debet. Tum etiam quia est merum Priuilegium, & Beneficium Principis contentum in Corpore Iuris, & Priuilegia huius naturæ non sunt strictè interpretanda, & eò vel magis hoc est verum, quia concessum fuit tale Priuilegium *Motu proprio*, & non ad Partis postulationem, quo Casu Priuilegium etiam contrà Ius commune dicitur fauorabile, ampliandum, & plenissimæ

ſimæ Interpretationis ex eodem Sperello Deciſ. 21. n. 25.

49. At à quonam abſoluendus erit Religioſus, qui alium Religioſum ſui Ordinis grauiter percuſſit?

℞. Quòd à ſuo Prælato Regulari, non ſolùm ſi Percuſſio fuerit leuis, aut mediocris *ex Cap. Monachi*, *Cap. Illorum* §. *Si Clauſtrales*, *& Cap. Canonica de Sent. Excomm.*, verùm etiam ſi Percuſſio fuerit grauis, & enormis, & hoc eſt verum inſpectis Priuilegijs ex Lezana Tom. 1. cap. 18. num. 30., & Sorbo Verb. Abſolutio ordinaria quoad Fratres, quæ Regularibus data fuere à Summis Pontificibus, iſti enim petiti de exceſſibus enormibus, pro quibus recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam, vt abſoluantur Regulares, ſolùm quinque Caſus exceperunt, inter quos non eſt Percuſſio grauis, ſeu Enormis, *Exceptio autem ſecundum omnes Doctores firmat Regulam in contrarium*. Tum quia nullus Superior Regularis ſupponitur habuiſſe *à Papa* Poteſtatem reſeruandi Caſus, & reſtringendi ſuis Subditis facultatem abſoluendi ab iiſdem, quin etiam Iuriſdictionem habuerit abſoluendi ab ipſis, & ſimul committendi Facultatem Subditis, vt à Reſeruatis abſoluant, cùm ergo *Clemens VIII.* Superioribus Regularium facultatem dederit reſeruandi hunc Decimum Caſum: *Occiſio*, *aut Vulneratio*, *ſeu grauis Percuſſio cuiuſcumque Perſonæ*, iam ſequitur dediſſe etiam Superioribus Regularium Poteſtatem abſoluendi ſuos Subditos à tali Caſu, & ſimul committendi facultatem alteri Confeſſario Inferiori, & ſibi Subdito, vt Subditos Suos abſoluat non ſolùm à Percuſſione leui, aut Mediocri, ſed etiam à graui, ſeu enormi, immò, & ab ipſa Occiſione, & hoc etiam, iuxta ponderationem Noſtri Matthæucci Tom. 1. Verb. Excommunicatio Canonis num. 55., magis liquet ex *Verbis Bullæ Vrbani VIII.*, *qui confirmans Decretum Clementis VIII.* addidit ſic: *Sanctitas Sua deinceps declarauit*, *vt ſi huiuſmodi Regularium Confeſſarijs Caſus alicuius Reſeruati facultatem petentibus*, *Superior dare noluerit*, *poſſint nihilominus Confeſſarij illa Vice Pœnitentes Regulares*, *etiam non obtenta à Superiore Facultate*, *abſoluere*;

*uere*, vbi nota ad nostrum propositum Verba illa *Facultatem petentibus Superior dare noluerit*, quòd *Vrbanus* supponat, Superiores Regularium per se ipsos, vel per alios, quibus ipsi Facultatem commiserint absoluendi à Casibus per Decretum *Clementis VIII.* Reseruabilibus, posse Suos Subditos à prædictis absoluere.

50. Verùm quinam Prelatus Regularis possit absoluere, & Facultatem committere absoluendi Subditos à Percussione graui, seu enormi?

℞. Quòd vtique Generalis in toto Ordine, & Prouincialis in sua Prouincia sic possint per se, vel per alios, an autem independenter à Generali; & à Prouinciali possint etiam Priores, Præpositi, Rectores, Correctores, videat vnusquisque Religiosus proprij Ordinis Constitutiones, & Ordinationes; *in Nostris etenim Statutis conceditur, vt possit ab ipsa Percussione, etiam in Foro externo absoluere (si non sit atrox, aut Subditi in Prælatum) Guardianus, vel eo absente per Diem naturalem Vicarius, si Ministri præsentia intra triduum habere non possit*. In suis tam rectè ordinatis *Constitutionibus Vrbanis P.P. Conuentuales S.P. N. Francisci* sic distribuerunt Reseruationem præsentis Casus Clementini Pag. Mihi 204. num. 4. Ministro Generali conceditur Reseruatio sub his Verbis: *Occisio, seù Vulneratio, & grauis Percussio Prælatorum*. Ministro Prouinciali sic: *Quæuis Percussio cum effusione Sanguinis, cum Scandalo publico*. Custodi prouinciæ sic: *Grauis Percussio Sacerdotum*. Guardiano Conuentus sic: *Grauis Percussio cuiuslibet Fratris non Prælatis, nec Sacerdotis*, vbi nota potestatem maiorem vnius Superioris supra alium, & aduerte gradus Percussionis diuersos iuxtà diuersitatem Terminorum maioris notæ, & minoris notæ, vt inde deducas, *quàm ordinatè constructæ fuerint præfatæ Constitutiones Vrbanæ*.

51. Quis autem absoluere debeat Religiosum, qui percusserit Clericum Sæcularem, vel Religiosum diuersi Ordinis?

℞. Quòd si Religiosus Clericum Sæcularem percusserit, debeat

debeat à Censura Canonis absolui non à proprio Prælato Regulari, sed ab Episcopo iuxtà *cap. Religioso in 6.*, aut à Sede Apostolica *cap. Cùm illorum* sic Stylus Curiæ Romanæ, aut à Superiore suo Regulari, de licentia tamen Episcopi, ita Noster Matthæuccius cit. num. 58. Si autem Religiosus Religiosum diuersi Ordinis percusserit, debeat ab ambobus eorum Prælatis absolui à Censura Canonis *cap. Si verò, vbi sic: Si verò Claustralis aliquis in Religiosam Personam alterius Claustri Manus iniecerit violentas, per Abbatem proprium, & eius, qui passus est iniuriam, absoluatur*, quem Textum ex Molina sic interpretatur Matthæuccius, vt nimirum Absolutio, & executio pęnę fiat per Superiorem Percussoris, tamquam per Iudicem Ordinarium, cum præscientia, & consensu Superioris Religiosi offensi tamquam Actoris super iniuria suimet Religiosi, nisi tamen Superior Religiosi offensi integrum negotium Superiori Religiosi Percussoris commiserit, aut iniuriam remittat. Quod si Religiosi illi se inuicem percusserint, quilibet Superior suum ab Excommunicatione absoluat Subditum, cùm iniuria tunc compensetur.

52. Verùm quàmuis allata Matthæucci Doctrina sit vera inspecto *Iure communi*, tamen *extrà Corpus Iuris*, siue, vt aiunt, *Iure Priuilegij* possunt Prælati Regularium suos absoluere Subditos, qui Personam Ecclesiasticam sui, aut diuersi Ordinis, immò & Clericum Sæcularem percusserunt, vt constat ex Verbis *Casus* 10. *Reseruabilis* Prælatis Regularium *in Bulla Clementis VIII.*, vbi dicitur: *Cuiuscumque Personæ*, quæ verba non restringuntur ad solas Personas illius Ordinis, cuius est Religiosus Percussor, sed ad omnes alias Personas extenduntur, etiam diuersi Ordinis, & ad Clericos Sęculares, quapropter *in Constitutionibus Generalibus Sambucanis*, quæ sunt nouissimæ, *apud PP. Nostros Reformatos*, sub hisce Verbis ponitur Tertius Casus Reseruatus suis Superioribus: *Percussione graue d' vn altro Religioso, è Chierico Secolare*, nec enim rectè poneretur hic Casus, supposita vera Sententia Matthæucci extrà Corpus Iuris; apud Nos autem Minores de Ob-

de Obseruantia sub num. 18. Reseruatio Percussionis Nostris Superioribus ponitur sic: *Grauiter quempiam percutientes , aut contra Prælatos Machinantes* , nota ly *Quempiam*, quæ est Dictio indeterminata ad omnes Regulares, & ad omnes Sęculares.

53. Sed quid si Moniales exemptę se inuicem percutiant, aut si Nouitius in Nouitium manus violentas inijciat?

℞. Cùm Moniales exemptæ, Noutij, & Nouitiæ quoad Absolutionem à Reseruatis subdantur, in Sententia nostra, suis Prælatis Regularibus, ita etiam subduntur ijsdem quoad Absolutionem à Censura Canonis. Et primò quantum ad Moniales exemptas Priuilegia concessa Regularibus communicantur etiam Monialibus ipsorum Regimini Subiectis, pro quo accipe Verba *Sixti IV. in Bulla aurea, vbi indulget, vt Moniales, & Tertij Ordinis Sorores existentes sub cura Fratrum Prædicatorum, & Minorum respectiuè possint, & debeant liberè, & licitè vti in omnibus, & per omnia Priuilegijs, Immunitatibus, Gratijs, Fauoribus, Concessionibus, & Indultis Spiritualibus, & temporalibus præfatis Ordinibus Prædicatorum, & Minorum concessis, quatenus earum Sexui, & Statui non contradicant*. Et pro Monialibus S. Claræ repetunt Summi Pontifices *Leo X. Constit. Cùm sicut*; *Gregorius XIII. Constit. Ex benignæ Sedis*; *& Sixtus V. Constit. Et si Mendicantium*, confirmantes Priuilegia Fratrum Minorum de Obseruantia, & Monialium S. Claræ, ac Tertij Ordinis *S. P. N. Francisci*, etiam per modum Communicationis, & Extensionis inter se, & cum alijs Ordinibus. Quantùm ad Nouitios, & Nouitias, illi, & istę secundum Priuilegia suis Ordinibus concessa, si in Anno Nouitiatus, & Habitu Religioso assumpto, se inuicem percutiant, prout in *Mari Magno*, per suum Superiorem Regularem absoluuntur ab Excommunicatione, cum debito ipsis Nouitijs, quòd si absoluti ab Excommunicatione non emittant Professionem, sed Religionem dimittant; debent se præsentare illis, qui eos, aliàs de Iure, in Sęculo possunt absoluere, non vt absoluantur, cùm iam sint absoluti, sed

ne pro-

ne propter Inobedientiam non se præsentandi, incidant in eamdem Censuram iuxtà *Cap. Eos qui De Sent. Excomm. in 6.*, ideò Nouitij sic absoluti, si reuertantur ad Seculum, de hoc monendi sunt, vt se præsentent prædicto modo, vt notauit Sorbus Verb. Nouitius Tit. De Nouitiorum Absolutione, *cùm Priuilegio priuari debeat, qui Priuilegio abutitur*. Quòd si Nouitius, aut Nouitia antequàm Habitum Religionis assumat, incidisset in Censuram Canonis, & post Habitum assumptum confiteatur, affirmat Bordonus De Priuileg. Canonis cap. 21. n. 333. posse à Suo Superiore Regulari absolui Virtute Priuilegij per *Bullam S. Pontificis Pij V. Incipient. Dum ad Congregationem*, concessi Abbatibus Cassinensibus, negat verò acriter Matthæuccius in Officiali Curiæ Regularis quoad Excommunicationem Canonis cap. 23. num. 63.

54. Quid verò, si in aliquo Conuentu reperiantur solùm Prælatus, & vnus Sacerdos, qui se inuicem grauiter percusserint?

℞. Quòd vel Percussio fuit occulta, vel fuit publica; si fuerit occulta, dico, quòd Prælatus possit illi Sacerdoti committere facultatem, vt ab ipso absoluatur, deinde Prælatus absolutus illummet Sacerdotem possit absoluere à Censura, ratio est; quia cùm Percussio fuerit occulta, sequitur, quòd Prælatus non sit vitandus, sed toleratus, ideò Prælatus habet Iurisdictionem, & est potens eam exercere, ac alteri delegare; si autem Percussio fuerit publica, nullaque possit tergiuersatione cęlari, contrarium dico, siquidem Prælatus caret Iurisdictione, & consequenter nec potest eam alteri delegare ex Portello in Respons. Moral. casu 30. num. 6., & Beia p. 4. casu 5. §. Nos autem arbitramur; in primo igitur Casu, cùm Prælatus non sit Percussor Sacerdotis Notorius, non priuatur Iurisdictione, sed facta per ipsum tenent, dum est toleratus ab Ecclesia, sic per *Extrauagant. Martini V. Ad euitanda*: *Non enim tenemur euitare Excommunicatum in Temporalibus, & Spiritualibus, nisi sit vel declaratus, vel notorius Clerici, vel Monachi Percussor, & tunc Excommunicatus*

*municatus non Declaratus*, *sed occultus potest Sacramenta ministrare*, *quidquid sit de peccato suo*, *cui Papa nullum fauorem particularem concedit*, *tamen factum tenet*, *sic quippe dispoſuit Martinus propter Bonum commune Animarum*; in ſecundo autem Caſu, vbi Prælatus ſupponitur declaratus, vel notorius Sacerdotis Percuſſor, caret Iuriſdictione, tum abſoluendi, tum vt àbſoluatur ab ipſomet Sacerdote, quapropter ambo ad Superiorem Maiorem pro Abſolutione debent recurrere.

55. Numquid autem poterunt Confeſſarij Regulares abſoluere Sęculares, & Exteros à Percuſſione etiam leui alicuius Clerici?

℞. Confeſſarios Regulares (item & Sęculares) *intrà Italiam*, *& extrà Vrbem Romæ* non poſſe abſoluere Sæculares, & Exteros à Percuſſione etiam leui alicuius Clerici, & hoc competere ſolùm Epiſcopo *ex Cap. Peruenit*, Epiſcopus autem ſine dubio poteſt, cùm eius Poteſtas ſit Ordinaria, delegare Confeſſarijs Sæcularibus, & Rægularibus facultatem, vt ipſoſmet abſoluant, quia tunc non abſoluerent prætextu Priuilegiorum, & hoc prohibetur *à Clemente VIII.*, ſed virtute Delegationis, & commiſſionis factæ ab Epiſcopo. Neque valet ſi dicas, quòd *Clemens VIII.* reſeruet Sibi ſolùm Percuſſionem Clerici Mediocrem, vel enormem; non, inquam, valet, eò quòd *Clemens* non diſtinguit nec de Percuſſione leui, nec de Mediocri, nec de Enormi, ſed abſolutè reſeruat Sibi Percuſſionem violentam, ſicuti neque de leui, mediocri, aut enormi diſtinguit *Canon: Si quis Suadente Diabolo*, ergo vbi Lex non diſtinguit, neque Nos diſtinguere debemus.

56. Ne igitur Regulares odioſi reddantur Summis Pontificibus, & Reuerendiſſimis Epiſcopis, conſulo, vt non plùs, quàm par ſit, ſua Priuilegia dilatent, iam enim per *Decretum Clementis VIII. editum die 9. Ianuarij 1601.*, *& iterum die 26. Nouembris 1602.*, *deinde per aliud Pauli V. die 7. Ianuarij 1617.* declaratum fuit, *quòd Regulares in vim Suorum Priuilegiorum nequeant intrà Italiam*,

*& extra Vrbem Romæ absoluere Seculares à Casibus in Bulla Cænæ, nec à Casibus Ordinario Loci Reseruatis, si verò ab eis scienter absoluant (excepto Mortis Articulo) in Excommunicationem soli Papæ reseruatam incurrunt, & Absolutiones sunt nullæ, ac irritæ.* Reuocantur etiam Priuilegia absoluendi à sequentibus Casibus, & sunt, *primò Violationis Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constit. Gregorij XIV., quæ Incipit Cùm aliàs nonnulli. Secundò: Violationis Clausuræ Monialium ad malum finem. Tertiò: Prouocantium, & Pugnantium in Duello iuxtà Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constit. Gregorij XIII. Incipit Ad tollendum. Quartò: Iniicientium violentas Manus in Clericum iuxtà Canonem Si quis Suadente Diabolo 17. q. 4., ac Iuris Dispositionem. Quintò: Simoniæ Realis scientèr contractæ. Sextò: Et confidentiæ Beneficialis. Sacra Congregatio* autem super hoc Declarationem approbatam *ab Vrbano VIII. edidit sub die* 18. *Nouembris* 1628., *vbi in fauorem* Regularium legitur in fine sic: *Ab alijs verò Casibus, & Censuris Sedi Apostolicæ Reseruatis, siquidem Regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi Facultatem, illam extrà Italiam minimè sublatam fuisse eiusdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re editis Iussu Sanctæ Mem. Clementis VIII.* His itaque suppositis quantùm ad Excommunicationem Canonis, videamus modò quantùm ad Incidentiam, & non Incidentiam Regularium in Reseruationem *Casus Decimi Clementini*, quem Sibi reseruare possunt Prælati Regulares.

## IN RESERVATIONEM INCIDVNT

*Occisionis, aut Vulnerationis, seu grauis Percussionis cuiuscumque Personæ.*

57. Religiosus, qui in defensione Vitæ suæ Inuasorem iniustum occidit, non seruato Moderamine inculpatæ Tutelæ, vt si non fugiat, quando sine graui sui periculo poterat fugere, vel si poterat se defendere

dere Vim repellendo Verbis, Clamoribus, aut Pugnis, aut Baculo, & vsus est Pugiunculo, aut Scolpeto cum inæqualitate Armorũ, vel non incontinenti occidit, ac fit Irregularis.

Religiosus, qui timens, aliquem fore Aggressorem suæ Vitæ præuenit hunc occidendo, non enim est licitum preuenire, antequàm actu fiat Inuasio, nec licitum est Vi repellere illum, quem timemus Aggressorem, aliàs Via multis Cędibus aperiretur, cùm facilè posset quilibet fingere, paratos esse Aggressoris; secùs dicendum foret, si quem Armis irruentem contra Nos impotentes alia via nostram Vitam defendere, occidamus, nec enim necesse est tunc expectare omnimodam Inuasionem, vt Nos defendamus, quia nimis sera posset esse Defensio.

Religiosus, qui in Defensionem Honoris sui, & suæ Religionis occidit Dehonorantem, qui honorem actu inuadit, neque enim honor æquiparatur Vitæ, sicut voluere multi Scriptores Politici fauentes Carnalibus, & Mundanis in Materia honoris, quapropter si hoc est illicitum etiam viro Nobili, quia est actus Vltionis, multòmagis erit illicitum Religioso, cuius honor in hoc præsertim consistit, quòd remittat Deo Vindictam, & quòd in humilitate, & patientia imitetur Christum, quem habebit defensorem. Vide suprà in num. 25.

Religiosus, qui falsis Accusatoribus, falso Testimonio, aut iniusto Processu impetitus, falsum Accusatorem, falsos Testes, & Iudicem, à quo iniqua certò imminet Sententia, preueniendo occidit, etiamsi Innocens non possit alia Via, quàm occidendo, damnum vitare, nam hoc est ipsamet *Thesis 18. proscripta Alexandro VII.*, & Homicidium priuata auctoritate factum est intrinsecè malum, Diuino, Naturalique Iure prohibitum in Quinto Decalogi Præcepto: *Non Occides*. Vide, quæ dicta fuere *in Casu quinto Reseruab. num. 32.*

Religiosus, qui in defensionem Rerum etiam pretiosarum sui Monasterij occidit Furem eas inuadentem, quandoquidem diximus iam, & fusiùs probauimus, esse illicitum Perlonæ Sæculari occidere Furem diurnum iuxtà Ca-

nonistas inuadentem eius Bona maximi etiam momenti; ergo multò magis erit illicitum Personæ Religiosæ. Vide supra à num. 14. vsque ad num. 25.

Religiosus, qui Veneno Vitam aufert alteri, nam grauiùs peccat, quàm simplex Homicida, *& plùs est Hominem Veneno necare, quàm Gladio, vt in L. 1. Cod. de Malefic., & Mathem.*, vnde inquit *Baldus in L. Nemo C. De Summa Trinit.*, *quòd qui Veneno occidit, dicitur proditoriè occidere*, & volunt omnes Doctores, quòd priuetur *Immunitate Ecclesiastica*, si nulla præcedente inimicitia alterum Veneno necauerit.

Religiosus, qui alterum Religiosum, vel Clericum occidit, imperantem seu volentem occidi, cùm nemo sit Vitæ suę, & Membrorum suorum Dominus, sed dumtaxat Custos, Deus verò solus est Dominus, vt in *Deuteron.* 32. *Ego occidam, & ego occidere faciam*, & tunc Occisor non solum in Reseruationem præsentis Casus, sed etiam in Excommunicationem Canonis incurrit, ratione grauissimæ iniuriæ, quam infert Statui Monachali, vel Clericali, cui Canon est fauorabilis, & huic Fauori nemo potest cedere ex priuata Auctoritate ex dictis suprà in num. Deinde in Irregularitatem incurrit.

Religiosus, qui membrum aliquod alteri mutilauit, quàmuis non sit sequuta Occisio ex mutilatione, nec mutilando effugit Irregularitatem, cùm quoàd Irregularitatem Occisio, & Mutilatio iniusta, & voluntaria membrorum in Iure ęquiparentur *cap. 1. De Cleric. pugnant in Duello, cap. vlt. De Homicidio in 6., & Clement. in Eodem Tit.* Tùm quia mutilatio cadit sub Vulneratione graui, seu enormi, & hæc reseruatur.

Religiosus, qui iniustè, & voluntariè personam quamcumque grauiter vulnerauit cum maxima Carnium apertura, vel cum minima etiam Carnium scissura, ac modica Sanguinis effusione, sed vulnus est mortiferum, vt si Ferriculo, vel Acus venenatæ punctura Carnes alterius inciderit.

Religiosus, qui etiam seipsum animo deliberato grauiter percussit,

percuſſit, & tunc non ſolum Reſeruationi, ſed etiam Excommunicationi obnoxius eſt; eſt, inquàm, obnoxius Reſeruationi per ly *Cuiuſcumque Perſonæ*, cùm & ipſe Percutiens ſit Perſona, & eſt obnoxius Excommunicationi *ex cap. Contingit*, iniuriam grauem inferendo Statui Monachali, etiamſi non ſit Perſona diſtincta, contrà Magiſtrium.

Religioſus, qui etiam leuiter percuſſit Abbatem, Prælatum, Priorem, Guardianum, Iudicem, Patrem, Sacerdotem Sacris veſtibus indutum, quia ſic percuſſio leuis tranſit in enormem propter circumſtantiam Perſonæ Ipſæ; ſimiliter ſi in Foro coràm Rege, Prælato, Iudice in Eccleſia, coràm multis in alio loco publico *ex Ioanne XXII. Perlectis Litteris veſtris*, & hoc propter circumſtantiam loci, in quo ſit Percuſſio. Quòd ſi Religioſus Romipetam occidat, vulneret, aut percutiat, vel Cardinalem, Epiſcopum, Nuntium, Legatum &c. tunc incurrit *in Caſus* 10., *&* 11. *ex Viginti contentis in Bulla Cœnæ Domini*, & de iſtis iam diximus in prima parte Mantiſſæ Moralis num. cùm probabiliori Sententia, quod Regulares ab ijs nec abſoluere, nec abſolui poſſint (dempto Articulo Mortis) niſi à Summo Pontifice, cui ſoli ſunt Reſeruati *Caſus Bullæ Cœnæ*.

Monialis ſub Regimine Prælatorum Regularium, ſi malo animo, & non correctionis gratia percutiat aliam Monialem, aut Nouitiam, immò etiam Puellam educandam in Monaſterio, licet percutiendo Puellam Educandam, nondum Habitu Monachali indutam effugeret Excommunicationem Canonis. Item Nouitius Nouitium, etiam primi diei, aut Nouitia Nouitiam grauiter percutiendo, nam ad modum Profeſſorum, & Profeſſarum in ſuo Ordine incurrunt in Reſeruationem præſentis *Caſus* 10. & cùm gaudeant Priuilegio Canonis, incurrunt etiam in Excommunicationem *cap. Religioſo* 1. *de Sent. Excomm. in* 6. Non tamen caderet in Excommunicationem Canonis, qui grauiter percutit illum, qui de proximo eſt veſtiendus Habitu Religioſo, licet actu degat in Monaſterio ſub cura Magiſtri

gistri Nouitiorum in Habitu Sęculari, quoniam *Regula illa: Proximè accingendus, habetur pro accincto*, cùm loquatur per Verbum *habetur*, denotat fictionem Iuris, quæ non habet locum in Excommunicatione Canonis.

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT

*Occisionis, aut Vulnerationis, seu grauis Percussionis cuiuscumque Personæ.*

58. Religiosus, qui in propriæ Vitæ defensionem occidit iniustum Aggressorem, & seruat Moderamen inculpatæ Tutelæ, quia Defensor propriæ Vitæ in nullo peccasse dicitur, si cum debito moderamine se defendat, & hoc locum habet, etiamsi Aggressor sit Innocens, vt si sit Puer, sit Demens, Furiosus, Dormiens, vel Ebrius, à quibus non posset Vitam suam saluare, nisi occidendo, nam Vim Vi repellere omnes Leges, & omnia Iura permittunt cum Moderamine inculpatæ Tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad Iniuriam propulsandam. Illud verò *D. Pauli ad Rom. 12. Non Vos defendentes, sed date locum Iræ* est intelligendum de Defensione, quæ fit cum liuore Vindictæ, vt exponit *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7.* Neque fit Irregularis *ex Clement. Si Furiosus de Homicid.*, quia tunc non spontè, sed de necessitate iustæ Defensionis propriæ Vitæ Inuasorem.

Religiosus, qui Cadauer Humanum iniuriosè percutit, vulnerat, aut in plures partes scindit; vel qui Fętum inanimatum disperdit, etenim ad incurrendam præsentis Casus Reseruationem, necesse est, vt habeatur Corporis humani animati iniusta, & voluntaria Peremptio, Vulneratio, siue Percussio grauis, quapropter cum in Cadauere humano, & in Fętu inanimato non habeatur informatio ex anima rationali, hinc non verificatur Casus, cæterum si Cadauer sit alicuius Clerici, vel Monachi, tunc Offensor incidit in Excomm. Canonis iuxta dicta superiùs num. 48.

Religio-

Religiosus, qui Homicidium patrat Spirituale, inducendo scilicet alterum verbis, vel Factis ad lethale peccatum, & priuando eum Vita Spirituali, vel qui Homicidium patrat per Methaphoram dictum, sicuti per Metaphoram dicuntur Homicidæ detrahentes alienæ Famæ, Vsurarij, negantes debita Mortuis suffragia; & alij huiusmodi, etenim Homicidium, quod hic reseruatur, est illud idem, quod cadit sub quinto Decalogi Præcepto: *Non Occides*, & est Corporis humani animati iniusta, & voluntaria peremptio.

Religiosus, qui Dormiens, vel Furiosus occidit, aut vulnerat, seu grauiter percutit quamcumque Personam, non enim Dormientibus, vel Furiosis Homicidium imputatur, cùm liberam voluntatem non habeant, nec iniuriam inferre valeant, hinc nec peccant ex *C. Vt itaque*, *C. Aliquos*, & *C. Si quis insaniens* 13. *q.* 1.

Religiosus, qui in Ebrietate occidit, vulnerat, seu grauiter percutit quamcumque Personam, siue in Ebrietate præuiderit, siue non prçuiderit huiusmodi actiones; etenim si non præuiderit, iam tales actiones sunt solùm Casuales, & non voluntariæ; si autem præuiderit, adhuc sunt voluntariæ solùm in Causa remota, quod non sufficit ad Reseruationem incurrendam ex Cabrino part. 2. Casu 2. in Praxi Resol. num. 3., & Mazucchello disp. 2. cap. 7. n. 137. contrà Floronum part. 2. Casu 4. §. 7. num. 8., peccat verò mortaliter, & ad Restitutionem obligatur.

Religiosus, qui mandat, aut consulit Occisionem, vulnerationem, seu grauem Percussionem, vnde Casus intelligendus est de Principali Agente, & Pęnæ sunt potiùs restringendæ, quàm ampliandæ *Cap. Odia de Reg. Iuris in 6.*, & propterea Verba sunt intelligenda secundùm propriam eorum significationem, non autem fictè, ac interpretatiuè, quale est Mandatum, & Consilium, vt in *L.* 1. *Deiecisse ff. de Vi, & Vi Arm.*, & qui mandat, aut consulit occisionem, vulnerationem, seu grauem Percussionem Clerici, vel Monachi, sequuto effectu, lethaliter quidem peccat, & Excommunicatione Canonis innodatur,

datur, sed non est obnoxius Reseruationi præsenti, Ita Sayrus, Duardus, Homobonus part. 3. cap. 7. contrà Graffium lib. 3. cap. 9. num. 17., Iuniperum, & paucos alios.

Religiosus, qui ratam habet Personæ Laicæ Occisionem, Vulnerationem, seu grauem Percussionem, etenim per Ratihabitionem non occidit, non vulnerat, seu non grauiter percutit, cùm Ratihabitio sit posterior ad Occisionem, ad Vulnerationem, seu ad grauem percussionem, neque ad præteritum sit potentia; est autem Ratihabitio complacentia quędam, quam Religiosus habet de Occisione iam facta, de Vulneratione iam illata, seu de graui percussione iam patrata contrà alterum, ipso Religioso anteà inscio. Si autem occisus vulneratus, seu grauiter percussus foret Clericus, aut Monachus, tunc Religiosus ratihabens esset Excommunicatus *cap. Cùm quis de Sent. Excomm. Ratihabitio retrotrahitur, & Mandato æquiparatur.*

Religiosus, qui dando operam Rei illicitæ seipsum in Vitę discrimen coniecit, nec potest aliter se liberare à Morte, quàm occidendo Aggressorem, vt si in Adulterio deprehensus non possit viuus euadere Manus Mariti, etenim vnusquisque inuasus, etiamsi culpa sua reperiatur in periculo Mortis, non amittit Ius se defendendi defensione etiam occisiua contrà Agressorem, si Fuga, aut aliter non possit Vitam suam saluare; Maritus verò dicitur iniustus Aggressor, quia non potest priuata Auctoritate occidere, nec vllus Malefactor occidi potest, nisi Iuris ordine seruato.

Religiosus, qui cùm nequeat Equum non suum frenare durum Buccha, cuius Vitium ignorabat, Hominem in Via occidit, etenim Religiosus, nec incurrit in Reseruationem, nec fit Irregularis ex *Cap. Dilectus De Homicid.*, cùm actus contingens ex ferocitate Equi propter Culpam, & voluntatem Religiosi Sessoris non imputetur ipsi Sessori, sed sit omninò casualis, & suppono, quod Religiosus per Regulam, aut per suas Constitutiones non prohibeatur equitare.

Religiosus,

Religiosus, qui insidens Equo, vt ab iniusto Inuasore Vitam suam saluet, quam aliter saluare non potest, currit per Viam angustam, in qua iacet Infans, vel Claudus, vel Dormiens, & omni diligentia adhibita, ne illis noceat, adhuc conculcat, & occidit, vel qui ab iniusto Inuasore, qui vtitur Infante interposito tamquam Clypeo inuaditur, & quia non alio modo potest vitam suam saluare, occidit Infantem innocentem iuxtà dicta superiùs in num. 13.

Religiosus, qui siue sit Prçlatus, siue sit Magister Nouitiorum, excedit modum in correctione, vt Subditos, vt Nouitios in Religioso Officio contineat, & occasionem Subdito, aut Nouitio dedit, vt moreretur, nam Mors sequuta est prçter Intentionem, & fuit Casualis, non voluntaria. Idem dicitur de Religioso, qui ludens cum Muliere pregnante, Libidinis causa, occasionem dedit sequutç Fçtus Animati Abortioni, fit tamen Irregularis, cùm Rei illicitç operam dederit.

Religiosus, qui in aliquem infert Vulnusculum, ex quo gutta tantùm Sanguinis fluxit, & cum leui lçsione aliqua pars Corporis eius aperta est, quoniam is non dicitur propriè vulnerare, sicuti leuis Febricula non dicitur propriè Febris, & per Baldum habetur, quòd *Statutum puniens Vulnerantem non comprehendat Inferentem Vulnusculum;* non ergo leuis vulneratio, quæ facilè, & quàm citò sanatur, sed sola Vulneratio grauis dicitur reseruari; sicuti ex *Concilio Tridentino Sess.* 14. *de Pçnit. cap.* 7. habetur quod Crimina solùm atrociora, & grauiora reseruari decet.

Religiosus, qui aliquam Personam, quæcumque sit, percussit Percussione quadam de qua dubitatur, an sit leuis, an grauis, etenim licet quoad contrahendam Excommunicationem, si Persona percussa sit Clericus, aut Monachus, debeat declarari potiùs grauis iuxtà specialem dispositionem *Ioannis XXII. In Extrau. Perlectis litteris Vestris*, tamen quoad Reseruationem incurrendam præsentis Casus puto, declarandam esse leuem potiùs, quàm

grauem; quoniam iuxtà Sententiam probabiliorem, quando Casus est dubius, non præsumitur Reseruatus *L. Commodissimè ff. De Liber., & Posthum.*, & potest absolui à Confessario Inferiori, *quia in dubio melior est Conditio Possidentis*, nec in dubio tenetur Confessarius Inferior sua se expoliare Iurisdictione, quàm habet, ita Bordonus, Floronus, Sanchez, & Suarez Tom. 5. disp. 4. Sect. 6. num. 5. Tum quia in *Dubijs fauendum est Reo ex Regul. Iuris in 6.*, sicuti aliàs diximus.

Religiosus, qui Veneno alterum lędit, si non sequatur Mors, nec enim haberetur Occisio, Vulneratio, seu grauis Percussio, & istæ tres actiones physicæ reseruantur in hoc *Decimo Casu Clementino*, ita, Bordonus Resol. 39. num. 15.

Religiosus, qui aut leuitèr, aut iocosè, aut casualiter, aut qui subito, & non plenè deliberato animi Motu alterum percussit, eò quòd in hoc Casu reseruatur Percussio grauis seria, voluntaria, & facta cum plena aduertentia, secundùm omnes Doctores.

Religiosus, qui Flagellis Corpus suum grauiter percutit, eo animo, vt Caro Spiritui pareat, in Cultum, vel obsequium Dei, vel in finem alicuius virtutis exercendæ, & non directè ad abbreuiandam Vitam, vel qui vt Diuinæ Inspirationi obediat, Mortem sibi ipsi infert, sicut plures Sancti, & Sanctæ fecerunt, neque enim hoc inducit Reseruationem, cum sint actiones apud Deum maximè meritoriæ.

Monialis sub Regimine Prælati Regularis, Nouitius, & Nouitia iisdem de causis, propter quas excusantur Religiosi Professi sui Ordinis ab *Incidentia* in Reseruationem huiusce *Casus Decimi Clementini*.

De Irregularitate contracta ob Homicidium voluntarium, quæ definitur *Canonica quædam inhabilitas Ordines suscipiendi, aut susceptos exercendi*, & de Potestate dispensandi ab ipsa Irregularitate legas, quę exaraui *in Casu 6. Clementino* Reseruabili à num. 9. vsque ad num. 18., vbi an in Pręlatis Regularibus sit Facultas dispensandi suos

Subditos

Subditos ab Irregularitate contracta ob Abortum fętus Animati Morte sequuta, resolui negatiuè, & alia pauca addidi circà Homicidium.

59. Sed numquid Religiosus grauiter vulnerans, aut percutiens suum Correligiosum in Ecclesia, sed non occidens, vltra hoc, quod in Casum Reseruatum, & in Excommunic. Can. incidat, remaneat quoque priuatus Immunitate Ecclesiastica iuxtà *Bullam Gregorij XIV. Incipient. Cùm aliàs Nonnulli editum Romæ die 24. Maij 1591.?*

℞. Quòd nemo priuetur Immunitate Ecclesiastica, nisi vnum vel alterum ex Octo Delictis expressis in dicta Bulla patrauerit; priuantur igitur primò Latrones publici; secundo Grassatores Viarum; tertiò Depopulatores Agrorum; quartò Homicidæ Proditorij; quintò Occidentes, vel Mutilantes in Ecclesijs, earumque Cęmeterijs; sextò Rei Assasinij; septimò Rei Hæresis; octauò Rei lęsæ Maiestatis in Personam ipsiusmet Principis, & hæc Delicta ad tenorem *Bullæ Gregorianæ* habentur declarata apud Morales, & Canonistas, in cæteris verò Delictis, esto grauioribus, vnusquisque gaudet Immunitate Ecclesiastica, confugiens ad Ecclesiam, à qua qui Delinquentem extrahere attentauerit, ligatus profectò remanet vinculo *Excommunicationis Summo Pontifici Reseruata*, propter Offensam factam Ecclesiæ, ac tenetur Extractum restituere Ei Ecclesiæ in Indiuiduo iuxtà *Declarationem Sacræ Congregationis sub Anno* 1632. apud Dianam part. 6. tract. 1. resol. 27. Hinc ad Dubium dico, quòd Religiosus grauiter vulnerans, aut percutiens suum Correligiosum in Ecclesia, sed non occidens, vtique in Casum Reseruatum, & in Excomm. Canonis incurrat, sed non remaneat priuatus Immunitate Ecclesiastica, eò quòd grauis Vulneratio, aut Percussio facta in Ecclesia non est Delictum expressum in *Bulla Gregorij XIV.*, benè quidem *Homicidium aut Mutilatio in Ecclesijs, earumque Cęmeterijs*; vbi nota, quòd nomine Ecclesiarum non veniunt Sacristia, Scala Campanilis, Tectum, Atrium, aut Porticus Eccle-

siæ, aut Loca Sacra, & Religiosa annexa, & cohærentia Ecclesiæ, quia cùm agatur de Delicto commisso in Ecclesia, nomen Ecclesiæ propriè, & formaliter significat solùm ipsam Ecclesiam, eò quòd Lex in hoc puncto est pœnalis, è contrà verò quando agitur de Recursu Rei ad Ecclesiam pro Asylo, quod est punctum fauorabile, tunc Nomen Ecclesiæ extenditur etiam ad præfata Loca annexa, & cohærentia Ecclesiæ ipsi, *Odia quippe restringi, & Fauores conuenit ampliari ex Regula* 15. *Iuris in* 6. Verùm etiamsi Religiosus grauiter Vulnerans, aut percutiens suum Correligiosum in Ecclesia, sed non occidens, gaudeat Immunitate Ecclesiastica ex vi Bullæ Gregorianæ; nihilominùs tuta Sententia cum Diana part. 1. tract. 1. resol. 25., & cum alijs Doctoribus est; quòd non gaudeat, sed licitè extrahi possit ab Ecclesijs, & à Monasterijs proprij Ordinis, & hoc probatur ex recepta in Religionibus Consuetudine, *quæ est optima Legum interpres*, & est approbata à *Romanis Pontificibus*, qui ex Processibus Causarum Regularium quæ *ad Sedem Apostolicam, vel ad Sacram Congregationem* deferuntur, optimè sciunt, quòd Superiores Regulares contrà suos Subditos Delinquentes procedunt ad Capturam in Ecclesijs, & Monasterijs proprij Ordinis ad finem Correctionis, nec tamen ipsi Pontifices puniunt, aut Excommunicant Superiores Regulares, sed potiùs Processus confectos, Sententiasque latas confirmant, ac Appellationes Regularium captorum in suis Ecclesijs, & Monasterijs contrà suos Superiores adductas paruipendunt, nihilque curant, quandoquidem si Religiosi Delinquentes in Delictis, estò non expressis in Bulla, capi non possent in suis Ecclesijs, & Monasterijs, iam Delicta Regularium remanerent impunita, & ipsis daretur ansa delinquendi, & destruendi Disciplinam Regularem, quòd est omninò alienum à Mente *Summorum Pontificum*. In Ecclesijs verò, & Monasterijs extrà proprium Ordinem Religiosi delinquentes in Delictis, estò non expressis in Bulla, capi non possunt, sed gaudent Immunitate Ecclesiastica iuxtà praxim communem in Re-

ligionibus,

ligionibus, & hoc præsertim practicari videmus cum Religionis Apostatis, secundùm Dianam supracit. resol. 23. Pro nostra autem Respectione comprobanda vide Matthęuccium in suo Officiali quoad Immunitatem Eccles., & Monast. num. 30., qui nouissimam adducit Resolutionem *Sacræ Congregationis Immunit. Eccles. in Vna Æsina sub die 19. Aprilis* 1701. post multas alias, quæ ab alijs Canonistis afferuntur.

60. An ex Vi *Bullæ Gregorianæ*, in qua ponitur Octauum Delictum sic; *Rei læsę Maiestatis in Personam ipsiusmet Principis*, Religiosus occidens suum Superiorem Generalem priuetur Immunitate Ecclesiastica?

℞. Quòd secundùm Sententiam probabiliorem, attenta *Bulla Gregoriana*, non priuetur Immunitate Ecclesiastica; eò quòd Nomine Principis non veniunt Generales Religionum, cùm & ipsi Superiorem agnoscant, & non solùm subijciantur *Summo Pontifici*, sed etiam in multis Casibus eorum Capitulis Generalibus, vnde nomine Principis intelligitur, qui Supræmam habet Iurisdictionem, & nemini est Subiectus, sic *Summus Pontifex*, Imperator, Rex, & alij similes Principes Supræmi, qui nulli alteri subijciuntur, ità Trulench., Palaus., Diana part. *6.* tract. 11. resol. 27., & alij contrà Bordonum resol. 1. num. *26.*

*61.* Num autem Superiores Regulares Maiores possint condere Statutum, ne Superiores Locales in suis Conuentibus admittant Sęculares Reos confugientes ad ipsos Conuentus, & non patrarunt vllum Delictum expressum *in Bulla Gregor.*?

℞. Non posse, tum quia nullus Inferior *Summo Pontifice cap.* 4. *dist.* 21. *Clement. Ne Romani* potest Statutum facere contrà *Ius Commune*, *& Pontificium*, quale est illud, quod concedit Reis Confugium ad Loca Religiosa. Tum quia non minùs obligatur Superior Regularis non statuere contrà Immunit. Ecclesiast., quàm Sęcularis, sed is prohibetur tàm directè, quàm indirectè statuere contrà Immunit. Ecclesiast. Iuxtà *Cap. Aduersus De Immunit.*, *Cap. Nouerit* 49., *Cap. Grauem* 53. *De*

*Sent.*

*Sent. Excomm.*, ergo, & prohibetur Superior Regularis, adeò vt si Statutum condat, non teneat, eò quòd hoc Statutum licet directè non sit contrà Reos, sed contrà Subditos, ne admittant Reos confugientes ad Monasteria, est tamen indirectè contrà Reos, quibus prohibetur Ingressus in Monasteria, Iure tàm Canonico, quàm Ciuili concessus. Neque Superiores impedientes Reis confugientibus Ingressum excusarentur ab Excommunic. Textuum supracit., nisi quando ipsi Superiores putarent bona fide, se id posse, habito scilicet hoc respectu, vt Religiosi Subditi remaneant alieni à conuersatione malorum Hominum, qui solent esse inquieti, iniurij, & tędiosi Religiosis, propterea possunt Superiores benignè licentiare Eos, qui ingredi volunt, vel iam sunt ingressi in Monasterium, cum prætextu incommodæ habitationis, vel cum aliquo alio quæsito colore, aut dicendo, se non posse Bannitos, & Fallitos Ære alieno grauatos recipere inter Claustra, sicuti prohibitum fuisse per Epistolam de Mandato *Pauli V.* transmissam Nuncio Neapolis testatur Lantuscha in Theatro Regul. Verb. Bannitus num. 1.; numquàm tamen possunt Superiores per Vim aut alio modo extrahere Reos aliter violant *Constit. Gregorianam* inferendo iniuriam, & offensam Locis Religiosis. Aliàm refert Epistolam Læsana Verb. Bannitus num. 8., solitam *à Sacra Congregatione Concilij* mitti ad Episcopos, & Nuncios, quæ est talis tenoris:

Ancorche *la Santità di* N. S. col suo paterno zelo prema quanto si deue, che l' Immunità Ecclesiastica sia inuiolabilmente custodita, & osseruata, è la Bolla della Santa Memoria *di Gregorio XIV.* sia puntualmente esseguita, non intende però, che le Chiese, & altri Luoghi Immuni seruano per asilo à i mali viuenti, e facinorosi, i quali abusando ben spesso di quel Priuilegio, vi si ricourano, anco tal volta per vscire à comettere noui Delitti. Onde hauendo *la Santità Sua* sentito il parere di questa *Sacra Congregatione* sopra le Controuersie giurisditionali, ordina, che alli Delinquenti refugiati nelle Chiese,

Chiese, e luoghi immuni di Cotesta Città, e Diocesi, che secondo la dispositione della sudetta Bolla potessero godere il Priuilegio della Immunità Ecclesiastica, V.S. prefigga vn termine di trè giorni à partirsene, e contrauenendo il facci estrahere con quella decenza, che ordina la Bolla istessa, e ritenendoli nelle Carceri della Curia Ecclesiastica sotto buona custodia, dia auiso quà delli delitti, è loro qualità, delli quali vengono imputati, acciò se li possa ordinare, quello dourà esseguire.

Addit verò Farinaccius hic num. 8., quod cùm Epistola huiusmodi concernat solos Homines malè viuentes, & facinorosos, poterit propterea Superior Regularis in suo Conuentu retinere per aliquot dies Beneuolum aliquem proscriptum, qui non dolo, aut data opera, sed casu aliquo patrauit Delictum v. g. Homicidium, quia hic non diceretur male viuens, & facinorosus.

62. Praxis Confessarij Regularis in hoc atroci Crimine pro Foro interno est, quòd Religiosum Pęnitentem interroget, an alium Religiosum, an Clericum Sęcularem occiderit, & an ex odio, malo, & irato animo, seu suadente Diabolo, an ad cupiendam Vindictam, & sine debito moderamine interfecerit, an verò pro defensione suæ Vitæ, quàm non aliàs saluare poterat, quàm occidendo, & tunc foret excusabilis, an autem pro Defensione Honoris sui, vel suæ Religionis, aut pro conseruatione Rerum sui Monasterij quamtùmuis pretiosarum occiderit, & tunc non esset excusabilis à Reseruatione, nec ab Irregularitate, sicuti nec ab Excommunic. Canonis, si Persona occisa fuerit Clericus, aut Monachus. Interroget etiam, an occiderit Superiorem, an aliam Personam, an Veneno, seu proditoriè, an in Claustris, vel extrà Claustrà notoriè, & cum Scandalo, & an se solo aut cum Socijs, an in Loco Sacro, vel non Sacro interfecerit, & à quanto tempore multiplicauerit intentionem hanc occidendi. Obliget deinde Religiosum ad restituendum, & ad compensandum damna per Homicidium illata, inducat ad perfectam Contritionem, grauissimam ei pęniten-

pœnitentiam imponat, deinde si à Superiore Confessarius fuerit specialiter deputatus ad absoluendum in Foro Conscientiæ, absoluat à peccato Reseruato, & ab Excommunic. si Persona occisa fuerit Clericus, aut Monachus, & quantùm ad Irregularitatem contractam, si Homicidium fuerit *occultum*, mittat pro Dispensatione *ad Sacram Pœnitentiariam Romæ*, si fuerit *publicum*, moneat, *vt à Summo Pontifice Dispensationem petat*. At verò si Religiosus grauiter vulnerauerit, seu percusserit, tunc Confessarius interroget vt suprà, & si cognouerit, quòd Persona grauiter vulnerata sit Clericus, aut Monachus, sciat innodatum esse Reseruatione Casus, ac Censura Canonis.

Apud Nos Obseruantes nota, quòd non solùm innodantur Reseruatione Religiosi *grauiter quempiam Percutientes*, *sed etiam contrà Prælatos Machinantes*, idest non contrà honorem, sed contrà Vitam Superiorum machinas secretò texentes, quamuis non peruenerint ad actum consummatum externæ Percussionis ipsorum. Hæc autem dicta sint pro Foro solùm Interno.



VNDECIMVS CA-

# VNDECIMVS CASVS

## RESERVABILIS A' SVPERIORIBVS REGVLARIBVS.

*Malitiosum Impedimentum, aut Retardatio, aut Aperitio Litterarum à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores.*



1. IN hoc postremo Casu tres Actiones maximè iniuriosas bono Religionum Regimini, Fraternæ Charitati, ac Superiorum Venerationi proponit Romanus Pontifex Superioribus Regularium, quas sibi reseruare possint ad Formam Decreti per ipsum Papam publicati, nec enim latebant *Clementem VIII.* inquietitudines perturbationes, diffidentiæ, discordiæ, bella inter Claustra, quę ex malitia quorumdam Religiosorum nasci poterant, vel impedientium, vel retardantium, vel aperientium Litteras suorum Prælatorum ad Subditos, vel Subditorum ad suos Prælatos, & in hisce Actionibus disiunctim non solùm Fidelitas, sed & Iustitia violatur, prout tollitur Ius duorum, mittentis scilicet Litteras, & illius, ad quem mittuntur, deinde lęditur ipsum Ius Gentium *Cap. Iuris Gentium d.* 1., quo Legati violari prohibentur, cùm Litterę Muti, & inanimati Legati censeantur, idcircò vt Religiosi à tanto Scelere absterreantur, & Disciplina Re-

gularis feruetur in fuo robore, referuari has tres actiones disiunctis a Superioribus Regularium *Clemens VIII.* fapientiffimè permifit. Cafus hic eft quintus inter Referuatos, *P. Minifiro Generali Ordinis Minorum Conuentualium*, & eft vndecimus inter trefdecim referuatos apud *P.P. Reformatos S. P. N. Francifci*.

2. Singula Verba huius poftremi Cafus Referuabilis à Superioribus Regularium dilucidantur fic: ***Malitiofum Litterarum Impedimentum***, quando fcilicet quis fcienter, dolosè, data opera, appenfatè, & animo nocendi impedit, ne Littere Superiorum ad Inferiores perueniant, vel ne perueniant Litteræ Inferiorum ad Superiores, ad quos diriguntur, fed potiùs pereant, lacerentur, aut comburantur, ne fuum habeant effectum, & nota, quòd illa vox *Malitiofum* coniuncta cum particula *aut* afficit fequentes dictiones *ex L. Si quis ità* 32., ideò afficit etiam retardationem, aut aperitionem Litterarum dictarum. Dicitur ly *Aut*, quæ, ficut aliàs diximus, eft particula Alternatiua, & habet hanc vim, quòd fiue quis malitiosè impediat folùm, fiue malitiosè folùm retardet, fiue malitiosè folùm aperiat Litteras à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores miffas, disiunctiuè Referuationem incurrit. Dicitur *Retardatio*, quando fcilicet quis malitiosè efficit, ne Litteræ præfatæ debito tempore ad eum, ad quem mittuntur, perueniant, vt fi per vnam, vel alteram hebdomadam, per vnum, vel alterum diem retineantur, immò etiam per vnicam horam, intra quam tantùm fuum effectum habere poffunt ex Bordono Refol. 50. num. 2., hinc actio impediendi difert ab actione retardandi, quòd qui malitiosè impedit Litteras, facit, vt nullo modo, nulloque tempore Litteræ perueniant ad Manum illius, ad quem directæ fuerunt, at verò qui malitiosè retardat Litteras, facit, vt aliquo modo Litteræ perueniant ad manum illius, ad quem fuerunt directæ, licet dentur poft debitum tempus. Dicitur *Aperitio*, quando fcilicet quis malitiosè non folum aperit Litteras auferendo Sigillum, aut frangendo Nizzam, quæ claudebat eas fed ipfas quoque

legit,

legit, ita quòd cum Bordono cit., Ioanne à Trinitate, Quaranta, Iunipero, Portello, & Graffio lib. 3. cap. 10. num. 4. per solam Aperturam sine lectura non habeatur Casus Reseruatus Argum. Bartoli in Textu *Cap. Si quis in graui* §. *Si quis Tabulas*, & *Cap. Olim* 2. *De Offic. Deleg.*

3. Dices cum Coriolano part. 2. Casu 11. num. 4., quòd Verba Legis sunt clara, vbi nihil specificatur de Lectura, dum dicitur *Aut Aperitio Litterarum*, & hoc adeò verum existimat Coriolanus, quòd si quis legat tales Litteras, absque eò quòd aperiat, vt sępè euenire contingit, lumine Solis legendo, vel Candelæ, quando Character transparet, quia Carta bibit, vel etiam si quis per latera Nizzæ (vt italicè dici solet) introspicit, & legit, tunc enim quia non aperit, non incurrit in hunc Casum, cùm Littera Textus Legis nihil de lectura dicat. Hæc Auctor cit.

℞. Quòd Coriolanus non affert rationem sui dicti, vnde cùm citatis Auctoribus dico, quòd nec sola Aperitio Litterarum sine lectura, nec sola earum lectura sine Aperitione, sed Coniunctum totum, videlicet Aperitio cum lectura simul Litterarum sit Casus Reseruatus, etenim termini sunt formaliter accipiendi, Aperitio autem Litterarum de formali importat etiam lecturam, neque quis Epistolam Superioris volens aperire intendit Aperitionem eius de materiali facere, sed finis volentis aperire, est, vt per Lecturam sciat ea, quæ intus scripta sunt, & Nobis assentiri videtur etiam ipsemet Coriolanus aduersando sibi in num. 6., quapropter Quaranta Verb. Casus Reseru. num. 12. ait, quòd Litteræ non dicuntur Apertæ, si solùm ligatura soluatur, nisi etiam legantur, quia sumus in Pęnalibus, in quibus strictè proceditur.

4. Dicitur *A' Superioribus ad Inferiores*, & *ab Inferioribus ad Superiores*, itaut Litteræ solæ reseruentur, quæ à Superioribus mittuntur ad Inferiores, & è contrà, proptereà per nullam ex tribus actionibus incurritur Reseruatio ab illo, qui impedit, aut retardat, aut aperit Litteras

sui Prælati ad non Subditos, ad Sęculares, siue Ecclesiasticos, aut Litteras non Subditorum ad Prælatum, vt clarè colligitur ex Verbis Clementinis. Superiores igitur, ex Bordono supracit. num. 5. sunt in nostro proposito Prælati Regulares, eorum Officiales habentes aliquam Iurisdictionem Fori Contentiosi, eorum Vicegerentes, Commissarij, Iudices respectiuè ad Inferiores, & Subditos, quales sunt non solùm Professi, sed etiam Nouitij, & Terciarij, ac perpetui Commensales.

5. Sed numquid Superiores Minores malitiosè impedientes, aut retardantes, aut aperientes Litteras Superioris Maioris ad Subditum, vel Subditi ad Superiorem Maiorem incidunt in Reseruationem?

℞. Cum Sententia probabiliori, quòd incidant, etenim eo ipso quòd Subditus habet Ius scribendi ad Superiorem Maiorem, habet etiam facultatem recipiendi Responsa independenter à voluntate Superiorum minorum, ergo si Superiores minores impediant, aut retardent, aut aperiant huiusmodi Litteras, iam iniquè agunt, & in Reseruationem incurrunt. Nec obstat *Cap. Non dicatis 12. qu. 1.*, vbi prohibetur Regulari Simplici accipere, & dare Litteras sine licentia Prçlati, nam ibi est Sermo de Litteris Aliorum, & non Superiorum, sicuti explicant multi Doctores, propterea nec poterunt Superiores Minores, qui sunt Subditi Superioris Maioris, malitiosè impedire, aut retardare, aut aperire Litteras eiusdem Superioris Maioris, siue sint à se scriptæ Subditis, siue sibi à Subditis scribantur. Quibus notatis.

## IN RESERVATIONEM INCIDVNT

*Malitiosi Impedimenti, aut Retardationis, aut Aperitionis Litterarum à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores.*

6. Religiosus, qui malitiosè, dolosè, & animo nocendi facit, quòd Litteræ Superiorum ad Inferiores,

feriores, vel Inferiorum ad Superiores missæ pereant, vel lacerentur, vel comburantur, ne Litteræ huiusmodi suum habeant effectum, etenim hoc est impedimentum illud malitiosum Litterarum, quod *Clemens VIII.* à Superioribus Regularium reseruari permittit, cùm cedat in damnum bonæ Gubernationis in Religionibus, & resultet in maximam iniuriam tum Superiorum Regularium, tum Subditorum.

Religiosus non solùm Professus, sed etiam Nouitius, similiter Tertiarius, & qui est verè perpetuus Commensalis, qui tum Prælati Litteras, tum Officialium, aut Vicegerentium eius, cuiusmodi sunt habentes Iurisdictionem Fori Contentiosi, vt Commissarij, & Iudices, malitiosè, & dolosè, impedit cum Sententia probabiliori doctissimi Bordoni Resol. 50. num. 5., etenim illi sunt Subditi, & isti habent rationem Superiorum, ac de ipsis verificantur *Verba Clementina*. Idem dicitur de Moniali exempta illius Ordinis, in quo reseruatur hic 11. Casus.

Religiosus, qui impedit, aut retardat malitiosè Litteras ad suum Superiorem directas, in quibus continetur iusta denunciatio, accusatio, aut iustum supplicium, quo præcipitur, se esse puniendum, etenim tunc dolosè, & iniustè ageret, eo quod obstaret bono Operi Subditi denunciantis, & Superioris iustè punientis, directamque haberet intentionem impediendi, aut retardandi iustum Litterarum effectum.

Religiosus, qui malitiosè, scienter, ac dolosè retardat Litteras à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus, ad Superiores missas, quia scilicet cum animo nocendi per aliquod tempus eas occultat, vel facit, ne Tabellarij, vel Cursores tam citò inueniantur, qui deferant Litteras ipsas, vel facit corrumpendo ipsos, vt tardiùs eas tradant, quàm par est, estò posteà post aliquod tempus mittantur, vbi nota, quòd & qui malitiosè impedit, & qui malitiosè retardat præfatas Litteras, si impediendo, vel retardando damnificet, resarcire teneatur, ex *Regula illa: Qui damni causam dat, ipse damnum dedisse videtur*.

Religiosus, qui malitiosè prædictas Litteras quoquo modo retardat,

retardat, & post aliquod tempus mittit, estò eas non aperiat, sed integras, & sigillatas seruet, quia iam diximus, quomodò *Clemens VIII.* cum illa Particula disiunctiua *Aut* loquatur, adeòut Aperitio sit Actio omninò distincta ab Impedimento, & à Retardatione Litterarum.

Religiosus, qui malitiosè apud se retinet per aliquot Dies Litteras apertas Superioris, quas per Religionem, vel per Prouinciam mittit, ordinando in ijs, quid faciendum, vel non faciendum sit à Subditis pro bono Regimine, quoniam hæc retardatio est in Damnum bonæ administrationis, & in iniuriam Superioris, peius verò, & perniciosius peccatum foret; si tales Litteras, & Ordinationes malitiosè impediret lacerando, vel comburendo.

Religiosus, qui malitiosè retardat, aut aperit præfatas Litteras, & non obstante Retardatione, aut Aperitione suum effectum ipsæ sortiuntur tempore debito, nec damnificant Tertium, etenim Verba Casus non exprimunt hoc damnum, ideò nec Nos debemus illud subintelligere, sed sufficit, quòd dictæ Actiones malitiosè fiant, & cum animo damnificandi, licet per ipsas non sequatur Damnificatio, sunt enim etiam sine damno Tertij in se peccata mortalia, ęgrè feruntur à Superioribus, & inferioribus, obstant communi Bono Religionis, Regimini Superiorum, & Fraternæ inter Religiosos Charitati ex Rodriquez Tom. 2. qu. 36. art. 2.

Religiosus, qui malitiosè aperit Litteras à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores missas, dummodò eas etiam legat, siue sibi soli, siue alijs, quoniam sola Sigilli, aut alterius Ligaturæ incisio sine lectura non reseruatur iuxtà ea, quæ supra num. 2., & 3. diximus contrà Coriolanum, quòd si huiusmodi Litteras legat etiam alijs, peccabit quoque peccato Scandali, & hoc necessariò exprimendum erit in Confessione.

Religiosus, qui malitiosè aperit præfatas Litteras, quas non legit per expressionem Verborum Ore factam, sed Oculis solùm, nihil exprimendo, percurrit ex Textu in L. 1. §. *Legi*, *& ibi Glossa*, *& alij ff. De His quæ Testam:*

*Bam: delent*: apud Duardum disp. 8. sect. 11. num. 199.

Religiosus, qui facta conuentione cum altero malitiosè Litteras Superioris ad Subditos, vel Subditorum ad Superiorem aperit per se ipsum, deinde illas alter legit, nam vterque in Reseruationem incurrit, vterque Reseruationem eludit, & vterque dicitur propriè, & ex malitia aperire, propterea fraus facta Legi nequit vni, vel alteri prodesse ex Bordono cit. num. 8.

Religiosus, qui Litteras sui Superioris ad Subditum, vel Subditi ad suum Superiorem subtiliter aperuit, & legit, easque posteà obsignauit maxima arte, statimque clausas consignauit, iam enim verè dicitur malitiosè aperuisse, iuxtà Decretum Clementinum.

Superiores minores, qui malitiosè impediunt, aut retardant, aut aperiunt Litteras Superioris Maioris ad Subditum directas, vel Subditi ad Superiorem Maiorem missas iuxtà dicta superiùs num. 5. ex Bordono num. 10.

## IN RESERVATIONEM NON INCIDVNT

*Malitiosi Impedimenti, aut Retardationis, aut Aperitionis Litterarum à Superioribus, ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores.*

7. Religiosus, qui Litteras Superiorum ad Inferiores, & Inferiorum ad Superiores impedit non scriptas, sed scribendas, nam Verba Casus sunt strictè intelligenda, vnde non possunt intelligi de Litteris in potentia, sed de Litteris, iam scriptis, & Religiosus, qui impedit, ne tales Litteræ scribantur, non incidit in hunc Casum.

Religiosus, qui Epistolam sui Superioris Generalis obtentam in fauorem sui, & directam suo Superiori Prouinciali, vel Locali impedit, aut retardat, aut aperit, quia credit, vel Epistolam illam non esse ampliùs necessariam, vel magnam posse inferre molestiam illi, ad quem dirigitur, etenim hic Religiosus non dolosè, non malitiosè

opera-

operatur, ſed ſolùm cedit fauori ſuo, cauſa iuſta interueniente.

Religioſus, qui Epiſtolam ſui Superioris, quam ſcit moraliter, vel cum reali fundamento ſuſpicatur, continere falſam, & iniuſtam querelam contra ſe, impedit, aut retardat, aut aperit, etenim tunc vtitur Defenſione naturali, & iuſtè Damnum iniuſtum ſibi paratum effugit abſque peccato mortali ex Portello Verb. Litteræ Prælat. in Addit. num. 10.

Religioſus, qui impedit, aut retardat, aut aperit Litteras ſui Prælati, quas Religioſus alieni Ordinis ad eum dirigit, vel Litteras Religioſi alieni Ordinis miſſas ad Prælatum Impedientis, aut Retardantis, aut Aperientis, nam Prælatus debet eſſe Superior ſcribentis, nec ſat eſt, ſi ſit Superior aliorum *Cap. Si quis ità 32.*, propterea Verba Decreti Clementini non extendunt Caſum ad Litteras Prælatorum alieni Ordinis, vel Eccleſiaſticorum.

Religioſus, qui impedit, aut retardat, aut aperit malitiosè Litteras ſui Prælati directas ad Sęcularem, vel Sęcularis miſſas ad Prælatum Impedientis, aut Retardantis, aut Aperientis, quia Romanus Pontifex in ſuo Decreto loquitur ſolùm de Impedimento, aut Retardatione, aut Aperitione malitioſa Litterarum Prælati Regularis directarum ad ſuos Subditos, vel Subditorum Regularium ad ſuoſmet Prælatos, vt conſtat, miſſarum.

Religioſus, qui malitiosè aperit Litteras Subditi eiuſdem Ordinis directas ad ſuum Superiorem, in quibus tamen nihil eſt ſcriptum ex Baldo *in L. Si bina*. Nec valet ſi dicas, quòd Delictum dolosè fuerit conſumatum, ad hoc vt Caſus Reſeruatus incurratur. Non, inquam, valet, eo quòd licet Delictum fuerit dolosè, & malo animo conſumatum, ac ſit culpa grauis, non tamen cadit ſub Reſeruatione, quia non poteſt dici aperuiſſe Litteras iuxtà Decretum Clementinum, cùm Litteræ ſint Scriptiones Litterarum.

Religioſus, qui deferens Litteras Superioris ad Inferiorem, vel Inferioris ad Superiorem eas aperit, & legit, iuſtè,

iuftè, & probabiliter timens, vel cum fundamento reali fufpicans, per illas aliquod fibi malum iniuftè parari, prout fcribens eft eius Inimicus, etenim aperiret Litteras ad tale malum fibi iniuftum præcauendum *ex Gloff. Cap. Cùm olim De Offic. Deleg. Verb. Vriæ*, vbi dicitur, Vriam ftultum fuiffe, qui recepit Litteras iniuftè contrà eum miffas: debebat enim illas prius legere, eo quòd habebat illas fufpectas, & tales Litteras confignare non erat obligatus, ex quibus graue nocumentum illi parabatur, ex Graffio lib. 3. cap. 10. n. 22. Tum quia Præceptum naturale de euitando malo iniuftè inferendo præualet Præcepto de obferuando fecreto, ex Nauarro cap. 18. n. 53.

Religiofus, qui ex certa Scientia, & ex tacito Mittentis confenfu Litteras mittendas ad Superiorem aperit, & hoc, quia Mittens eft fuus Familiariffimus, vel quia timet, ne, fi non aperiat huiufmodi Litteras, poffit negotium Amici aliquod pati detrimentum, vel quia bona fide ponit fpem in ratihabitione Superioris illius, ad quem mittuntur, & ratio eft, quia hic deeft malus animus, immò eft omninò bona intentio, *& Animus extinguit Maleficium, ex C. Cum Voluntate De Sent. Excomm.*, ex Graffio cit. num. 23., etenim non opus extrinfecum, fed intentio eft attendenda.

Religiofus, qui nullo animo nocendi notabiliter, & ob curiofitatem merè naturalem fciendi v.g. noua nuncia, vel captandi rifum ex barbarica compofitione, vel voluptatem ex eleganti aperit Litteras alicuius Religiofi Amici mittendas ad Superiorem, quia fic venialiter ex obiecto peccaret, ex Graffio cit. num. 20.

Religiofus, qui ex inaduertentia Litteras Superioris ad Inferiores, vel Inferiorum ad Superiorem aperit, credens illas ad fe effe miffas, aut ex obliuione eas tradere retardat, aut oblitus non tradit, quoniam non dolosè operatur, vnde non nifi venialiter peccat, & citrà lethalem culpam non incurritur Cafus Referuatus.

Religiofus, qui fub bona fide, etiam imprudenter, & cum graui negligentia Litteras eiufmodi aperit etenim Apertitio

ritio non esset malitiosa, neque mortalis, quia ad hoc vt Aperitio sit malitiosa, requiritur, quòd fiat intelligendo, aut præsumendo, quòd sit contrà voluntatem Superioris, vt doctè, & eleganter aduertit P. Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 18. num. 13.

Religiosus, qui Epistolam apertam in Cella Superioris sumpsit, ac legit, etenim non dicitur tunc aperuisse, ad Casum verò Reseruatum incurrendum requiritur Litterarum Aperitio simul, & lectura, nam, ex anteà dictis, sumus in Pęnalibus, in quibus fieri debet strictè interpretatio cum Stephano Quaranta.

Religiosus, qui Epistolam Superioris aperit animo eam legendi, sed postea facti pęnitens, Deique timore ductus illam legere noluit, & sicut anteà erat, ipsam clausit, quia ex dictis Aperitio Reseruata exigit necessariò Lecturam, & id, quòd reseruatur, est Coniunctum totum, Aperitio scilicet cum Lectura.

Religiosus aperiens simul, & legens Epistolam Superioris, si eam nullo modo intelligat, quoniam is reuerà non dicitur legisse, nam legere, & non intelligere, est negligere, eo quidem modo, quo non dicitur incurrere in Excommunicationem Bullæ Cęnæ Domini legens Libros Hæreticorum Hæresim continentes, & de Religione tractantes, nec tamen intelligens ipsos Libros ex Doctoribus communiter.

8. Sed numquid Religiosus Epistolam aperiens alterius Religiósi directam ad suum Superiorem, eamque ostendens Religioso Inimico scribentis, puniendus est pęna Falsi?

℞. Quòd sic, ex *L.* 1. §. *Is, qui Deposita Instrum.*, si verò non ostendat Aduersario, pęna extraordinaria per Superiorem puniendus est, ita Bartolus in *L. Qui Testamento ff. De Falso*, & dictus Religiosus in Reseruationem incurrit.

9. Dices: per solam Aperitionem Epistolæ Religiosi directę ad suum Superiorem non committitur Falsum, quòd consistit in immutatione Veritatis, ergo Aperiens estò Epistolam ostendat Aduersario, non est puniendus pęna Falsi.

℞. Quòd

9. Quòd quàmuis non immutet Veritatem ostendendo Epistolam malitiosè apertam Aduersario, attamen absque immutatione Veritatis Lex sępè puniat pęna Falsi ex dicto Textu, & Religiosus subijcitur insuper Reseruationi huius Vndecimi Casus ex Grassio lib. 2. cap. 24. num. 8.

10. Confessarius in Absolutione tanti Sceleris, ex quo in Claustris tot animi perturbationes, odia, & rancores oriuntur, si absoluendi habeat Facultatem, debet hoc pro Praxi animaduertere, quòd non satis sit, si Religiosus Pęnitens dicat, se impediuisse, aut retardasse, aut aperuisse alienas Litteras, sed exprimere necessariò debeat, an Litteræ fuerint Regularium suæ Religionis, an verò alterius Ordinis, an alicuius Ecclesiastici, an Sęcularis, vt Confessarius dignoscat, num incurrerit in Reseruationem iuxtà Decretum Clementinum; debet Confessarius interrogare Pęnitentem, qua mente, & quo animo ductus fecerit, hoc, an ad iustam, vel iniustam sui defensionem, an cum inaduertentia, an cum ioco, & curiositate, an cum damnificatione notabili, an cum malitia mortali, an cum scandalo Proximi; inquirere debet à Penitente, quàmdiù in hoc Scelere permanserit, quoties hoc perpetrauerit, vt meliùs cognoscere queat qualitatem, & mensuram Delicti; debet interrogare, an penes se habeat hasce Litteras, quas si habeat, adstringendus est, vt eas mittat, ad quos diriguntur, ac si Chartulam fregerit, vel Sigilli signum amouerit, eo quo modo fieri potest, resarcire studeat, vt ipsæ Litteræ, ad quos pertinent, peruenire valeant; debet Pęnitenti significare turpitudinem, & grauitatem peccati, eum absterre facere, eum increpare, eum salubriter corripere, ad resarcienda damna, si opus sit, obligare, debet ipsum ad perfectam Contritionem inducere, & tandem iniuncta salubri, & arbitraria pęnitentia absoluat. Hæc pauca dicta sint ad formam Decreti Clementini.

11. Apud Nos autem Minores De Obseru. *S. P. N. Francisci* hic Vndecimus Casus per *Clementem VIII.* reseruabilis ponitur in Tabella Casuum, qui Generali, & Pro-

uincialibus Nostris reseruantur, vbi sic legitur sub numero 15. *Generalis, vel Prouincialis, aut eorum Secretariorum Litteras tum Missas, tum accipiendas, impedientes, frangentes, falsificantes, aut quomodolibet intercipientes ex Statutis Generalibus Sambucanis Cap. 7. §. 3. Pag. Mihi 116.*, quapropter Casus hic 15. apud Nos Reseruatus est extensior, quàm Casus vndecimus Clementinus; est, inquam, extensior, quia Romanus Pontifex loquitur de Litteris missis à Prælatis ad Subditos solùm, & à Subditis solùm ad Prælatos, si malitiosè impediantur, aut retardentur, aut aperiantur, Nostra verò Statuta Generalia cum maiori vniuersalitate loquuntur, quatenus non specificant Litteras missas à Generali, vel à Prouinciali, aut ab eorum Secretarijs ad Subditos, ideò dictæ Litteræ siue missæ ad Subditos, siue ad quemcumque alium, qui non sit Subditus, si impediantur, aut frangantur, aut quomodolibet intercipiantur inducunt Reseruationem apud Nos, & eamdem Reseruationem inducunt, siue Litteræ accipiendæ à Generali, vel Prouinciali, vel ab eorum Secretarijs siue Subditorum, siue cuiuscumque alterius, qui etiam non sit Subditus, si impediantur, aut frangantur, aut quomodolibet intercipiantur, & subintelligas *malitiosè* iuxtà dicta superiùs, idest si malo animo hæc fiant, intelligendo, vel præsumendo, quod sint contrà voluntatem Generalis, vel Prouincialis, aut eorum Secretariorum in Re graui, non verò si fiant iocosè, ob curiositatem inaduertenter, sub bona fide, sine animo nocendi saltem grauiter, & ad euitandum malum sibi, vel alteri iniustè inferendum.

12. Dicitur ergo in primis ly *Generalis, vel Prouincialis, aut eorum Secretariorum Litteras tùm missas, tùm accipiendas*, vt intelligamus, quòd, non omnium Prælatorum, nec Officialium Litteræ in Nostra Religione, sed nominatorum solùmmodò tum missæ, tum accipiendæ, si impediantur, vel frangantur, aut intercipiantur, cadunt sub Reseruatione, & nota ly *vel*, & *aut*, quòd sint particulæ alternatiuæ. Per ly *Litteras* intelligas non solùm Epistolas missas, aut accipiendas, sed etiam Mandatum licet

licet ſit in Litteris Patentibus, vt vocant, quæ apertæ iubentur pro executione alicuius negotij, & haſce apertas impedire, aut frangere, aut quomodolibet intercipere cadit etiam ſub noſtro Caſu. Per ly *tùm Miſſas, tùm accipiendas* nota, quòd hæc Verba intelligantur non ſolùm de Litteris Inferiorum, ſeu Subditorum, ſed etiam cuiuſcumque alteriùs non Subditi, propterea in hoc noſtro Caſu Reſeruato maior habetur extenſio, vt conſtat, quàm in Caſu vndecimo dilucidato, quem *Clemens VIII. deſignauit*, ac permiſit, à Superioribus Regularium poſſe reſeruari.

Dicitur *Impedientes*, ideſt facientes malo animo, quòd Litteræ miſſæ à Generali, vel Prouinciali, aut ab eorum Secretarijs numquam perueniant ad eos, quicumque ſint, ad quos diriguntur, vel quòd ſolùm poſt debitum tempus perueniant, aut facientes malo animo, quòd Litteræ, cuiuſcùmque ſint, accipiendæ à Generali, vel à Prouinciali, aut ab eorum Secretarijs, vel numquam, vel ſolùm poſt debitum tempus accipiantur ab ijſdem, & hoc eſt, quod per illa Verba Clementina *Malitioſum Impedimentum, aut Retardatio Litterarum* importatur, quia Malitioſum Impedimentum facit, ne Litteræ vllo modo, aut aliquo tempore dentur, malitioſa autem Retardatio facit, ne Litteræ dentur, niſi poſt debitum, & commodum tempus, dantur tamen, ſiue poſteà ſuum adhuc ſortiantur effectum, ſiue non, ſiue damnificatio ſequatur, ſiue non, ex Rodriquez ſupracit.

Dicitur *Frangentes*, ideſt malo animo diuidentes, Lacerantes, deſtruentes, comburentes, non tamen frangentes ſolam Cedulam, qua Litteræ clauduntur, quia Epiſtola non eſt illa ſola Cædula, quæ Epiſtolam claudit, ſicuti nec Frangentes locum Sigilli, niſi etiam Epiſtola diſſigillata aperiatur, & legatur, nam ad incurrendam Reſeruationem, iuxtà ſuperiùs dicta, requiritur apertura ſimul, & lectura, cùm de Aperitione pro formali loquamur, & non pro materiali.

Dicitur *Aut quomodolibet Intercipientes*, ideſt facientes malo

malo animo, ne Litteræ Generalis, vel Prouincialis, aut eorum Secretariorum perueniant ad Manus eorum, ad quos, quicumque fint, diriguntur, vel facientes malo animo, ne Litteræ eorum, qui, quicumque fint fcribunt ad Generalem, vel ad Prouincialem, aut ad eorumdem Secretarios, ab his accipiantur, fiue intercipiant aperiendo eas, vt legant, fiue occultando, fiue furripiendo, fiue Delatores, & Curfores retinendo, corrumpendo, minando, vt Litteras tardiùs, quàm par eft, tradant, fiue quolibet alio modo cooperando Interceptioni dictarum Litterarum.

Ex his facili negotio colliges, quoniam Religiofi incidant in noftram Referuationem, & quinam non incidant, fi notata extenfione noftri Cafus retrafpexeris ad Incidentes, & non Incidentes in Cafum Clementinum.

13. Præter Referuationem Statuta Generalia Sambucana Cap. 7. §. 6. num. 62. addunt Pęnas ex Capitulo Generali Salmatic. cap. 7. decerptas, vbi fic: *Qui verò fupradictas Litteras, per fe, vel per alium malitiosè deftruxerit, impedierit, retinuerit, aperuerit, vel quomodolibet interceperit, ipfo facto actibus legitimis priuatus fit, & fi talis pęna ei non competeret, probationis Capucium deferat, Superioris arbitrio. Hoc autem intelligatur de Litteris, tàm ab eis, quàm ad eos fcriptis, ac etiam de Litteris quæ ad eorum Secretarios pertinent. Quibus pęnis fubiaceant, qui prædictorum Litteras ad ipfos miffas legere, aut aperire malitiosè diftulerint, nec predictis pęnis reuelari poffint, nifi per Generalem, vel Prouincialem, prout ad eos refpectiuè pertinuerit.*

14. Sed an ne in Referuationem, & in Pęnas incurreret, qui Litteras familiares directas ad Superiorem, continentes Annunciationem Natiuitatis Domini, vel negotia communia, aperiret?

℞. Ex Cottonio lib. 4. Controu. 10. Cap. 2. num. 35. quòd non, eò quòd Superior huiufmodi intelligendus eft formaliter, & fecundùm quòd ipfum, & Litteræ ad ipfum directè intelligendæ funt fecundùm quòd fpectant ad

ipfius

ipsius regimen, quare qui aperiret Litteras ad Superiorem scriptas, putans continere negotium pertinens ad ipsius munus, inueniret autem, continere solum negotia communia, peccasset quidem mortaliter, sed non tenetur Reseruatione, nec Pęnis.

15. Verùm quid dicendum de Intercipiente Litteras Orbas Malignantium, & Nebulonum continentes infamiam, vel falsitatem Proximi directas ad Superiorem?

℞. Quòd Intercipiens, vel certò scit, aut cum fundamento reali suspicatur, quòd huiusmodi Litteræ Orbæ contineant falsitatem, vel infamiam Proximi, & tunc benè facit intercipiendo, vt scilicet impediat vexationem Proximo iniustè inferendam, & amoueat incommoda, ac inquietudines solitas nasci in Conuentibus, præsertim quando Superior est primæ impressionis, vel Intercipiens dubitat solùm, in quo Casu incurreret in Reseruationem, & in Pęnas. Illuminet Deus hos Malignantes, & Nebulones inter Viuos, & concedat Nobis, ne deperdamus memoriam ipsorum inter Mortuos, sed oremus pro ijs.

16. Congruum est, vt hìc aliqua tangamus de Libello Famoso apud Nos Reseruato sub num. 17. sic: *Libellum Famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, proijcientes, vel publicantes*. Dicitur ergo *Libellum Famosum*, *&* *ex Syluestro Verb. Libellus definitur sic: est Scriptura continens infamiam alicuius nondùm publicam, vt publica fiat, siue res sortiatur effectum, siue non, quam infamiam probare non vult Author, & ponit eam in loco publico, vel vbi inueniatur*. Dicitur *Facientes*, & sic comprehendit eos, qui sub tacito, vel alieno nomine compofuere huiusmodi Scripturam ad modum datæ Definitionis. Dicitur *Procurantes*, & sic comprehendit eos, qui studio, & opera vtuntur, vt componatur talis Scriptura, & multò magis comprehendit ipsos Scribentes. Dicitur *Inducentes*, & sic comprehendit eos, qui occasiones, & impulsum dant, vt Libellus Famosus edatur. Dicitur *Consulentes*, & sic comprehendit eos, qui efficaciter consulunt in compositionem Scripturæ infamatoriæ.

Dicitur

Dicitur *Proijcientes*, & sic comprehendit eos, qui huiusmodi Scripturam ab altero compositam proijciunt per terram, vt inueniatur, & euulgetur. Dicitur *Publicantes*, & sic comprehendit eos, qui Scripturam inuentam affigunt, & in loco publico exponunt, vbi nota, quòd omnes enumerati subsunt Reseruationi Nostri Casus, siue istæ actiones suum sortiantur effectum, siue non, idest siue sequatur infamia, siue non, vt clarè demonstrat præfata definitio Libelli Famosi.

17. Quid si Religiosus noster fecisset quidem Libellum Famosum, sed statim se pęnituisset, statim lacerasset, aut statim combussisset?

℞. Quòd non incurreret in Reseruationem, mortaliter tamen peccasset ob deliberationem, quam habuit detrahendi Proximo in re graui.

18. Dices: siue se pęniteat, siue non, siue Scripturam laceret, comburat, siue non, adhuc valet dicere, quòd fecerit Libellum Famosum, & hoc est, quod cadit sub Reseruatione, & eò magis cadit, quia in Definitione Libelli Famosi dicitur, quòd siue habeatur diffamatio, siue non, adhuc est Libellus Famosus?

℞. Quòd licet in Definitionem Libelli Famosi ingrediatur hoc, *siue res sortiatur effectum*, *siue non*, additur tamen in ipsa Definitione, *& Author ponit eam in loco publico*, *vel vbi inueniatur*, ideò vt peccatum sit etiam Reseruatum, necesse est, quòd illa Scriptura sit publicata, & ratione publicationis de peccato mortali non Reseruato euadit Reseruatum.

19. Instabis: Publicans Libellum Famosum incurrit in Reseruationem, estò non fuerit Author, ergo incurrit quoque Author in Reseruationem, estò non fuerit Publicator.

℞. Vtique in Reseruationem incurrere illum, qui publicat Scripturam infamem factam per Authorem, at non incurrere Authorem, si solùm faciat Scripturam, & eam non publicet, vel publicare faciat iuxtà allatam Definitionem, quare Author faciendo Libellum Famosum, &

ipsum

ipsum factum statim lacerando, vel comburendo peccat quidem mortaliter propter deliberationem, quam habuit infamandi Proximum, at non committit peccatum Reseruatum, nisi illum publicet. De Libello Famoso, & de Litteris Orbis in formam Memorialium legas meam Apodixim Pag. 458. vsque ad Pag. 471.

20. Pęnas habes in Nostris Statutis Sambucanis Cap. 7. §. 6. num. 65., vbi sic legitur. *Qui tacito nomine, vel sub nomine alieno Libellos Famosos fecerit, miserit, proiecerit, vel quouis modo exposuerit in alicuius infamiam ipso facto Excommunicationis Sententiam incurrat, qui si in Generalis, vel Prouincialis infamiam facti fuerint, absolui non possit, nisi per Generalem, aut de eius mandato. In aliorum verò infamiam vergentes, à Prouinciali tantummodò, satisfactione præmissa, & conuictus Superiorum arbitrio carceretur.* Et ibidem num. 66. *ex Sacra Congregatione* 1603. *sic: Ad hæc si conuictus fuerit aliquis Frater, falsas Litteras, falsaque Memorialia scripsisse, seuerissimè puniatur, & tamquam communis quietis perturbator habeatur.*

Quæ in hac Mea Mantissa Morali pro communi Religiosorum Bono elaboraui ad Dei, Deiparæ, ac Diui Antonij Patauini Gloriam scripta sint, & omnia humillimè submitto Iudicio, Correctioni, & Censuræ Sanctæ Romanę Ecclesiæ, quæ est cunctorum Fidelium Mater, & Magistra.

# FINIS.

# INDEX

*Rerum Notabilium, Quæ in Secunda Parte Mantissæ Moralis De Reseruabilitate Casuum Regularium in particulari continentur.*

## A



Apo-

# B



# C

# D



# E



# F

# H



Idololatria

# I



Iuramen-

# L

Instan-

# O



# P



Percu-

Irregu-

Proprie-



# R



Reli-

# S

# T



# V



*Vana,*

# FINIS.





